

Vorag. Mariani



SERMONES AVREI DE MARIA VIRGINE DEI MATRE,

Omni doctrina, & magnis Sacrę Scripturę sensibus referti, Concionatoribus Verbi diuini, Parochis, ac etiam viris pijs & doctis, apprimè necessarij.

AVCTORE R. P. IACOBO VORAGINE Instituti Dominicani, Archiepiscopo Ianuensi.

Auctoris Vita ex Vetustissimis Scriptoribus addita.

Cum duplici indice Sermonum & rerum memorabilium.



VENETIIS, MDXC.

Ad Signum Concordiæ.

ANGELO COSPO VIRO PERILLVSTRI IVRISCONS.

ET EQVITI S. STEPHANI MVLTIS TITVLIS DIGNO.

Nicolaus Angelinus.



I tibi maiestas imperij, & uniuersi principatum colatum foret, quemadmodum Tito quondam Vrbis Imperatori; ea proculdubio nostrum hoc sæculum pari lætitia gauderet; cum lectas in te humani generis delitias inspicit, orbisque amor, atque honor tuo pectore candidato spatiari concernit. Quoniam quidem, clarissimis in omnes experimentis, beneficentissimum

animum patefacis, ac diligentia quadam ſingulari, cunctis qui ad te confugiunt, quod optant agere ſtudes; vt Titus ille, diei iacturam plorans, in quo de aliquo quicquam meritus non es. Verum enimuero fatentur omnes, quod & ſi rebus, & poteſtate, haud illi certamen facias, propenſa tamen viuacitate, quam animi promptitudine detegis, ita virorum anhelationi perſoluis, quod nobilis, & officioſus eques, vt iſdem beneuolus Imperator, non præſſiori laude prædicaris. His ego etiam impulſor, vires ad tuam gratiam intendendum: cuius quidem fructus, cum quàm plurimis vberrimi fuerint, mihi quoque perſuadeo, quòd hac tam læta munificentia indignum, me illis unquam temporis iudicabis. Atque hanc viſus ſum occaſionem nanciſci, laudes Virginis Deiparæ, a Voragine eleganti

admo-

admodum uerborum ſpetie, atque uberrimis miſteriorum monumentis traditas, & ſi typis non excuſas, centum ferè annos quaſi ſub terra obliuione ſepultas, vel amiſſas iterum in lucem extollere. Tuum quidem pium deſiderium ambit animum, & Clericorum habitu; quinimo iamdiu Cruce Sancti Stephani Equitum inſignitus, cum in obſeruandis curijs, tum etiam armorum exercitio, rectiſſimam & nobilem Chriſti vitam ducere poſſe quemlibet enunciaſti: atque ſimul legum prudentia temetipſum ad ſemitam ueræ gloriæ direxiſti. Quapropter Authoris grauitas, materiesq; ſuprema conſideratione ſumma, dignitatis tuæ agregationis cumulo conueniet facilè. Et eo amplius, quoniam ob ſingulariſſimum tuum in Prædicatorum familiam affectum, venerabili, & magno huic Patri haud quaquam in-

 dignum

dignum erit, si tuo nomine prodierit in manus hominum. Suscipe igitur Equitum decus redeuntem ad te Voraginem, seruitutis meæ qua te prosequi vehementer cupio signum. Et scias velim, quod si munusculum hoc meum, gratum tibi comperuero; alacriorem mihi ipsi animum redditurum, ad aliorum atque etiam maiorum tibi cogitandam editionem. Et sicut, alter ille Angelus Cospus, in auctoribus grauitate præditis transferendis, magnopere bonarum literarum studio profuit: ipse etiam qui illum nomine instauras, idem opus studiosorum Mæcenas perficies absolutissimè, dum eos fouebis, ac fauebis. Vale.

VO-

VORAGINIS VITA A NICOLAO ANGELINO DELINEATA.




ORAGINES oppidum, aliàs Castrum Virginis nũcupatum, inter Genuam vrbem, & Sabatium, est in ora Ligustica situm; quamuis Genuensibus ipsis addictum, iurisdictione tamen in suburbia quamplurima, pagosque magnos plena potitur. Ibi ortus est Iacobus, qui sæculi declinans perniciem, Genuæ in Conuentu Diui Dominici, togam Prædicatorum suscepit, in quo patres litteris, & pietate florebant: cum quibus ipse ætatem utiliter, scientiarum studio, ac uitæ probitate transegit. Quare, meritò ei Lombardiæ superioris gubernandæ prouinciæ munus iniungitur. Primo quidem anno Domini MCCLXVII. Bononiæ electus, & confirmatus, adeo meritorum Patrum, & fratrum partem est assequutus, ut per decennium tali officio functus sit; ita F. Ioanne Vercellense, tunc Generali ordinis disponente. Secundo autem, & rursus in eadem Ciuitate Bononiæ anno MCCLXXXI. Prior prouincialis præfigitur; & quinque annos perquàm mirabile, & laudabiliter administrauit, vnde maximam est apud illius ætatis uiros doctrina, & sanctitate prçditos nomen clarissimum ade-

ptus. Nam ſacrarum litterarum ſtudio mancipatus, earumque lectione, & prædicatione perfrequens, vir quidem magnæ, uariæq; eruditionis euaſit; & ultra modum facundia, ingenij promptitudine, locutionis claritate, & eminentium miſteriorum vbertate repletus. Fuit Auguſtini operum ita ſectator præcipuus, ut omnia fere memoria retineret. Primus fidelitate ſumma, atq; ſolertia, multa utriusq; teſtamenti Italico ſermone conſcripſit; & ſupra omnes ſuæ tempeſtatis coetaneos, ac fermè etiam recentiores cunctos, aptiori, longeq; meliori modo, ſermones nouit, & conciones adnotare. Imo & ſi eo tempore barbarie undique obtuſo componeret; adeo tamen ingenioſè ignauiam illam eliminare dignouit, ut chariſſimus ubiq; ſemperque fuerit declamatoribus, non ſine præſtanti eorum emolumento; dum noua iugiter ab eo hauriuntur, a quodam ueluti inexplebili, profundaq; ſcripturarum, ſenſuum, & ſententiarum Voragine. Inde Trithemius ait, eum ab ubertate, & exuperantia Voraginem appellatum, quam aſſiduo literarum ſacrarum exercitio, nactum oſtendit. Cuius quidem teſtimonio patet quàm cœlebris extiterit Iacobi opinio, apud Authorem hunc uel egregium, licet aliunde ut diximus fuerit ita uocatus. Sui monumenta Iacobus literis prodidit: etenim ex diui Auguſtini doctrina, ut apis multa excerpens, Dei genitricis laudes, nec non & ſermones pro diebus quadrageſimæ, Sanctorum feſtis, ac Dominicis anni, florida qua pollebat eloquentia reliquit. Præterea


ut ingenij sui ad omnē studiorum genus panderet aptitudinem, Longobardorum historiam, Genuensium Cronicam, & multorum uitas Sanctorum, elegantiore literatura tanta, ac gestorum copia, & fidelitate digessit, quanta in eius generis ab hominibus, desiderari potest maxima, qui facta hęc per scruttando uaria perlegerunt: sicque iure illis primam sedem dedere omnes. Hisce igitur, & quam similibus plurimis, vir Iacobus magni nominis vbique locorum notus, Genuensis Archipræsul declaratur anno, M C C X C I I. Et uacante illis diebus Apostolica Sede, Cardinalium Collegium in Vrbis Genuensis honorem, a Cardinali Hostiensi Episcopo, (qui Papam consecrat) eum consecrari decreuit. Ad hanc pastoralem curam euectus, uerè patris ac speculatoris munus, & dignitatem compleuit: nihil quicquam prætermittens, quod sui temporis prælatorum uigilantiæ, prudentiæ, mansuetudinis, iustitiæ ac cęterarũ uirtutum oneri conueniret. Et inter nonnulla dignissima memoratu illud insigne notatum est. Quoniam Guelforum, & Gibellinorum furor, Genuensem ciuitatem discriminibus haud paucis labefactatam, ac per annos quinquaginta, seditionibus, & domesticis huius rei causa concertationibus, eò deductam conspiciens, ut actum prorsus de ea fuerit; insigni quadam unione, paci uoluit restituere. Nam obsecrando, increpando, atque iram diuinæ ultionis obtestatione minando, nunquàm defuit: & præfatę pacis intuitu Pontificijs indumentis, & infula,

la, Ciuitatem equester obambulauit: atque huius rei gratia uarias tunc piasque deuotissima dexteritate composuit cęremonias. Tandem ætate, ac meritis prouectus, obit mense Iulio MCCXCVIII. & sepelitur in sacello maiori ad dexteram Dominicani templi, conditus sepulchro marmoreo, & candido, a quo sub ara maiori quàm citius honorificè locandus transferetur, Patrum illius cœnobij pietate, ac beneuolentia.



IACO-

IACOBVS VORAGINES ARCHIEPISCOPVS GENVENSIS. LECTORIBVS.





Cogitaui dies antiquos, & annos æternos in mente habui: quoniam iam senili ætate confectus sum, & cœlestis patriæ desiderio anxius, ideo dies antiquos uitæ meæ sępe cogito, & annos æternos uitæ perpetuæ frequenter in mente recolo, uel reuoluo, ut sic ueraciter possim dicere cum Propheta, Cogitaui dies antiquos, Vtraq; autem cogitatio tam ætatis senilis, quàm uitæ cœlestis salubriter me inducit, ne in tempore paruo, quod restat, animus meus torpescat ignauia, uel desidia resoluatur; sed potius in Dei laudem, & gloriosæ Matris eius, dies antiquos meos finiam, ut sic annos æternos, fœliciter appræhendam, & quamuis Pontificali infula insignitus, quamuis in Episcopali speculo constitutus, cito tamen in cinerem resoluar, & in uentrem communis Matris cito ingrediar, vt ibidem me seruum ad requiem, donec in beata resurrectione, me pariat ad salutem. Quia igitur gloriosa Virgo Maria in se operantes, à peccato præseruat, & se laudantes copiosè remunerat, ipsa dicente, Qui elucidant me, uitam æternam habe-

bunt,

bunt, & qui operantur in me non peccabunt. Ideo volens suæ commendationi operam dare, & Virgineas laudes ipsamq; depromere, Præsens opusculum ipsa inspirante incœpi, & ad finem perduxi debitum, ipsa adiuuante.



INDEX

INDEX RERVM MEMORABILIVM, QVÆ IN HOC OPERE CONTINENTVR.



a, primam faciem designat, b, uerò secundam.

Beatus

Eua

Homo-

Vir-

FINIS.



INDEX SERMONVM QVAE IN HOC OPERE CONTINENTVR.



a, primam faciem designat, b, verò secundam.

Quibus

Beata

De

Genera

Apud

Eadem

dispen-

Finis Indicis Sermonum.



SERMONES AVREI DE BEATA MARIA VIRGINE

PAROCHIIS, ANIMAE curatoribus,& verbi Dei Concionatoribus ualde necessarij.

Auctore R.P. Iacobo de Voragine Ord. Pred. Archiepiscopi Ianuensis.

QVOTVPLEX ABSTINENTIA FVIT IN Virgine Maria. Sermo Primus.



ABSTINENTIA multiplex fuit in Virgine Maria. Est enim quadruplex genus, siue species abstinentiæ.

Prima est abstinere ab omnibus nociuis, de qua dicitur 1.Cor.9. Omnis qui in agone cõtendit, ab omnibus se abstinet. Ita sunt nociua vitia, & peccata ꝙ ab ipsis semper est abstinendum. Eccl.3. Cor sapiens & intelligibile, abstinebit se à peccatis.

Secunda abstinentia est quandoque a licitis, quia sicut dicitur 1.Cor.9. Omnia mihi licent, sed non omnia expediũt.

Tertia abstinentia est à superfluis, sicut à superfluitate curarum, & diuitiarum. Istam tamen abstinentiam non habent

peccatores. Eccl. 2. Peccatori dedit Deus afflictionem, & curã superfluã, ut addat, & cõgreget, & tradat ei, quę placuit Deo.

Quarta est abstinere à necessarijs sicut à cibo, & potu. Ibidem. Cogitaui in corde meo abstrahere à uino carnem meã. Istam talem abstinẽtiam habebat Daniel qui dixit Dan. 10. Panem desiderabilem non comedi, & caro, & uinum non introierunt in os meum.

Ista quadruplex abstinentia inuenitur fuisse in Maria. Ipsa nanque abstinuit ab omnibus nociuis, quia nulli unquam nocuit, nullum unquam lęsit. Hieron. in epist. ad Cromatiũ, & Heliodorum. Mariam irascentem nullus vnquam uidit, maledicentem nullus unquam audiuit. Ambro. in lib. de virginibus. Sollicita erat Maria nullum lędere, omnibus bene uelle, assurgere maioribus natu, æqualibus non inuidere, fugere iactantiam, rationem sequi, amare virtute... Quando illa vultu lęsit parentes? Quando fastidiuit humilem? quando irrisit debilem? quando uitauit inopem?

Secundò abstinuit à licitis. Licitum quidem erat matrimonium contrahere, sed ista ab isto licito abstinuit, & perpetuã virginitatem Deo uouit. Vnde dixit, quomodo fiet istud quoniam uirum non cognosco, idest me non cognoscituram propono. Consensit quidem in matrimonium quantum ad coniugalem habitationem simpliciter, quantum uero ad carnalem copulam non consensit, nisi sub conditione, uidelicet si aliter Deo placeret. Hugo de sancto Victo. Suscepit virgo cõiugium, sed non mutauit virginitatis propositum. Item quidem fides, & proprietas confitetur, quòd eius perfectionem nullatenus immutauit coniugalis, consensus, sicut ipsius castitatem non uiolauit conceptus, nec integritatem non abstulit partus.

Tertiò abstinuit à superfluis, quia nec superflua habuit, sicut patet in sui purificatione ubi agnum emere non potuit, nec superflua dixit, quia non est locuta nisi uerba, quę spectãt ad Dei honorem, & proximi ædificationem, uel ad suæ humilitatis ostensionem, nec superflua, sed vtilia, & necessaria cogitauit. Vnde dicitur Luc. 1. Cogitabat qualis esset ista salutatio. Nec superflua concupiuit, sed vnum tãtum necessariũ,

scilicet

scilicet adhęrere, & frui Deo, Luc. 1. Porrò unum est necessarium Ma. op. partem, &c.

Quartò abstinuit à necessarijs, sicut à cibo, & potu, & alijs necessitatibus corporis. Amb. ubi supra: Si quando Mariæ reficiendi successisset uoluntas, cibus plerunque obuius, qui mortem arceret non delitias ministraret. Dormire non prius cupiditas, quàm necessitas fuit. Et tamen cum quiesceret corpus, uigilabat animus, qui frequenter in somnis, aut lecta repetit, aut somno interrupto continuat, aut disposita gerit, aut gerendo pronunciat.

QVAS QVALESQVE CAVSAS B. V. PRO *nobis coram Deo assumpsit.* *Sermo II.*



ADVOCATA nostra est Maria, quæ causas nostras coram Deo assumens, Ipsas sapiēter incipit. Inceptas multis allegationibus eas defendit. Et ad finem prosperum producit.

Primò enim sapienter incipit, quia primo captat beniuolentiam. Secundò insinuat nostram miseriam. Vltimo petit Dei misericordiam. Ideò significata est per mulierem illam sapientissimam, quæ dixit ad Dauid. 2. Reg. 14. Sicut angelus domini, sic & dominus meus rex, ut nec maledictione, nec benedictione moueatur. Ecce captatio beniuolentiæ. Deus enim est tantæ bonitatis, quòd nec nostris benedictionibus extollitur, nec nostris peccatis, & maledictionibus commouetur. Deinde subdit. Omnes morimur, & quasi aqua dilabimur, quæ non reuertuntur. Ecce insinuatio nostræ miseriæ. Homo enim est spiritus uadens, & non rediens. Deinde subdit. Reduc abiectum tuum, idest peccatorem quem abiecisti per culpam, reduc per tuam misericordiam. Ecce imploratio misericordiæ.

Secundò causas nostras multis allegationibus defendit. Et primo sapienti uerbo. Ideo significata est per Abigail cui dixit Dauid 1. Reg. 25. c. Benedictum eloquium tuum, & benedicta tu, quæ prohibuisti me, ne ulciscerer me in manu mea. Ecce audiui uocem tuam, & honoraui faciem tuam. Bernar.

Aduocatam præmisit peregrinatio nostra, quæ tanquam iudicis mater,& mater misericordiæ suppliciter, & efficaciter nostra negocia pertractabit.

Secundò aduocat pietatis signo. Bern. Securũ accessum habes ò homo ad Deum, ubi mater ante filium, ubi filius ante patrem, mater ostendit filio pectus,& ubera, filius ostendit patri latus, & vulnera. Nulla ergo poterit esse repulsa, ubi tot concurrunt charitatis,& pietatis insignia.

Tertiò aduocat sanctitatis meritò. Si enim merita aliorum sanctorum pro nobis intercedunt apud Deum, multò fortius illa, quæ etiam plenitudinem obtinet meritorum, quę dicit Eccle. 24. In me omnis gratia uitæ, & ueritatis, in me omnis spes uitæ, & uirtutis.

Quartò aduocat ardenti desiderio. Desideria enim sanctorum sunt intercessiones pro nobis apud Deum. Vnde dictum fuit Dan. 9. Ego autem ueni, ut indicarem tibi, quia vir desideriorum es. Et ipsa dicit Cant. 2. Cum esset rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum. Nardus est herba calida,& signat eius desideria inflammata, quæ ad Deum ascendunt,& gratum odorem sibi faciunt.

Tertiò causas nostras ad finem debitum perducit. Tunc aduocatus causam suam ad finem debitum perducit, quando est sollicitus,& peritus,& in curia gratiosus. Debet quidem aduocatus esse diligens,& sollicitus, quia sæpe aduocatus ex sua negligentia succumbit in causa. Debet esse sapiens, & peritus, ut sapienter sciat inuenire uiam, quæ faciat pro causa sua. Debet esse gratiosus coram rege, & familia regis, quia si odiosus esset nihil proficeret. Talis aduocata est virgo Maria. psal. Astitit regina à dextris tuis. Ecce quantæ sollicitudinis, & diligentiæ est. Non enim ad horam recedit, sed à dextris Dei semper stat, & pro peccatoribus orat. Sequitur. In uestitu deaurato. Ecce quantę est sapientiæ. Per aurum enim in sacra scriptura intelligitur sapientia diuina. Alij igitur sancti habuerunt aurum, idest sapientiam diuinam, sed nullus uestitus fuit auro, nisi virgo beata. Tunc enim diuina sapientia ipsam uestiuit, quando nouem mensibus in eius utero habitauit. Sequitur. Circundata uarietate. Ecce quantæ est

gratiæ. Nam coram rege, & eius familia in tantum est gratiosa, quòd omnes eam circundant, associant, & honorant. In cœlo enim tot sunt uarietates, quot sunt sanctorum ordines, qui tanquam domicelli, & domicelle, reginam suam associāt. Istam talem aduocatam sanctus Bernardus inuocat dicens. Domina nostra, mediatrix nostra, aduocata nostra, tuo filio nos recommenda, tuo filio nos repręsenta. Fac ò benedicta ꝑ gratiam quam inuenisti, per prærogatiuam quam meruisti, per misericordiam quam peperisti, ut sicut te nunciāte dignatus est fieri particeps infirmitatis, & miseriæ nostræ, sic quoque te intercedente participes nos faciat gloriæ, & beatitudinis suæ Iesus Christus filius tuus, qui est super omnia Deus in sęcula benedictus. Amen.

ADIVTRIX NOSTRA FVIT B. V. SECVNdum quatuor causarum genera. Sermo III.

ADIVTRIX nostra est virgo Maria. Ipsa enim fuit adiutrix nostræ redemptionis, & nostræ iustificationis quantum ad quatuor genera causarum.

Primò quantum ad causam efficientem, quia illum genuit, qui nostram salutem operatus est. Secundò quantum ad causam materialem, quia de suis uisceribus nostræ redemptionis materiam ministrauit. Tertiò quantum ad causam formalem, quia per suam sanctam cōuersationem nobis exēplum bene uiuendi præbuit. Quartò quantum ad causam finalem, quia ad beatitudinem consequendam nobis à Deo data fuit, unde dicitur Apoca. 12. quòd in capite eius erat corona stellarum duodecim, quia omnes sancti per ipsam sunt coronati.

Secundò ipsa est adiutrix nostræ iustificationis. Circa cuius adiutorium tria sunt uidenda, scilicet, quàm efficaciter adiuuat, qualiter & propter quid. Multi sunt qui adiuuant, sed non efficaciter, aut quia non possunt, aut quia nesciunt, aut quia nolunt. Ipsa autem habet adiuuandi posse, quia ipsa est mater omnipotentiæ. Eccle. 24. In Hierusalem potestas mea. Habet adiuuandi nosse, quia ipsa est mater sapientiæ,

Prouerb. 14. Sapiens mulier ędificat domum suam. Habē adiuuandi uelle, quia ipsa est mater misericordiæ. Ideo dicitur Eccl. 24. Ego mater pulchrę dilectionis, timoris, & agnitionis, & sanctę spei. Ipsa est tantæ potentiæ, quòd demonibus est ad terrorem. Ideo dicitur mater timoris.. Est tantæ sapientiæ, quòd errantibus est ad directionem. Ideo dicitur mater agnitionis, & est tantæ pietatis, quòd desperantibus est ad spē, & ad reductionem. Ideo dicitur mater sanctę spei. Bernardus. Non deest ei potestas, quia est mater omnipotentiæ, nec uoluntas, quia est mater misericordiæ, nec industria, quia est mater sapientiæ. Secundò uidendum est qualiter adiuuat. Ipsa quidem adiuuat hominem in omni statu, scilicet in uita, in morte, & post mortem. Vnde cantatur de ea. Maria mater gratiæ, mater misericordiæ, tu nos ab hoste protege, & hora mortis suscipe. Adiuuat quidem in uita, tam bonos, quàm malos. Bonos scilicet in gratia conseruando. Ideo dicitur. Mater gratiæ. Malos uero ad misericordiam reducendo. Ideo dicitur, Mater misericordiæ. Adiuuat, & in morte ab insidijs protegendo. Ideo subditur. Tu nos ab hoste protege. Adiuuat post mortem animas in suis manibus suscipiendo, & eas in cœlum deducendo. Ideo subditur. In hora mortis suscipe.

Tertiò uidendum est, propter quid adiuuat. Circa quod notandum est, quòd plura sunt, propter quæ tenetur iuuare nos. Primò enim propter debitum. Ipsa enim multum tenetur peccatoribus sicut dicit Aug. quia per eos habet quicquid habet, quia peccatores si nos non fuissemus, Christus de ea carnem non suscepisset, & sic ipsa mater Dei non fuisset. Nos igitur sibi tenemur, quia per ipsam nos sumus reconciliati. Et ipsa tenetur, quia pro nobis ipsa est mater. Secundò propter officium commissum. Deus enim de ea confidens omnes gratias sibi fiendas commisit, & ipsa officium suum diligenter facit. Nam iuuat tribulatos dando eis patientiam. Prouerb. vltim. Confidit in ea cor uiri sui, & spolijs non indigebit. Et sequitur. De nocte surrexit, ut scilicet, tribulatis subueniat. Adiuuat tribulatos dando uictoriam, unde sequit. Dedit prædam domesticis suis. Adiuuat in Dei amore famelicos,

licos, dando eis refectionem internam, unde subditur. Et cibaria ancillis suis. Tertiò propter animum suum viscerosum. Nam diuina pietas in eius utero nouem mensibus habitauit, & ideo ipsam totam pietate repleuit. Bernardus. Quid mirũ si pietatem exhibent viscera pietatis? Nonne qui pomum in manu sua tenuerit dimidia diei hora, reliqua diei parte pomi seruabit odorem? Quantum ergo illa uiscera pietatis uirtus affectus affecit, in quibus nouem mensibus diuina pietas requieuit. Quartò propter diuinæ bonitatis beneficium. Si enim Deus sibi in tantum fuit liberalis, non debet ipsa pro nobis esse auara, sed de plenitudine nobis effundere, quàm acцepit, de qua ipsa dicit Eccl. 24. In plenitudine sanctorum detentio mea. Legitur 3. Reg. 1. quòd Bersabee filio suo regnũ suis precibus impetrauit. Bersabee interpretatur. Puteus satietatis. Puteus noster, idest animus noster, aut est siccus, aut est semiplenus. Puteus autem virginis fuit plenus, & superplenus, & ideo de sua plenitudine debet nobis effundere.

QVIBVS RATIONIBVS B. V. AMIGDALO *assimiletur.* *Sermo IIII.*

AMIGDALVS significat Mariam virginem, ratione, arboris, floris, & fructus.

Arbor enim amigdali fuit tripliciter mundata, & depurata. Dicit enim Isid. quòd quando radix amigdali est amara dulcoratur, & depuratur per surculum arboris pictè. Iste surculus est uerbum Dei. Iac. 1. Suscipite insitum uerbum. Istum surculum Maria insitum in corde habebat. Luc. 2. Maria conseruabat omnia uerba hæc, conferens in corde suo. Et iam mundabat ipsam. Io. 15. Iam uos mundi estis propter sermonem quem locutus sum uobis. Paladius quoque dicit, quòd amigdalus amaritudine liberatur per immissione cunei in radicem. Iste cuneus est spiritus sanctus, qui nodum omnis peccati ab ea expulit, & abiecit Philosophus quoque dicit, quòd si amigdalus uetusta, clauis perforetur emittet gũma, & depurabitur humor in medulla, & amplius fructificabit. Per istud foramen intelligitur occulta inspiratio Dei, de qua dicitur Cant. 5. Dilectus meus misit manum suam per

foramen. Legitur quoque Exo.15. quòd aquæ Marath dulcoratę sunt per immissionem ligni. Per istud lignum intelligitur filius Dei, qui plantatus fuit secus decursus aquarum. Maria igitur fuit perfectè depurata, & mundata, & per sermonem diuinum eius animum adimplentem, & per spiritum sanctum eam sanctificantem, & per diuinam inspirationem eius mentem penetrantem, & per filium Dei in eius uterum immittentem.

Secūdò dicitur amigdalus ratione floris. Sicut enim amigdalus ante omnes arbores flores producit, sic & ipsa ante omnes mulieres uotum virginitatis emisit, & post eam multę. Ps. Adducentur regi virgines post eam. Ex ista virginitatis promissione secuta est conuersio gentium, & reprobatio Iudæorum. Eccl. vlt. Florebit amigdalus, & dissipabitur caparis, impinguabitur locusta. Tūc amigdalus floruit, quādo virgo beata uotum virginitatis emisit. Et tunc locusta, idest gentilitas instabilis, & uaga, gratia spiritus sancti impinguata fuit. Caparus uero, idest populus Iudæorum in dissipationem iuit. Caparus enim est frutex spinosus super terram expansus, & significat populum Iudaicum durum, & rebellem, & terrenis semper adhærentem.

Tertiò dicitur amigdalus ratione fructus. Nam eius fructus sunt nuces longę. Dicit autem Aug. in sermone ubi loquitur de virga Aaron, quę protulit nuces, quòd in nuce sunt tria, scilicet, corium, testa, & nucleum. Per corium signatur caro Christi, quæ habuit asperitatem, & amaritudinem passionis. Per nucleum intelligitur eius diuinitas, quæ habuit dulcedinem, & dat illuminationem. Per testam, quæ est inter nucleum, & corium media, significatur eius anima, quæ fuit firma contra omnia aduersa, & quæ est media inter naturam diuinam, & carnem, quæ mediante anima, diuinitas ipsa fuit carni vnita.

CIRCA TRIA AMOR BEATAE VIRGINIS uersabatur. Sermo V.

AMOR beatæ Mariæ uersabatur circa amorem filij, uel circa amorem Dei, uel circa amorē terrenorum. Amabat quidem

quidem filium amore præcordiali,& intimo. Amabat Deum amore seraphico. Amabat cætera omnia amore ordinato. Filium quidem amabat amore præcordiali, & intimo, quod taliter ostendi potest. In Christo enim erat triplex substantia, scilicet, caro, anima, & deitas. In matre similiter erant tria caro, anima & spiritus. Erat igitur inter matrem, & filium triplex coniunctio, scilicet, carnis ad carnem secundum naturam, animæ ad animam secundum amicitiam, & spiritus ad deitatem secundum gratiam.

Amabat igitur Christum amore naturæ, ut mater filium. Amore gratiæ, ut creatura creatorem suum. Amore amicitiæ, ut amica dilectum. Tam magnus igitur amor fuit matris ad filium, quòd ipsa tota erat in amorem conuersa. Sicut enim ferrum missum in igne totus efficitur ignis, sic ipsa charitate succensa, tota facta est charitas, quia ipsa tota in amorem conuersa, & liquefacta erat. Cant. 5. Anima mea liquefacta est, &c. Quia ipsa tota erat amore vulnerata, unde dicit sponsa. Vulnerata charitate ego sum.

Secundò ipsa amabat Deum amore seraphico. Sicut autem dicit Dionysius in angelica Hierar. Amor Seraphin est mobilis, acutus, calidus, & superferuidus. Amor igitur Dei fecit eam mobilem ad cito credendum Deo. Secundò fecit eã acutam, idest humilem ad subijciendum se Deo. Sicut enim superbia facit hominem grossum, sic humilitas facit subtilẽ, & acutum. Ista duo tangit cum dixit. Ecce ancilla domini: Ecce humilitas in subijciendo se Deo. Fiat mihi ẽm uerbum tuum. Ecce magnanimitas in credendo. De his duobus dicit Bern. Ista tanta humilitas, non minuit eius magnanimitatẽ, nec tanta eius magnanimitas, ut in sui æstimatione esset humilis, & nihilominus in promissionis credulitate magnanimis. Agit hoc nimirum in seruis Dei diuinæ gratiæ prærogatiua, ut eos, nec humilitas pusillanimes, nec magnanimitas faciat arrogantes. Tertiò facit eam calidam, idest ualde feruentem, quia mox ad alta uirtutum conscendit, quod significatum est in hoc, quòd concepto saluatore statim abijt in montana. Ambrosius super Luc. Abijt in montana non quasi incredula de oraculo, nec quasi incerta de nuncio, nec quasi

dubitans

dubitans de exemplo, sed quasi læta pro uoto, religiosa pro officio, festiua pro gaudio. Quo enim iam Deo plena, nisi ad superiora conscenderet. Et hoc cum festinatione, quia nescit tarda molimina spiritus, scilicet, gratia; Beda in homel. Abijt in montana, quæ gustata suauitate supernorum ciuium, humilitatis gressibus se ad alta virtutum transtulit. Tres autem causas ponit Amb. quare iuit cum festinatione. Vna est, quia nolebat diu morari in publico. Secunda est, quia impellebatur ab immenso gaudio. Tertia est ad innuendum, quòd feruentes debent esse illi, qui sunt pleni spiritu sancto. Quarto fecit eam superferuidam, idest in solo Dei amore quiescentem. Omnem enim amorem mundanum impatienter se rebat, & solum Dei amorem anhelabat, Cant. 5. Nunciate di lecto meo, quia amore langueo.

Tertiò amabat cætera omnia amore ordinato. Nam secundum Augu. quatuor sunt gradus amoris. Primò enim debemus, quod supra nos est diligere, scilicet, Deum, deinde, quod nos sumus, deinde qđ iuxta nos est, scilicet, proximum, deinde quod infra nos est. Beata igitur virgo ordinatum amorem habuit, quia quod super se erat reuerenter diligebat, scilicet, Deum. Et quod iuxta se erat, scilicet, filium dilexit dulciter. Quod ipsa erat, scilicet, seipsam dilexit sapienter. Quod infra se erat, scilicet, genus humanum dilexit misericorditer. Propter ista quatuor ipsa dicit Eccl. vigesimoquarto. Ego mater pulchræ dilectionis, & timoris, & agnitionis, & sanctæ spei. Ipsa enim fuit mater pulchræ dilectionis, quo ad filium, qui præ sui pulchritudine est diligendus, quem dilexit dulciter, & timoris, quo ad Deum, quem timore filiali dilexit reuerēter, & agnitionis, quo ad se, quia se dilexit sapienter, & sanctæ spei, quo ad genus humanum, quod dilexit misericorditer.

QVATVOR EX SIGNIS COGNOSCITVR B.V. fuisse ancilla Dei. Sermo VI.

ANCILLA Dei est virgo Maria, quæ dixit. Ecce ancilla, Sunt autem quatuor signa, per quæ cognoscitur.

Primum est, quando in humilitate se conseruat semper. Talis ancilla fuit Hester regina, quæ dixit Hester. 14. Tu scis Domine quòd abhominiter signum superbiæ, & gloriæ meæ, & nunquam lętata sum ancilla tua nisi in te Domine Deus. Commendabilis fuit tanta humilitas, quæ cum esset regina, tamen sic erat humillima. Humilitas enim honorata multũ est Deo grata. Istam humilitatem habuit Virgo beata, quæ licet fuerit ab angelo reuerenter salutata, licet à Patre cœlesti, ab eterna fuerit electa, & prælecta, licet filio fuerit impregnata, licet à spiritu sancto fuerit omni gratia repleta, licet à tota Trinitate in reginam sit electa, & assumpta, tamen recognoscit se minimam ancillam, dicens. Respexit humilitatem ancillæ suæ. Ber. super missus est. Quæ est hæc tam sublimis humilitas, quæ honori cedere nouit insolescere gloria nescit. Dei mater eligitur, & ancillam se nominat. Non est magnum esse humilem in abiectione. Magna uerò prorsus, & rara virtutis humilitas honorata.

Secundum signum est, quando iram Dñi placat, & reconciliat. Talis ancilla fuit Abigail, quæ Dauid iratum placauit, unde ipsa dixit 1. Reg. 15, Loquatur obsecro ancilla tua in auribus tuis, & audi uerba famulæ tuę. Talis ancilla Dei fuit beata virgo, quæ Deum contra genus humanum iratum sua humilitate placauit. Eua habuit duos Dominos, scilicet, maritum, & Dei filium, sed unum fecit eici de Paradiso, aliũ fecit suspendi in ligno. Econtrario similiter Maria habuit duos patres, & Dominos, scilicet, Dei filium, & genus humanum cuius ipsa fuit filia, sed unum, scilicet, Dei filium, de cœlo ad iram deduxit, & nouem mensibus in suo utero habitare fecit. Alium, scilicet, genus humanum Deo reconciliauit. Aug. mater generis humani pœnam intulit mundo, genitrix Domini nostri gaudium attulit mũdo. Auctrix peccati Eua. Auctrix meriti Maria. Eua occidendo obfuit, Maria uiuificando profuit, percussit illa, sanauit ista.

Tertium signum est, quando inimicos Domini sui non recipit, sed ipsos confutat, & expellit. Talis ancilla fuit Iudith: quæ Holofernem interfecit, Et dixit Iudith. 13. Non permisit me Dominus ancillam suam coinquinari, sed sine pol-

lutione

lutione peccati reuocauit me uobis, gaudentem in uictoria sua in euasione mea, & in liberatione uestra. Talis ancilla fuit virgo beata, quæ caput dæmonum, idest ipsum principē dæmoniorum contriuit. Gen. 13. Ipsa conteret caput tuum. Quæ potestatem eius ligauit. Iob. 40. Ligabis eum ancillis tuis. Quæ in tota curia infernali magnam confusionem fecit, Iudith. 14. Vna mulier Hebręa fecit confusionem in domo Nabuchodonosor. Istam talem ancillam non permisit Deus coinquinari, quia seruauit eius virginitatem, & fuit sine pollutione, quia habuit totius peccati immunitatem. Ipsa de inimico Dei fecit magnam uictoriam. Ipsa euasit carnis spurcitiam. Ipsa fecit liberationem nostram. Qualiter autem potestatem dæmonis contriuit dicit Bern. Multis uersutijs serpens insidiatus est calcaneo Mariæ, sed facta cau sa, quoniam omnem prauitatem hæreticā ipsa sola contriuit. Arius siquidem non de substantia carnis suæ Christum edidisse illa dogmatizabat. Alius non paruulum peperisse, sed reperisse sibillabat. Sed contriti sunt insidiatores conculcati sunt supplantatores confutati sunt derogatores, & eam dicunt beatam omnes generationes.

Quartum signum est, quando ad omnem obedientiam se parat, iuxta illud psal. Ecce sicut oculi seruorum in manibus dominorum suorum, &c. Per oculos intelligūtur intellectus, & affectus. Per manum Dei intelligitur eius potentia, uel ipse filius Dei. Sicut enim homo operatur per manū, sic per ipsum omnia facta sunt. Vel per manum intelligitur eius uoluntas, quia sicut homo operatur manu, ita Deus sola uoluntate operatur. Vnde dicit Aug. quòd Dei facere est à se fieri uelle. Beata igitur virgo Maria ancilla Domini, oculos suos, scilicet, intellectum, & affectum habuit in manibus Dei, idest in potentia Dei, considerando in seipsa opera suæ potentiæ, vnde ipsa dicit. Quia fecit mihi magna, qui potens est. Itē fecit potentiam in brachio suo. Habuit intellectum, & affectum in manu Dei, idest in filio Dei, ipsum super omnem intellectum angelicum cognoscendo, & eum super omnia diligendo. Habuit etiam oculos suos, idest totum affectum, & intentionem suam in manu Dei, idest in uoluntate Dei, quia

quicquid Deus uoluit ipsa uoluit semper. Nam si Deus uoluit, ut uotum uirginitatis emitteret, statim emisit. Si uoluit ut matrimonio consentiret, statim consensit. Si uoluit, vt Dei filium conciperet, statim desiderauit. Si uoluit, ut in Ægyptum iret, statim iuit. Si uoluit, ut de Aegypto rediret, statim redijt. Ecce quõ oculi sui semper fuerunt in manu Dei.

PER QVEM ANGELVM, ANNVNCIATIO Beata Virgo fieri debuit. Sermo VII.

ANNVNCIATIO filij Dei, quæ facta fuit beatæ virgini, non debuit fieri per aliquem hominem, sed per Angelum, & non per Angelum missum ab aliquo angelo, sed missum à Deo, nec per angelum infimum, sed per summum.

Debuit igitur fieri per angelum multiplici ratione. Vna est, ut modus redemptionis respondeat modo perditionis, ut sicut Eua à malo angelo edocta, fuit occasio nostræ perditionis, sic Maria à bono angelo instructa, fieret causa nostræ salutis. Beda, quia mors intrauit per fœminam, aptè redijt uitã per fœminã. Illa siquidem à diabolo seducta per serpentem, gustum necis uiro obtulit. Hæc à Deo per angelũ edocta mundo salutis auctorem edidit. Prouerb. 14. Mors & uita in manu linguę, serpentis fuit mors pestiferę suggestionis. In manu linguæ fuit mors dubitationis. In manu linguę Adæ fuit mors stultę excusationis, sed in manu linguæ virginis fuit uita nostræ salutis. Secunda ratio est, ut inter homines, & angelos pax reformaretur. Angelus quidem oderat hominem, quia ipsum sua restauratione defraudauerat. Homo odiebat angelum, quia per ipsum deceptus erat. Et quia Christus carnem assumebat, ut utrosque reconciliaret, ideo uterque in hoc negocio uoluit, ut ministerium exhiberet. Col. 1. Pacificans per sanguinem crucis eius, siue quæ in cœlis, siue quæ in terris sunt. Tertia ratio est, quia pro minoribus negocijs Deus angelos sæpe mittere consueuit. Nam misit Raphaelem ad curationem infirmitatum. Misit Gabrielem ad liberationem captiuorum, Dan. 9. Misit Michaelem ad ex-

pugnationem inimicorum, ut habetur Apoca. 12. Congruū igitur fuit, ut angelus mitteretur ad annunciandum illum, q̄ ueniebat ad infirmitatum curationem, ad captiuorum liberationem, & ad hostium expugnationem. Isa. 64. Spiritus Domini super me, & infra, ut mederer contritis corde. Ecce infirmitatum curatio. Et prædicarem captiuis indulgentiam. Ecce captiuorum liberatio. Et diem ultionis Deo nostro. Ecce hostium expugnatio. Quarta ratio est, quia virgo beata virginitatem seruabat, hominum consortia fugiebat, angelos sæpe uidere consueuerat. Quia virginitatem seruabat, debuit ab angelo salutari. Quia hominum consortia fugiebat, debuit ab angelo uisitari. Quia angelos sæpe uidere consueuerat, debuit in hoc negocio eius familiariter coniungi. Hieronymus. Profectò ad virginem angelus mitti debuit, quoniam est semper cognata virginitas. Profecto enim in carne preter carnem uiuere angelica uita est non humana, unde in carne angelicam gloriam quærere, maius meritum est, quā habere. Esse quippe angelicum fœlicitatis est esse virginem virtutis, dum hæc gratia obtinere nititur, quod habet angelus essentia.

Secundò iste angelus non debuit mitti ab alio angelo, sed à Deo, & hoc triplici causa. Prima ratione negocij pro quo mittebatur, quòd tam grande erat, quod ad istud non debuit mitti aliquis sublegatus, sicut fuisset angelus, qui missus fuisset ab angelo, nec aliquis simpliciter legatus, sicut fuisset angelus aliquis, sed legatus talis, ut Archangelus Gabriel, qui Deo semper assistit. Luc. 1. c. Ego sum Angelus Gabriel, qui sto ante Deū. Secunda causa est rōne virginis, quia secūdum Bernardum non fuisset conueniens, ut Deus tale secretum angelis reuelasset, prius quam virgini, excepto, scilicet, Angelo Gabriele. Et ista fuerunt quatuor, sicut dicit Bernar. ad Hugonem de sancto Victore, scilicet, tempus, locus, modus, & persona eligenda. Cætera enim multis prophetis reuelatę sunt. Tertia causa est ratione cuiusdam congruitatis. Debuit enim mitti à patre, quia opus erat potentiæ. A filio, quia erat opus sapientiæ. A spiritu s. quia erat opus gratiæ, & misericordiæ.

Tertiò

Tertiò non debuit mitti Angelus infimus, ſed ſummus, ſicut fuit Angelus Gabriel. Bern. Non arbitror hunc Angelũ ad virginem miſſum de minoribus eſſe, qui qualibet ex cauſa ſolent ad terras crebra fungi legatione. Eius autem magnitudo apparet ex tribus magnis officijs, quæ ſibi Deus in ſua curia commiſit. Primum eſt reuelatio ſecretorum, unde dicitur Dan. 7. Gabriel fac iſtam intelligere uiſionem. Secundum eſt victoria præliorum. unde dicit quædam gloſa ſuper Dan. quòd Gabriel præpoſitus eſt à Deo prælijs grãdis. Tertium eſt aſſiſtentia ante Deum. Vnde ipſe dicit. Ego ſum Gabriel angelus, quia ſto ante Deum, Magnum eſt igitur ſecreta reuelare, Maius eſt victoriam præliorum concedere. Maximum eſt ante Deum ſemper aſſiſtere.

QVOMODO APIS DICI BEATA VIRGO potuit. *Sermo VIII.*

APIS dicitur virgo Maria, quia fuit breuis per humilitatem, uolatilis per ſupernorum contemplationem, mellificans per cœleſtis fructus productionem. De his tribus. Eccl. 11. Breuis in uolatilibus apis, & initium dulcoris habet fructus illius. De iſta ape dicit Ambroſius in libro de virginibus. Apis rore paſcitur, & concubitus neſcit, mella componit. Sic B. V. rore cœleſti. i. gratia ſpiritus ſancti paſta fuit, Virgo permanſit, Paradiſi dulcedinem generauit.

Notandum, quòd apes quatuor diligunt. Primò aerem ſerenum, quia tunc plus de rore inuenitur, & in tempore pluuioſo à uolatu impediuntur. Secundò abundantiam florum. Tertiò ſuauem ſonum. Nam dicit Ariſto. per cantilenas, & ſuaues ſonos attrahuntur. Quartò dulce uinum, quia deficiẽte mille dulci vino paſcuntur. Iſta quatuor virgo beata dilexit, & in ſe habuit. Primò ſerenitatem internæ conſcientiæ. pſal. Omnis gloria eius filiæ regis ab intus. Secundò flores virtutum, & omnis gratiæ, ideſt uirtutum diuerſitate. Tertiò ſonum allocutionis diuinæ. De quo ſono dicitur ibidem. Audi filia, & vide, &c. Cant. 5. Vox dilecti mei pulſantis, ape

ſcilicet,

ri mihi soror mea. Quartò vinum iocũditatis internæ. Cant. 7. Guttur tuum, sicut uinum optimum, dignum dilecto meo ad bibendum, labijsque & dentibus eius ad ruminandum. De his quatuor dicitur. Cant. 2. En dilectus meus loquitur mihi. Ecce interna allocutio. Surge, propera amica mea, & ueni. Nam hyems transijt, imber abijt, & recessit, ecce serenitas cõscientiæ. Flores apparuerunt in terra nostra. Ecce diuersitas uirtutum, & gratiæ. Vineæ florentes dederunt odorem suum. Ecce uinum iocunditatis internę. Tunc enim dant odorem animæ tanquam florentes uineæ quando coram Deo redolẽt interna iocunditate.

AQVAEDVCTVS QVIBVS RATIONIBVS Beata Virgo appelletur. Sermo IX.

AQVAEDVCTVS fuit virgo Maria, quæ dicit Eccl. 24. Ego quasi aquæductus exiui de Paradiso, idest de delitijs misericordiarum Dei. Per istum aquæductum fluunt aquæ gratiarum de cœlo in mundum. Vnde sequitur. Rigabo hortum plantationum. Et quia istę aquæductus in tantum necessarius est, quòd diabolus ipsum frangere conatur. Hoc significatum est Iudith. 7. vbi dicitur, quòd Holofernes præcepit incidi aquæductum, quia per illum influebat fons in ciuitate. Tunc autem diabolus incidit, quando nos ab eius deuotione retrahit. Istę autem aquæductus commendabilis est, ex parte sui, ex parte nostri, & ex parte modi, & ex parte aquæ.

Ex parte quidem sui commendabilis est, quia habet effluere, & refluere. Nam aquæ gratiarum per ipsum aquæductum nóbis de cœlo effluunt. Sap. 5. c. Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa, & innumerabilis honestas per manus illius. Ipse etiam aquæ gratiarum ad cœlum refluunt, dum ipsa ad referendum Deo gratias nos inducit iuxta illud Eccle. 1. Ad locum unde exeunt flumina redeunt, ut iterum fluant. Est ẽt iste aquę eductus commendabilis ex parte sui, quia habet magnam longitudinem, & sublimitatem. Eius autem longitudo tanta est, quòd attingit à cœlo usque ad terram, Bern. Aquę-

ductus

ductus est Maria cuius nimirum summitas inter scalæ Iacob cœlos tangit, immo etiam trascenditur illum aquarum fontē, quæ super cœlos sunt, attingem, posset. Latitudo autem istius aquęductus tanta fuit, quòd etiam fontem diuinum capere potuit. Bern. Natus est fons usque ad nos, quia descendit illa cœlestis uena per aquæductum, nam tamen nobis fontis copiam exhibens, sed stellicidia gratiæ, cordibus nostris arcutibus infundens. Alij quidem plus, alij quidē minus accipiunt. Plus equidem aquæductus, ut cæteri de plenitudine, sed non plenitudinem ipsam accipiunt. Bern. Aquæductus est Maria, quæ plenitudinem fontis de corde patris accepit, & nobis illum non prout est, sed prout capere poteramus edidit. Altitudo uero istius aquæductus tanta fuit, quòd usque ad fontē totius diuinitatis se erexit, & illum attigit. Bern. Quomodo *hic* noster aquæductus fontem illum attigit tam sublimen, quo putas nisi uehementia desiderij, feruore deuotionis, puritate orationis. Quomodo igitur maiestatem attigit inaccessam, nisi pulsando, petendo, quærendo.

Secundò istę aquæductus commendabilis est ex parte nostri. Nos enim aquas gratiarum de cœlo habere non poteramus propter nimiam cœli altitudinem, & nimiam nostri depressionem. Et ideo oportuit, ut in medio esset aquæductus. Bern. Propterea humano generi tanto tempore fluenta gratiæ defuerunt, quia nondum intercesserat aquæductus. Idem. Quæramus gratiam, sed per inuentionem gratiæ Mariam. Cęterum illud quicquid est, quòd offerre Deo pars Mariæ commēdare memento, ut eodem alueo ad gratiæ largitorem, gratia redeat quo influxit. Neque enim impotens erat Deus sine hoc aquęductu gratiam prout uellet infundere, sed tibi uoluit nihilominus uehiculum prouidere, quia fortè manus tuæ plenè sunt sanguine. Itaque modicum, quod Deo offerre desideras, grauissimnm illi, & omni acceptione dignissimum. Mariæ manibus offerenda trade si non uis repulsam sustinere.

Tertiò istę aquęductus commendabilis est ex parte modi. Iste autem modus duplex est. Primus est, quia diuersimodè se diffundit. Nam quibusdam se diffundit in modum aquę

putei, quibuſdam in modum aquę fontis, quibuſdam in modum aquę fluminis. Puteus habet aquas occultas, & cum labore eductas, & quantum ad hoc ipſa ſe diffundit peccatoribus, quia aqua gratię eſt in eis occulta, ſed tamen per laborē pœnitentię poteſt hauriri. Aqua uerò fontis ſine labore hauritur, & continuè emanat. Et quantum ad hoc diffundit ſe bonis, & ſibi deuotis, quia eis continuè gratiam ſuam tribuit, & ſine multo labore ſe eis diffundit. Aqua uerò fluminis in magna abundantia emanat, & quantum ad hoc diffundit ſe beatis quibus largiter, & abundanter aquam ſpiritus ſancti tribuit. Iſta triplex differentia tangitur cum dicitur Cant.4. Fons hortorum. Ecce quia communicat ſe bonis, & deuotis in modum fontis. Puteus aquarum uiuentium. Ecce quia communicat ſe peccatoribus in modum putei uiuificantis. Quę fluunt impetu de libano. Ecce quia communicat ſe beatis in modum fluminis in abundantia, & cum impetu decurrentis. Secundus modus eſt, quia abundanter, & largiter ſe diffundit. Aqua quidem largiter ſe diffundere, & fluere con ſueuit multis de cauſis.

Primò ex nimia repletione, ſicut patet in flumine repleto, quód in loca uicina ſe diffundit. Et quia beata virgo nimiū eſt repleta, ideo de ſua plenitudine in corda per deuotionem ſibi uicina ſe diffundit. Eccl.24. In plenitudine ſanctorum detentio mea. Ideo uocauit eam Angelus gratia plena.

Secundò ex uiolentia uentorum impreſſione, ſicut patet in mari, quòd quando uiolentia uentorum impellitur intumeſcit atque diffunditur. Auſter enim ſpiritus ſancti ſic eius mē tem afflauit, quòd ad diffundendum ſpiritualiter impellit. Cant.4. Surge aquilo, & ueni auſter, & perfla ortum meum, & fluent aromata illius.

Tertiò ex nimia, & uehementi ebulitione. Quando enim uas nimis ebulit tunc aquam extra proijcit. Ignis quidēm ſpiritus ſancti ſic eius mentem inflammauit, & ſic eam ebulire facit, quòd ad ſpargendum nobis aquam ſuæ gratiæ ipſe impellitur, ut non ſit, qui ſe abſcondat à calore eius.

Quartò ex uaſis concuſſione. Si enim uas plenum aqua concutitur, mox aqua effunditur. Ipſa auē Dei ſitula gratia Dei

Dei repleta, & ideo ſiquis eam cum deuotione tetigerit, mox gratiam ſuam effundit. Nume. 24 c. Fluet aqua, ideſt gratiæ abundantia, de ſitula eius, i. de Virgine Maria matre eius.

Quintò ex uallium depreſſione. Sicut enim aqua ſe in ualles diffundit, & in loca depreſſa, ſic & ipſa aquam ſuæ gratiæ immittit in corda humiliũ. Pſ. Qui emittit fontes in cõuallib.

Sextò ex lunæ uirtuoſa operatione, ex qua fiunt fluxus, & refluxus in mari. Luna eſt virgo Maria, à qua procedit fluxus gratiarum, dum nobis gratiam effundit, procedunt, & refluxus dum omnia ad Deum per recognitionem gratiarum refundere nos inducit. Eccl. 1. Ad loca, vnde exeunt flumina reuertuntur, ut iterum fluant.

Quartò iſtę aquæductus commendabilis eſt ex parte aquę, quæ habet aquas puriſſimas. Tunc autem ſecundum Ariſto. aqua eſt pura, quando nullum habet colorem, nullum odorẽ, nullum ſaporem. Aqua igitur gratiæ beatæ Mariæ eſt pura, quia aufert à nobis colorem, ideſt mundanam conuerſationem. Rom. 12. Nolite conformari huic ſęculo, &c. Aufert odorem, ideſt præteritorum peccatorum uanam recordationem, quem odorem habebant, qui dicebant Nume. 11. cap. Recordamur piſcium, quos comedebamus in Ægypto gratis, &c. Aufert ſaporem, ideſt mundi amorẽ, ut ſcilicet, amor mũdi ſibi deſpiciat amor Dei ſibi ſapiat, q̃a ſicut dicit Chryſo. Verè non habet ſuper terram, quòd amat, qui donum cœleſte in ueritate guſtauerit.

COMPARATVR B. V. ARBORI COELESTI, *quo ad folia flores, & fructus.* Sermo X.

ARBOR cœleſtis eſt Virgo Maria, quæ protulit folia flores, & fructus. Folia fuerunt eius uerba, de quibus dicitur Apoc. 22 Et folia ligni ad ſanitatem gentium vnum enim folium fuit ad ſanationẽ carnalis concupiſcentiæ cum dixit. Quomodo fiet iſtud, q̃m uirum non cognoſco? Aliud ualet ad ſanationem ſuperbiæ, cum ait, Reſpexit humilitatem ancillę ſuæ. Tertium ualet ad ſanationem auaritiæ, cum dixit. Eſurientes impleuit bonis. Flores fuerunt uirtutes, quos flores habuit in triplici excellentia.

Primò, quia flos virginitatis in ipsa primo apparuit. Cant. 2. Flores apparuerunt in terra nostra, idest in Virgine Maria, quæ dicitur terra, iuxta illud Isa. 45. Aperiatur terra, & germinet saluatorem.

Secundò, quia in floribus uirtutum fuit tota circundata, & uallata, ita ut nec in modico impuritas in eius cor mittere potuerit, unde cantatur de ea. Sicut dies uerni circundabant eam flores rosarum, & lilia conuallium. Istam talem circundationem, & uallationem non habuerunt aliæ virgines, nec alij sancti, quia nullus unquam fuit, ita uallatus uirtutibus, quin hauserit cum aliquo sensu corporis aliquam impuritatem saltem uenialem.

Tertiò, quia floribus uirtutum sic fuit uallata fulcita, & confirmata, ut nunquam potuerit per peccatum inquinari. Cant. 2. Fulcite me floribus. Istud tale fulcimentum non habuerunt alij sancti, quin à virtutibus per peccatum cadere potuerint. Fructus autē huius arboris fuerunt eius opera. Cant. 7. Videamus si flores parturiunt fructus. Maximè autem fructus huius arboris fuit ille, de quo dicitur. Benedictus fructus uentris tui. Iste enim fructus uerè fuit benedictus, scilicet, in odore, colore, & sapore. Est enim suauis ad odorandum. Eccle. 24. Ego quasi uitis fructificaui suauitatem odoris. Est uenustus. & honorabilis ad intuendum, unde sequitur. Et flores mei fructus honoris. Est dulcis ad gustandum. Cant. 2. Fructus eius dulcis gutturi meo.

REPRAESENTATVR B. V. PER ARCAM, quam Deo fecit Moses. Sermo XI.

ARCHA Dei, quam fecit Moyses fuit Virgo Maria, quæ commendabilis est, ex causa efficienti, materiali, & finali. Causa autem efficiens est ipse Deus, qui ipsā fecit, & habitauit. Psal. Homo natus est in ea, & ipse fundauit eam altissimus. Deus in B. Virgine fuit altus, quando eam in utero sanctificauit. Fuit altior, quando de ea integra virginitate nasci uoluit. Fuit altissimus, quando ipsam super omnes Angelos exaltauit. Materia autem huius archæ fuit

de lignis Sethim, quæ ligna secundum Hierô. habent leuitatem, pulchritudinem, fortitudinem, & imputribilitatem, per quę intelliguntur quatuor dotes corporis eius. Corpus enim modo est leue per subtilitatem, pulchrum per claritatem, fortè per agilitatem, & imputribile per immortalitatem.

Forma autem huius archæ fuit, quia habuit in longitudine 2. cubitos, & semissem, idest quinque palmos. Iosephus uocát hic cubitum duos palmos. Fuit ergo ista archa spiritualis quinque palmorum in longitudine, quia beata virgo quinq; sensûs suos usque in finem puros seruauit.

Fuit etiam archa trium palmorum in altitudine, quia restaurationem angelorum, saluationem hominum, & renouationem omnium creaturarum procurauit. Habuit autem archa cubitum, & semissem in altitudine, quia eius celsitudo angelicam, & humanam naturam excellebat, sed usque ad filij excellentiam non attingebat.

Finis autem huius archæ fuit, ut contineret virgam Aaron, tabulas testamenti, & urnam auream, in qua erat manna. Ista autem archa spiritualis virgo beata intra se continuit Christum, in quo fuerunt tres substantiæ, scilicet, deitas dulcissima, quę signatur per tabulas, in quibus scripta erat sapiētia Dei, caro mundissima, quę resurrexit, quę signatur per virgam Aaron, quę fronduerat, & anima purissima, quę signatur per manna. Vel potest dici, quòd in hac archa fuit manna dulcis contemplationis, & virga, idest rectitudo perfectè operationis. Virgo enim fronduit, & fructum produxit, quia uita actiua est magis fructuosa, quàm contemplatiua. Fuerût etiam tabulæ sapientiæ, & discretionis. Quælibet enim uità, tam actiua, quàm contemplatiua indiget discretione matura. A b ista archa habemus multa beneficia.

Primò in periculis magnum auxilium, quod figuratum est Nume. 10. ubi dicebat Moyses in eleuatione archę. Sure domine, & dissipentur inimici tui.

Secundò, in dubijs magnum consilium, quod signatnm est 1. Reg. 24. ubi cum uellet Saul consulem Dominum dixit. applica archam domini.

Tertiò in aduersitatibus magnum solatium, quòd signat.

3.Reg.2.ubi dixit Salomon Abiathar sacerdoti. Vir quidem mortis es, sed hodie nolo te interfici, quia portasti archam Domini.

Quartò inter amorem Dei,& mundi facit diuisionem, Hoc significatum est Iosuæ.3. Vbi dicitur, quòd cum sacerdotes, qui portabāt archam fuissent in flumine, atque protinus sūt diuisę, ita quòd superiores intumuerunt ad modum fontis, inferiores autem descenderunt usque in mare mortuum. Aqua superior est amor Dei, qui eleuat usque ad cœlum. Aqua inferior est amor mundi, qui facit effluere usque in infernum.

Quintò dat gratiæ sanctificationem. Psal. Surge Domine in requiem tuam,&c.

Sextò dat gloriæ benedictionem, quod significatum est 2. Reg. 6. Vbi dicitur, qui ad introitum archæ domini in domum Ebededon dominus ei benedixit. De ista archa sic dicit Amb. Archa intrinsecus portabat testamenti tabulas. Maria autem testamenti portabat hæredem. Illa intra se legem, hæc euangelium retinebat. Illa uocem habebat, hæc uerbū uerum. Illa intus forisq; auri nitore radiabat, sed beata virgo intus forisque virginitatis splendore fulgebat. Illa terreno ornabatur auro, ista cœlesti.

BEATA VIRGO ARCVI COELESTI ASSImilatur ob generationem, dispositionem, & colorationem. Sermo XII.

ARCHVS cœlestis signat Mariam Virginem, propter generationem, dispositionem,& colorationem. Generatur autem archus cœlestis ex reflexione radij solaris in nubem lucidā, concauam,& aquosam. Beata virgo fuit nubes inquantum fuit à terrenis eleuata per cœlestium contēplationem, & concaua per humilitatem,& aquosa per compassionem,& pietatem, quia eius cor erat molle, ductile ad compatiendum. Radius igitur solaris, idest gratia Dei in Mariam, quæ fuit nubes lucida, concaua,& aquosa refluxit, & sic eam archum cœlestem fecit.

Secundò

Secundò dicitur archus cœlestis propter dispositionem. Archus enim ille ita est dispositus, quòd est sine chorda, & sagitta, & uersus nos tenet cornua. Quidā sunt sicut archus cum chorda, & sagitta, qui extenduntur à nimia seueritate, & faciunt sagittas, idest comminationes cum nimia crudelitate, & tenent cornua uersus se, scilicet, indulgentiā, & beneficentiam, quia nec inimicis suis uolunt parcere, nec beneficia exhibere. Sed beata virgo est sine chorda seueritatis, quia tota est iustissima, & sine sagitta comminationis, & timoris, quia est tota dulcissima. Bernar. Quid humana fragilitas iræ trepidat ad Mariam, nihil in ea austerum est nihil terribile, tota suauis est habet autem duo cornua, scilicet, gratiam, & misericordiam, & ista tenet aduersus nos, quia iustis dat gratiam, & peccatoribus misericordiam, & ideo uocatur mater gratiæ, & misericordiæ.

Tertiò dicitur archus cœlestis propter colorationem. Archus enim illa ex quatuor elementis contrahit colores, ut dicit Beda. Nam ex igne contrahit colorem rubeum, ex aqua cęruleū, ex aere hiacinthinum, ex terra uiridem. Isti quatuor colores fuerunt spiritualiter in ipsa. Habuit enim colorem rubeum, quia tota fuit igne amoris inflammata, & istum colorem igneum traxit ab illo igne, de quo dicitur Hebrę. 12. Deus noster ignis consumens est. Secundò habuit colorem cęruleum, quia tota fuit prę compassione liquida effecta, iuxta illud Psal. Factum est cor meum tanquam cęra liquescens. Et istum colorem traxit ab aqua, idest à mentis suę puritate, quia in mente sua semper fuit serenitas puritatis. Tertiò habuit colorem hiacinthinum. Et istum colorem traxit ab aere, idest à mentis suæ puritate, quia in mente sua semper fuit serenitas mentis.

Quartò habuit colorē uiridē, quia tota fuit in cōuersatione uiridis, & amęna. Et istum colorē traxit à terra, i. à seipsa, ex qua uirtutes generabantur, per quas Deo, & hominibus gratiosa reddebatur. Eius enim uiror uirtutum omnium aliorum sanctorum, & gratias superabat. Eccle. 40. Gratiam, & speciem desiderabit oculus tuus, & super hoc uirides factiones, idest uirtutes uirentes ex terra virginea procedentes.

Qualiter autem fuerit Deo gratiosa dicit Fulbertus Carnocēsis episcopus. Virtutes Mariæ depromebant in cogitatione, & affectione cordis, idest ineffabilem armoniam, quam ipsa creatrix, & inhabitatrix eius Dei sapientia delectabatur audire. Coruscabat quoque foris, & in superficie sermonis, & intus unde possent homines glorificare Deum, & salutem recipere.

RATIONES REDDVNTVR, QVIA IN COELUM Beata Virgo sit assumpta in corpore, & anima. Sermo XIII

ASSVMPTA est Maria in cœlum cum corpore, & anima, quod quidem conueniens fuit multiplici ratione. Prima sumitur ex parte sui. Secūda ex parte Dei. Tertia ex parte nostri.

Ex parte sui fuit eius magna dignitas. Et ista fuit quincuplex prout ostendit Aug. in quodam sermone.

Prima, quia ipsa fuit mater Christi deifica, & ideo debuit honorari, & ideo dicit. Putredo, & uermis est obprobrium humanæ conditionis. Ad hoc obprobrio cum Iesus sit alienus, natura Mariæ excipitur, quam Iesus de ipsa assumpsisse probatur. Caro enim Iesu caro Mariæ est. Istud ergo sacratissimum corpus, de quo Christus carnem assumpsit uermibus escam traditum esse, quia sentire non ualeo, dicere pertimesco. Letatur ergo Maria lętitia inenarrabili, anima, & corpore in proprio filio, per proprium filium quem in utero gessit, quem genuit, quem fouit, quem aluit Dei genetrix, Dei seruitrix. Videmus etiam, quòd Christus totus uoluit esse matris suæ, quia patrem carnalem habere uoluit. Voluit & matrem totam esse suam, quia alios filios non generauit. Qui igitur noluit eā communicare homini, qūo cōicabit vermi? Et qui ex ea noluit generare filios, quomodo ex ea uoluit generare uermes putridos? Debuit ergo honorando matrem seruare præceptum, quo dixit. Honora patrem tuum, & matrem.

Secunda est, quia fuit fidelis Christi ministra, & ideo debuit

buit exaltari. Io. 12. Vbi ego sum illic, & minister meus erit. Ministra Christi fuit Maria, quæ ipsū in utero gessit, partūque profusum aluit, & fouit, & in præsepio reclinauit, in Ægyptum fugiens abscondit, & omnem infantiam eius prosecuta est pio mentis affectu, ita ut usque ad crucem ab eius nō recessit consectatu, nec solum pio gressu, uerumetiam affectu imitationis. Fuit ergo fide, & opere Christi ministratrix, & usque ad mortē eius deuota seruitrix. Si igitur ubi ministros esse vult ipsa non fuerit, ubi ergo erit. Si autem ibi, nunquid æquali gratia potietur? Et si æquali gratia, ubi est æqua Dei censura, quæ reddit unicuique secundum meritum? Si merito præ omnibus Mariæ uiuenti dānata est gratia, nūquid erit mortuę imminuta? Absit. Nam si omnium sanctorum mors est preciosa, sanè Mariæ est preciosissima.

Tertia est, quia fuit Christi uestis deaurata, & ideo debuit integra reseruari. Idem Aug. Si elegit diuina uoluntas trium puerorum uestimenta in igne seruare illæsa, cur abnuat in matre propria, quod elegit in ueste aliena?

Quarta est, qa fuit archa Dei sanctificata, & ideo debuit in templo cœlesti collocari. Dama. Hodie virgo templo cœlesti uehitur sacra, & animata archa in templo non manu facto reponitur. Columba innocens auolans ex archa, idest corpore, quod Domini suscepit pedibus requiem adinuenit.

Quinta est, quia fuit thesaurus, & gemma preciosa, & iō debuit in thesauro cœlesti reponi. Aug. Thronum Dei thalamum Domini cœli, atque tabernaculum Christi. Dignum est enim esse, ubi ipse est tam preciosum thesaurum dignius est seruare cœlum, quàm terra.

Secunda ratio sumitur ex parte Dei, scilicet, eius magna liberalitas. Deus enim intantum est liberalis sanctis, quòd non solum animas glorificat, sed etiam corpora multiplici honore illustrat. Quædam enim eorum corpora integra, & illæsa seruantur. Quædam miraculorum gloria illustrantur. Quædam uisitatione fidelium frequentantur. Quorundam sepulchra gemmis, & auro adornantur. Quibusdam angelicis manibus monumenta præparantur. Si ergo corpus eius esset in terra, cum sibi nihil tale impendatur, uidetur Christus

honorem

honorem materni corporis contempsisse. Hieronymus in sermone de assumptione. Legimus, quàm sæpe ad funera sanctorum angelos aduenisse, & animas eorum usque ad cœlos cum laudibus, & hymnis detulisse, & eosdem multo lumine resplenduisse. Insuper adhuc uiuentes in carne ibidem miri odoris fragrantiam persensisse. Si igitur talia, & tanta circa defunctos Deus dignatus est exhibere, quanto magis eius genitrici in die obitus sui credendum est cœlorum militia obuiam aduenisse, eamque ingenti lumine circunfulsisse, & usque ad thronum gloriæ perduxisse.

Tertia sumitur ex parte nostri. Et ista est duplex. Vna est magna nostra utilitas, quia ex hoc maximè fœminis magna spes resurrectionis, & ascensionis datur. Sicut enim Christus dedit uiris spem resurrectionis, & ascensionis ex sua resurrectione, & ascensione, sic dedit magnam spem feminis ex matris suæ resurrectione, & assumptione. Secunda est humanæ naturæ magna sublimitas, q humana natura in Christo, & in matre eius est super omnes angelos sublimata. Ipsi enim angeli minorationem humanæ naturæ sciebant ex hoc in prima creatione, iuxta illud Psalm. Minuisti eum paulominus ab angelis. Adæquationem etiam didicerant, & hoc in tempore gratiæ, ubi angeli hominibus, homines angelis adequare possunt. Sublimationem autem credere non ualebant, & ideo uidentes naturam nostram in Christo, & in matre super ipsos exaltari admirantes dixerunt Isa. 40. Quis est iste, qui uenit de Edom. &c. Et de matre, quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens.

ASSVMPTIO BEATAE VIRGINIS IN COElum quibus mysterijs sit facta. Sermo XIIII.

ASSVMPTIO Beatæ Mariæ in cœlum, facta est multipliciter.

Primò enim assumpta est cum honorabili societate. Istud significatum est 2. Reg. 6. Vbi dicitur, quòd Dauid, & omnis Israel deducebant archam Domini cum gaudio. Et erant cum Dauid septem chori. Per Dauid Christus intelligi-

tur.

tur. Per septem choros uniuersitas angelorum, & sanctorum figuratur, quia septenarius est numerus uniuersitatis, uel per septem choros intelliguntur Angeli Patriarchæ, Prophetæ, Apostoli, Martyres, Cõfessores., & virgines, qui omnes ipsam honorabiliter deduxerunt. Et meritò, quia isti omnes honorare tenebantur, scilicet, angeli, quia ipsa uitam duxit angelicam. Patriarchæ, quia de eorum stirpe descendit. Prophetæ, quia ipsa spiritu prophetiæ plena fuit, Apostoli, quia ipsa eorum magistra extitit. Martyres, quia ipsa gladio passionis perforata fuit. Confessores, quia ipsa sola fidem in passione Christi confessa fuit. Virgines, quia ipsa primiceria virginũ extitit. Bis igitur euacuatum fuit cœlum. Primò, quando Christus ascendit, quia nullus in cęlo angelus tunc remansit, sed omnes Christo obuiam uenerunt. Secundò quando virgo assumpta fuit, quia omnes angeli, & animæ sanctorum, & ipse Christus sibi obuiam uenerunt. Tertia euacuabitur in iudicio, quia omnes in valle Iosaphat proficiscentur.

Secundò assumpta est cum ineffabili iocunditate, quod significatum est 2 Reg. 6. Vbi dicitur. Dauid autem, & omnis Israel deducebant archam testamenti Domini in iubilo, & clangore buccinę. Et ibidem. Dauid autem, & omnis domus Israel ludebãt coram Domino in omnibus lignis fabrefactis cytharis, & liris. Vbi notandum est, quòd sicut dicit Aug. super Psal. Triplex est sonus musicus. Vnus qui fit uoce, sicut in cantu. Alius qui fit flatu, sicut in buccina. Tertius, qui fit cũ pulsu sicut in cythara. Primus, qui fit cũ uoce tangitur cũ dicitur in iubilo. Est enim iubilatio cantus modulatio. Secundus, qui fit cum flatu tangitur cum dicitur. In clangore buccine. Tertius, qui fit cum pulsu tangitur, cum dicitur. In omnibus lignis fabrefactis, & cytharis, & liris. Per hoc ergo, qđ dicitur, quòd ista archa Dei deducta sit cum iubilo, &c. Datur intelligi, quòd ibi fuerunt omnia genera musicorum. Hieronymus in sermone de assumptione. Nulli dubium est totam illam cœlestem curiam supernę Hierusalem ineffabili lętitia tunc exultasse, & tunc iocundatam fuisse ineffabili charitate, tuncque congratulatione iubilasse. Nec immeritò. Creditur enim, quòd ipse saluator totus festinus occurrerit, &

rit, & eam cum gaudio secū in throno collocauerit, alioquin quomodo crederetur impleuisse, quod ipse præcepit in lege. Honora patrem tuum, & matrem.

Tertiò assumpta est cum mirabili claritate, de cuius claritate dicitur Can.6 Quæ est ista, quæ progreditur quasi auro ra, pulchra ut Luna, electa ut Sol. Fu t autem luce multiplici perfusa. Luce supersubstantiali, quia Christus, qui est uera lux obuiam sibi uenit, & eam associauit. Secundò luce spirituali, idest anima sua omni luce, & gloria illustrata. Isa.58. Implebit Dominus splendoribus animam tuam. Tertiò luce corporali, quia eius corpus immortalitate, & claritate resplē duit. Si enim fulgebunt iusti, sicut Sol, ut habetur Mat.13. quanto magis corpus illius, qui Deum portauit. Quartò luce rationali, quia omnes sancti, qui erant in cœlo eam associaue runt. Vnde cantat ecclesia. Sicut dies uerni circundabant eam flores rosarum, & lilia conuallium. Flores rosarum sunt martires. Lilia conuallium sunt cōfessores, & virgines. Quintò luce intellectuali, idest luce angelica, quia omnes angeli eā associauerunt, quorum quidam præcedebant tanquam domi celli. Quidam concomitabantur tanquam baiuli. Quidam sequebantur tanquam fideles ministri. Omnes autem iubila bant tanquam ioculatores deuoti. Ecce quàm luminosa ascē dit, quia à superiori illuminata fuit luce supersubstantiali, ab inferiori luce intellectuali, & rationali, ab interiori luce spiri tuali, ab exteriori luce corporali.

Quartò assumpta est cum terribili potestate, iuxta illud Cant.6. Terribilis ut castrorum acies ordinata. Tam terribilis quidem fuit eius assumptio dęmonibus, quòd ipsi, scilicet, dæmones, qui morantur in isto aere caliginoso pœnitus aufugerunt. Nec mirum fugerunt enim à tam honorabili societate. Can.7. Quid uides in sumitate nisi choros castrorum, idest choros angelorum, & sanctorum omnium. Fugerunt vulnera ti à tam ineffabili iocunditate. Dæmones enim semper sunt in luctu. Eccl.22. Musica in luctu importuna narratio. Fugerunt excęcari à tam mirabili claritate. Ipsi enim tanquam no ctua claritatem diuinam ferre non possunt. Malitia enim eorum pœnitus eos excęcauit. Sap.2. Excæcauit eos malitia eo

rum. Fugerũt tremefacti à tam terribili poteſtate. Sicut enim canis cum videt virgam, qua percuſſus eſt, territus fugit. Sic & dæmones cum viderunt virgam Ieſſe in cœlum deduci territi aufugerũt. Iſa. 30. à uoce Domini pauebit Aſſur, ideſt diabolus virga percuſſus. Modò etiam dæmonibus eſt ualde terribilis. Nam terribilis eſt dæmoni nominatio eius, ſalutatio eius, & laudatio eius. Quando enim audit nomen eius ita eſt ei ac ſi ſentiret clauam, cum qua percuteretur. Nume. 24. Conſurget virga de Iſrael, & percutiet duces Moab. Vnde cum in forma humana quidam mulierem uexaret, & illa nec per aquam benedictam nec per ſignum crucis eum expellere poſſet, tandem edocta, à quodam viro ſancto dixit. Sancta Maria adiuua me. Mox ille tanquam claua percuſſus obmutuit, & tandem ad ſe rediens ait. Malus diabolus intret in buccam illius, qui te docuit, & ſic euanuit. Quando audit ſalutationem eius, ita eſt ac ſi audiret tonitruũ, quo terreatur. Pſal. Vox tonitrui tui in rota. Tunc enim diabolus tanquam inſanus rotatur, & terretur. Quando enim inſuper audit laudationem eius, ita eſt, ac ſi ſentiret gladium, quo iugularetur. Hoc ſignificatũ eſt Iudith. 14. Vbi dicitur, quòd ipſa Iudith cum pugione amputauit caput Holofernis. Iudith interpretatur cõfitens, uel glorificans, & ſignat Mariam, quæ ſemper Deum glorificauit.

EX PARTE DEI QVIBVS RATIONIBVS *aſſumi B V debuit in cœlum in anima, & corpore.* *Sermo XV.*

Aſſvmi debuit in cœlum Virgo Maria in corpore, & anima, quia hoc competit diuinæ iuſtitiæ, ſapientiæ, & bonitati immenſæ, & ſuæ potentiæ.

Iuſtitiæ quidem Dei conuenit, quia ſi Deus honorat tantum corpora ſanctorum, iuſtitia Dei requirit, quòd honoraret corpus matris eius ſi eſſet in terris. Videmus enim quòd in magno honore vult Deus haberi crucem ſuam corpora ſanctorum, imagines pictas eorum, & archam figuratiuam ueteris teſtamenti. Si enim in tanto honore habetur crux, quæ Chriſtum ad horam portauit, in maiori honore debet

haberi

haberi corpus illud, in quo Christus nouem mensibus habitauit. Si in tanto honore vult haberi corpora sanctorum, qui fuerunt spiritus sancti organa, in maiori honore debet haberi corpus illud, quod fuit, & spiritus sancti organum, & Christi speciali domicillum, & totius trinitatis nobile triclinium. Si in tanto honore habentur imagines pictę, in maiori honore debet haberi corpus illud, in quo imago Dei illibata permansit, in qua filius Dei, qui est imago patris habitauit, per quam imago nostra, quæ erat corrupta reparata fuit. Si in tāto honore habita fuit archa testamenti, quia ibi fuit virga Aaron, manna, & tabulæ conscriptæ, in maiori honore debet haberi archa isti sanctificata, in qua habitauit virga Aaron, idest caro Christi, quæ floruit, māna, idest diuinitas, quæ omnem dulcedinem habuit, & tabula conscripta, i. anima Christi, quæ omni sapientia plena fuit.

Secundò hoc competit diuinæ iustitiæ. Sicut enim dicitur Sap. 9. Sapientia ædificauit sibi domum. Sapiens architectus domum facit pulchram intus, & extra. Sunt domus quędam pulchrę foris, sed turpes intus, sicut Hypocrite. De quibus dicitur Matt. 23. Vhe uobis Scribe, & Pharisei Hypocrite, qui estis similes se pulchris dealbatis, &c. Aliæ sunt pulchræ intus, sed turpes exterius, sicut sunt serui Dei, qui sunt pulchri intus per puritatem, sed turpes uidentur exterius, quia à mundanis honoribus contemnuntur. Aliæ sunt pulchræ intus, & extra, sicut erunt beati quorum corpus est lucidum, & anima est lucida, & præclara. Domus igitur beatæ Virginis, & in pręsenti uita tota fuit pulchra, & interius in anima per puritatē, & exterius in corpore per virginitatē. Si igitur sapientia Dei in hac uita sibi ædificauit domum tam pulchram, ad eandem sapientiam pertinet post hanc uitam pulchritudinē non diminuere, sed augere potius, ut sit pulchra intus in anima p fœlicitatem, & extra in corpore per immortalitatem. Ideo sponsus eam alloquitur dicens Can. 4. Tota pulchra es amica mea.

Tertiò hoc competit filij Dei bonitati. Boni enim filij est magis parcere matri, quàm sibi. Tam bonus filius fuit Christus, quòd in hac uita maximè in partu magis pepercit matri,

tri, quàm sibi, quia matrem tunc uoluit gaudere, iuxta illud Dum paris, & gaudes, &c. Ipse autem secundum morem pue rilem fleuit, iuxta illud Sapien. 7. Primam uocem similem omnibus emisi plorans. Cum igitur post hanc uitam sibi pepercerit ab illa sententia, qua dictum fuit. Puluis es, & in puluerem reuerteris. Credendum est, quòd tam bonus filius matri similiter in hoc pepercerit, ut corpus suum non corrũ peretur, nec in puluerem reuerteretur. Boni filij etiam est ma tris memor esse inter aduersa, & inter prospera. Videmus. n. quòd Christus tam bonus filius fuit, quòd inter aduersa suæ passionis curam habuit matris. Si igitur curam habuit de ea dum esset inter aduersa, & dum esset passibilis, & mortalis, nunquid postquam fuit inter prospera, idest inter bona pater- na, & postquã factus immortalis, & gloriosus de ea amplius non curabit. Boni etiam filij est magis uelle, quòd mater ho noretur, quàm ipse. Tam bonus filius fuit Christus, quòd cor pus matris in præsenti uita ualde honorauit, quia de eius ute ro carnem suscepit, sigillum virginitatis in ea seruauit, sibi semper subditus fuit. Qui igitur tantum matrem honorauit in terris, nunquid eam despexit honorare in cœlis Boni etiã filij est uelle, ut magis seruiatur matri, quàm sibi. Olim datæ fuerant duæ sententiæ à Deo. Vna communiter homini, & mulieri. Puluis es, & in puluerẽ reuerteris. Alia tantum mu- lieri. In dolore paries filios tuos. Christus igit' exceptus fuit à prima sententia, & matrem excepit à secunda. Ad bonita- tem igitur tanti filij pertinet, quòd matrem excipiat à prima sententia, scilicet, in puluerem reuerteris, qui tantæ bonitatis fuit, ꝙ ipsam excepit à secunda, quia non in dolore, sed in gaudio filium parturiuit.

Quartò hoc competit suæ potentiæ. De hoc sic dicit Au- gust. Si in potestate Dei est de sanctorum capite capillum nõ perire, est & matrem suam in anima, & in corpore integram posse seruare. Quod si nullus fidelium dubitet hoc eum pos- se, cur dubitandum est etiam hoc eum uelle? Ionam in uen- tre cæti præter naturalẽ usum seruauit incorruptum sola mi sericordia. Mariam corruptam præter naturam non seruabit gratia, Seruatus est Daniel in intemperatissima fame leo-

num, & non est seruāda Maria tot dotata meritis dignitatū? Quam ergo in uita præ cæteris gratia sui conceptus honorauit, credere pium est, quòd eam in morte singulari saluatione, & gratia speciali honorauit. Potuit enim & à puluere, & à putredine alienam facere, qui ex aliena nascens potuit virginem relinquere. Postquam autem Augustinus ista multis rationibus ostendit in fine sic concludit. Si ergo dixi, ut debui, approba Christe, obsecro tu, & tui. Si ergo non dixi, ut debui, ignosce tu, & tui.

PER SALVTATIONEM ANGELICAM *probatur Beata Virgo habuisse gradus omnes spirituales.* *Sermo XVI.*

AVE Maria gratia plena Dominus tecum, &c. Sicut dicit Bernar. in quodam sermone, ista salutatio in secretario trinitatis Dei facta est, & digito Dei scripta. Et cum in consistorio cœlestis palatij a notatione diuinæ maiestatis sumpsisset originem, uni de fortissimis palatij ad deferendum est data, scilicet, Gabrieli, qui Dei fortitudo interpratatur. Mittitur itaque Gabriel angelus, & egreditur de Rege ad reginam, de Imperatore ad imperatricem, de ciuibus cœli ad dominam palatij. In ista igitur salutatione angelica datur intelligi, quòd beata virgo habuit omnes gratias spirituales, quas cæteræ mulieres habere desiderant temporaliter. Desiderant enim habere pulchritudinem, nobilitatem, diuitiarum ubertatem, sponsum pulchrum, & nobilem, famam celebrem, & nobilem prolem.

Primò igitur Virgo beata habuit magnam pulchritudinem. Tunc autem anima est pulchra, quando est sine peccati macula, & illud notatur cum dicitur. Aue, idest, sine ve alicuius peccati, siue originalis, siue mortalis, siue uenialis. Ideo sponsus eam alloquitur dicens. Can. 4. Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te. Ipsa enim fuit pulchra, quia sine peccato originali. Fuit tota pulchra, quia sine peccato mortali. Et fuit Dei amica, quia tota pulchra amore cœlesti,

Secundò

Secundò habuit magnam nobilitatē. Ideo dicitur Maria, quæ interpretatur domina. Est autem triplex nobilitas, scilicet, originalis, moris, & uirtutis. Ista triplici nobilitate ipsa prædicta fuit.

Primò nobilitate originis, quia de stirpe regali progenita. Vnde cantat ecclesia. Regali ex progenie Maria, &c.

Secundò nobilitate moris, quia fuit morum honestate præclara. Vnde Amb. in lib. de virginibus loquens de ea ait. Hinc sumatis exempla uiuendi, ubi tanquam in exemplari magistra expreßè probitatis, quod corrigere, quid effugere, quid tenere debeatis, ostenditur.

Tertiò nobilitate virtutis, quia omni uirtute fuit repleta. Eccl. 24. In me omnis gratia uitæ, & ueritatis, in me omnis spes uitæ, & uirtutis. Psal. Astitit regina à dextris tuis. Ecce nobilitas. In uestitu deaurato, scilicet, in corpore morum honestate præclaro. Ecce nobilitas moris. Circundata uarietate, idest uirtutum multiplicitate. Ecce nobilitas uirtutis.

Tertiò habuit spiritualium diuitiarum ubertatem. Ideo dicitur gratia plena. Prouerb. vltim. Multæ filiæ congregauerunt diuitias, tu supergressa es uniuersas. Verè supergressa, quia cum cæteræ habeant aliquam mensuram gratiæ, easq; cæteræ habuerunt particulariter, ista habuit uniuersaliter. Sicut enim secundum philosophum ea, quæ sparsa sunt in animalibus per naturam, collecta sunt in hominibus per rationem, ut simplicitas in colmuba, benignitas in agno, liberalitas in leone, ita omnes gratiæ, quæ alijs sunt datæ, in Maria simul fuerunt collectǣ. Hieronymus. Verè gratia plena, quia cæteræ per partes, in Maria autem se tota infundit gratiæ plenitudo. Idem. Talibus decebat virginem oppignorari uirtutibus, ut esset gratia plena, quæ dedit cœlis gloriā, terris Deum, pacemque refundit, gentibus fidem, uitijs finē, uitæ ordinem, moribus disciplinam. Verè supergressa, quia non tantum habuit plenitudinem gratiæ ad sufficientiam, sicut habent omnes sancti, non tantum abundantiam, sicut habuerunt apostoli, sed etiam habuit ad superfluentiam. Vnde ipsa dicit Eccle. 24. In plenitudine sanctorum detentio mea. Bernar. Legimus Stephanum plenum Spiritu sancto. Apo-

ftolos plenos Spiritu ſancto, ſed longè, & diſſimiliter à Maria, quia nec in illo habitauit corporaliter diuinitatis plenitudo, nec illi conceperunt de ſpiritu ſancto. De eius ſuperfluentia dicit Bern. De eius plenitudine capiunt uniuerſi, ſcilicet, egri curationem, triſtes conſolationem, peccatores ueniam, iuſti gratiam, angeli lætitiam, filius hominis humanæ carnis ſubſtantiam, tota trinitas gloriam.

Quartò habuit ſponſum nobilem, ideo dicitur, Dominus tecum. ſ. dominus pater, qui eam ſuo filio deſponſauit. Dominus filius, qui de ea carnem ſuſcepit, Dominus ſpiritus ſanctus, qui eius conceptus operatus fuit. Et ſic patet quantæ ſit potentiæ, cum qua eſt pater, quantæ ſi ſapiētiæ, cum qua eſt filius, quantæ ſit clementiæ, & miſericordiæ, cum qua eſt ſpiritus ſanctus. Et ſic ſaluare, & adiuuare nos poteſt, quia in ea eſt patris potentia. Scit & nouit, quia in ea eſt filij ſapientia. Et vult, quia in ea eſt ſpiritus ſancti clementia. Ber. Dominus tecum. Non ſolum filius quem carne induis, ſed etiam ſpiritus ſanctus, de quo cōcepis, & ipſe pater qui genuit, quē concipis. Pater inquam tecum, qui ſuum filium facit, & tuū. Filius tecum, qui ad comedendum in te mirabile ſacramentum miro modo, & ſibi reſeruat genitale ſecretum, & tibi ſeruat integrum virginale ſignaculum. Spiritus ſanctus, qui eſt tecum, qui cum patre, & filio tuum ſanctificauit uterum.

Quintò habuit famam celebrem, ideo dicitur. Benedicta tu in mulieribus. Ipſa etiam ait. Ecce enim ex hoc beatā me dicens omnes generationes, quia omnes coniugatæ propter prolem, quā habuit. Omnes viduè propter viduitaem, quàm poſt mortem Ioſeph ſeruauit. Omnes virgines, quia integritatem mentis, & corporis habuit. Vel poteſt dici, quòd ipſa fuit famoſa Deo per humilitatem, per quam Deum ad terrā traxit. Aug. Facta eſt humilitas ſcala cœleſtis, per quā Deus ad terram deſcendit. Fuit famoſa angelis per virginitatem, Hieronymus. Bene angelus ad virginem mittitur, quia ſemper eſt angelis cognata virginitas. Fuit famoſa hominibus ꝑ fœcunditatem, quia nobis edidit ſaluatorem. De his tribus dicitur Iudith. 15. Tu gloria Hieruſalem, ideſt Dei, in quo eſt gloria, & uiſio noſtræ pacis. Tu lętitia Iſrael, ideſt angelorum,

lorum, qui semper uident faciem patris. Tu honorificentia populi nostri, idest totius generis humani. Et sequitur, quia fecisti uiriliter, quia, scilicet, Deum per tuam humilitatē ad terram traxisti. Et confortatum est cor tuum, quia per tuam fœcunditatem salutem humano generi meruisti. Eo quòd castitatem amaueris, & ideo te per virginitatem angelis sociasti. Bern. Bene gratia plena, quia Deo angelis, & hominibus grata. Deo per humilitatem, angelis per virginitatem, hominibus per fœcunditatem.

Sextò habuit nobilem prolem, ideo dicitur. Benedictus fructus uentris tui. De ista benedictione fructus dicitur Gen. 27. in benedictione facta Iacob. Det tibi Deus de rore cœli, & de pinguedine terræ, abundantiam frumenti, vini, & olei. Et in Psal. dicitur. A fructu frumenti, uini, & olei, &c. In isto igitur fructu beatæ virginis sunt tria, scilicet, caro, quæ signatur per frumentum, quæ fuit mortua in passione, sed pullulauit in resurrectione, & multum fructum attulit in spiritus sancti missione. Io. 12. Nisi granum, frumenti cadens in terra mortuum fuerit. Per oleum intelligitur anima eius, quæ oleo spiriritus sancti fuit totaliter puncta. Psalm. Vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis. Per uinum, qđ lætificat cor hominis intelligitur eius diuinitas, in cuius uisione consistit gaudium, & iubilus omnium sanctorum. Iob. 33. Videbis faciem eius in iubilo.

QVIBVS RATIONIBVS BEATA VIRGO *cœli imperatrix, & augusta dicatur.* *Sermo XVII.*

AVGVSTA, & Imperatrix cœli est Maria ratione propinquitatis, dignitatis, potestatis, & auctoritatis. Primò enim dicitur augusta, & imperatrix ratione propinquitatis, quæ tanta est inter ipsam, & cœlestem imperatorem, quòd ipsa est mater eius, sponsa eius, & filia eius. Quod enim ipsa sit mater, & filia eius dicitur in Psal. Homo natus est in ea. Ecce quòd ipsa est mater eius. Et ipse fundauit eam altissimus. Ecce quia ipsa filia est, & creatura eius.

Quomodo sit sponsa eius dicitur Ioã.3. Qui habet sponsam sponsus est. Quia igitur est mater imperatoris cœlestis, ideo super ipsum maternæ auctoritatis imperium habet, & potest sibi tanquam mater filio imperare. Hoc significatum est 3. Reg.2. ubi mater Salomon dixit ei. Petitionem unam peto à te, ne confundas faciem meam. Tunc enim faciem suam con funderet, quando illud, quod peteret denegaret. Ideo rex sibi respondit. Pete mater misericordiæ, neque enim fas est, ut auertã faciem meam. Quia ipsa est filia eius, ideo ipse ad eam habet paternum affectum. Psal. Audi filia, & uide, & inclina, &c. usque Deus tuus. Quia uero est sponsa eius, idest ad ipsã habet amorem sincerum. Sap.8. Hanc amaui, & exquisiui à iuuẽtute mea, & quęsiui eam mihi sponsam assumere, & amator factus sum formæ illius. Rectè igitur in cœlesti palatio, ipsa est domina, & augusta, quæ ipsius imperatoris meruit esse mater, sponsa, & filia.

Secundò dicitur augusta, & imperatrix ratione dignitatis. De cuius dignitatę dicitur in Psalm. Astitit regina à dextris tuis in uestitu deaurato circundata uarietate, ubi eius dignitas denotatur quantũ ad tria.

Primò quantum ad locum, cum dicitur. Astitit regina à dextris tuis. Istud figuratum fuit tertio Reg. secundo, ubi dicitur. Positus est thronus matris eius, quæ sedet à dextris eius.

Secundò quãtum ad habitum cum dicitur in uestitu deaurato. Apoc.19.c. Vxor agni præparauit se, & datum ei, ut cooperiat se byssino splendenti, & candido. Prouer. vlt. Byssus, & purpura indumentũ eius.

Tertiò quantum ad obsequium famulorum cum dicitur. Circundata uarietate, idest angelorum, & sanctorum uniuersitate. Omnes enim angeli, & sancti, sibi tanquam dominę, & augustæ humiliter famulantur. De famulatu angelorum dicit sanctus Gerandus episcopus, & martyr in suis homelijs. Solus Dominus Iesus Christus potest eam magnificare, qui quemadmodum fecit, ut ab ipsa maiestate continuè laudem accipiat, & honorem angelicis stipata choris. Archangelicis uallata thronis. Thronorum hincinde possessa iubilationibus.

bus. Dominationum circundata trrpudijs. Principatuum circunscripta obsequijs, Potestatum amplexa plausibus. Virtutum citata honoribus. Cherubin circunstantia in purificationibus. Seraphin undiqne possessa ineffabilibus cantationibus. Qualiter autem cęteri sancti eidem famulantur dicit idem ibidem. Apostolorum splendidissimus, ordo ineffabili laude ipsam extollit; Martyrum exercitus omnimodè supplicat domine tantę. Confessorum multitudine innumerabile continuum sibi personat canticum. Virginum candidissima concio iugem choream ad suam celebrat gloriam. Deinde subdit. Inuite etiam sibi infernus vlulat, & procacissimi dæmones conclamant.

Tertiò dicitur augusta, & imperatrix ratione imperij, & potestatis. Ipsa enim tanquam domina, & augusta angelos in ministerium mittit, & eis secreta palatij committit. Dæmones uero tanquam proditores, de cœlesti palatio expellit. Quod enim angelos mittat, & sibi secreta palatij committat, dicit Bernar. in quodam sermone. Persuadit immo nos compellit celsitudo tua credere, ut in regno filij beatissima Virgo Maria imperio se principes, quòd per angelorum ministeria, tuis sæpe deuotis subuenias. Si angelus angelum mittit, confidenter credere debet Christiana deuotio, quòd imperatrix angelorum tanto magis habet angelos ad obsequium, quanto differentius præ illis nomen hæreditauit. Si enim Iosuæ Rex Israel iussi solem stare, quomodo non omnia sydera ad nutum gloriosè imperatricis discurrant. Deinde subdit, Si Cherubin, & Seraphin de fonte bibentes inferioribus angelis quædam archana reuelant, quanto magis Gloriosa Virgo de occultis filij amplexus eius degustata mysteria angelis copiosius effundit. Quod uero dæmones tanquam palatij proditores expellat dicit Fulbertus Carnocensis Episcopus. Maria mater misericordiæ materna dignitate facta est, & erga superos imperiosa, secundum charitatem, & super inferos per districtionem, ubique imperiosa, ubique magnifica, cui certè proprium est, & angelos sanctos in ministerium mittere, & ad beneplacitum suorum inferorum pacta cessare.

Quartò dicitur augusta, & imperatrix ratione auctoritatis. Tātam enim habet auctoritatem in cœlesti palatio, quòd omnibus alijs sanctis inter medijs omissis ad ipsam licet ab omni grauamine appellare tanquam ad dominam, & augustam. Siue quis grauetur à corpore proprio, siue à diabolo, siue etiam ab ipso Deo. Siquis enim grauatur à diabolo ad ipsam appellare potest, sicut ad dominam, & augustam, sicut fecit Theophilus, qui ab episcopo suo à uice dominatu depositus in tantam desperationem cecidit, quòd diaboli seruum se fecit, & de sua seruitute manu propria Cyrographum cōscripsit, & diabolo tradidit. Postmodum ad cor suum rediens, & pœnitens ad dominam, & augustam appellauit, & ipsa totum irritum fecit, & diabolo Cyrographum Theophilo reddere præcepit, & sic ipsum in statum pristinum restituit, & gratiam, & ueniam promeruit. Secundò licèt appellare ad ipsam siquis grauatur à tyranno. Istud patet in beato Basilio episcopo, cui cum Iulianus apostata ad prælium uadens minatus fuisset, quòd in reditu suo ciuitatem destrueret, sanctus Basilius ad dominam. & augustam appellauit. Quæ quendā militem Mercurium nomine, iam defunctum suscitauit. Qui super equum conscendens, & ad Iulianum pergens, & lanceam fortiter vibrans ipsum occidit. Ideo dicit sanctus Philiberrus. Veniāt ad beatam Mariam iusti effectum celerem pcepturi, ueniant, & peccatores cum Theophilo desideratam misericordiam adepturi. Tertiò licèt ad ipsam appellare siquis grauatur à corpore proprio. Exemplū istud patet in Maria Ægypti aca, quæ multo tempore carnali concupiscentiæ deseruiuit, sed tandem ad dominam, & augustam confugit, & ipsam appellauit, & sic concupiscentiam uicit, & castitatē seruauit. Refert etiam sanctus Hugo Cluniacensis Abbas, ꝙ dum quidam ad sanctum Iacobum pergeret, & in fornicationem cecidisset, diabolus in forma sancti Iacobi sibi apparuit, eique dixit, quòd ueniam consequi non posset nisi genitalia sibi absciderer, & seipsum occideret, quod cum fecisset, & dæmones eius animam ad infernum traheret, sanctus Iacobus ei obuiauit, & ad dominam, & augustam appellauit. Quæ iudicauit, & sentētiam dedit, ut anima illius ad corpus rediret,

& ibi de peccato, quod egerat pœnitentiam ageret. Quod & factum est. Ecce quia iste fuit grauatus à corpore proprio dū fornicationem est lapsus, sed tamen à domina, & augusta fuit adiutus. Quartò licet ad ipsam appellare si quis à iustitia Dei sentit se grauari. Hoc significatum est Hester. 5. Cum rex Assuerus cum Iudæis esset iratus regina Hester ad eum placā dum accessit. Cui rex dixit. Etiam si dimidiam partem regni mei petieris dabo tibi. Ista est Virgo Maria, cum qua regnū suum diuisit. Cum enim Deus habeat iustitiam, & misericordiam, iustitiam sibi retinuit, & matri misericordiam cōcessit. Et ideo si quis sentit se grauari à foro iustitiæ, appellet ad forum misericordiæ matris Dei. Hebr. 4. c. Adeamus cum fiducia ad thronum gratiæ, ut misericordiam consequamur, & gratiam inueniamus in auxilio opportuno. Thronus Dei est mater Dei, in quo ipse nouem mensibus sedit, & est thronus gratiæ, & misericordiæ, quia omnes gratias, & misericordias sibi fiēdas commisit. Thronus autem iustitiæ est thronus Dei, de quo dicitur in Psal. Thronus tuus Deus in sęculum sęculi, &c. Si quis igitur grauatur à throno diuinæ iustitiæ appellet ad thronum misericordiæ Dominę, & augustæ.

CAVSAE QVATVOR RECENSENTVR, *quibus Beata Virgo uocatur aurora.*
Sermo XVIII.

AVRORA dicitur Virgo Maria, iuxta illud Cant. 6. Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens, &c. Comparatur autem auroræ quatuor de causis:

Prima quarum sumitur ex parte sui, & hoc propter fœcunditatem, virginitatem, & suauitatem. Sicut enim ros in aurora descendens, & Conchas marinas fęcundat, & Margaritas in eis gignit, sic ros spiritus sancti in eam superueniens eam fœcundauit, & Christi conceptum fecit. Et sicut ros in aurora descendens super herbas eas in vi rore custodit, sic filius Dei eius uterum in virorem suæ virginitatis conseruauit, unde cantat ecclesia. Descendit in uterum virginis, sicut ros sup

gramen. Et ſicut mãna in aurora deſcendebat,ſic & tota dul cedo cœleſtis in eius uterum deſcendit, & poſtea in natiuitate per totum mundum ſparſum fuit, vnde cantat eccleſia. Hodie per totum mundum melliflui facti ſunt cœli.

Secunda ratio ſumitur ex parte dæmonum quos ipſa in fugam vertit. Iob. 24. dicitur de latronibus, ideſt dæmonibus. Si ſubitò apparuerit aurora, ideſt Virgo Maria, arbitrantur umbra mortis, ideſt fugiunt tanquam inſan'.

Secundò eos in profundum inferni demerſit. Hoc ſignificatum eſt Exod. 24. Quod adueniente aurora, ſiue vigilia matutina ſubmerſus eſt in profundum totus exercitus Pharaonis.

Tertiò omnia opera tenebrarum diaboli fugauit: Sicut enim aurora tenebras expellit, & lucem adducit, ſic & ipſa omnia opera tenebrarum expellit, & lucem adducit gratiæ ita ut modo poſſimus dicere. Nox præceſſit, dies autem appropinquauit.

Tertia ratio ſumitur ex parte angelorum, quos ipſa lætificat. Sicut enim in aurora aues cantum reſumunt, ſic in ortu iſtius aurorę angeli lętificati fuerunt, intantum, quòd ipſi angeli, qui prius nolebant nos illuminare, purgare, & perficere, poſtmodum adueniente iſta aurora cęperunt nos diſponerę ad illuminationem gratiæ, purgationem culpæ, & perfectionem gloriæ. Iſta tria ſignantur Gen. 22. Nam cum angelus dixiſſet ad Iacob. Dimitte me, aurora eſt, eum dimittere noluit donec tria beneficia ab eo aſſecutus eſt, ſcilicet, purgationem ſuæ affectiuę, quod notatur in eo, quod dicitur, quòd emarcuit neruus ſemoris eius. Illuminationem intellectiuè, quod notatur per hoc, quòd impoſuit ſibi nomen Iſrael, ideſt vir videns Deum. Et perfectionem gloriæ, quod notatur per hoc, quòd benedictionem ab eo obtinuit, illam, ſcilicet, de qua dicitur Ephe. 1. Benedixit nos omni benedictione in cœleſtibus.

Quarta ratio ſumitur ex parte hominum, quos ipſa confortauit. Prius enim infeſtabantur homines multiplici tentatione. Impediebantur à bono operę, & retrahebantur à finali conſumatione, ſed in aduentu iſtius aurore omnia iſta ceſſauerunt.

uerunt. Psal. Ortus est Sol, idest beata Virgo nata est, & congregata sunt dæmones, scilicet, in cubilibus suis collocabuntur, idest in inferno. Ecce tentationum cessatio. Exibit homo ad opus suum. Ecce ad bene operandum expeditio. Et ad operationem suam vsque ad uesperam. Ecce ad bene operandũ perseuerantia, & finalis consumatio,

Nota autem, quòd aurora, & diluculo idem sunt, scilicet, aer primo illuminatus, sed tamen diluculum à luce, aurora uero ab aere nomen traxit. Per diluculum igitur Christus, per auroram verò Virgo beata intelligitur, Iob. 38. Nunquid post ortum tuum præcepisti diluculo, & ostendisti auroræ locum eius. Lux de se secundum Dionysium est inuisibilis nisi incorporetur. Vnde adueniente ad nostrum emispeerium luce solari grossiori aere incorporatur, & sic diluculum, & aurora efficitur. Deus igitur qui de se est lux inaccessibilis, de se erat inuisibilis, sed aduenięte ad nostram habitationem grossiori materiæ, idest naturæ humanæ se uniuit, & sic diluculum fecit, quando scilicet uerbum caro factum est, & habitauit in nobis. Ipsa etiam lux in utero virginis se posuit, & sic auroram fecit. Deus igitur diluculo præcepit quando filium suum, qui est uera lux incarnari constituit. Auroræ uerò locum suum ostendit, quando in beata Maria habitationem elegit, iuxta illud psalm. Elegit eam in habitationem sibi.

BEATA VIRGO BALSAMVM potest dici pluribus proprietatibus. Sermo XIX.

BALSAMVM signat Virginem Mariam. Est autem balsamum arbor, siue frutex duorum cubitorum in quãtitate., similis uiti in stipite, in folijs uerò similis rutæ. Olim enim in uineis Engadmi nascebatur, sed facta captiuitate Iudæorum translatæ sunt plantę illę in Ægyptum, & in quodam campo plantatę, ubi sunt septem fontes. In uno quorum fontium B. Virgo dum in Ægyptum fugeret, dr̃ puerum balneasse. Sicut autem dicit glosa Eccl. 24, Oĩa quæ sunt in

balſamo uirtuoſa ſunt, ſcilicet lignum fructus, & liquor. Lignum quidem eſt uirtuoſum, & fructuoſum. Fructus uirtuoſiſſimus,& liquor fructuoſus,& ſuauiſſimus. Et ideo bene per balſamum beatá virgo ſignificatur, quia omnia, quæ in ipſa fuerunt fructuoſa,uirtuoſa,& fructifera extiterunt,ſcilicet,lignum, ideſt corpus virgineum, quod intantum fuit fructuoſum,quòd Deum traxit in ſuum uterum. Cant.3. Dum eſſet rex in accubitu ſuo nardus mea dedit odorem ſuum. Nardus eſt herba aromatica,& nigra,de qua precioſam conficitur vnguentum. Eius quidem corpus fuit aromaticum per odorem puritatis. Eccl.24. Sicut cinnamomum,& balſamum aromatizans odorem dedi. Sed habuit nigredinem humilitatis. Cãticorum.1. Nigra ſum, ſed formoſa filiæ Hieruſalem. Et plena fuit vnguentis omnium gratiarum. Can.2. Trahe me poſt te in odorem unguentorum tuorum.

Secundò fructus balſami eſt precioſus. Eſt autem eius fructus in colore rubicundus,in odore aromaticus,& intus uidetur eſſe melleus, & ſignifiat fructũ virginis benedictum,ſcilicet Ieſum Chriſtũ,in quo fuerunt tres ſubſtantiæ,ſcilicet,caro,quæ fuit in paſſione rubicunda. Iſa.63. Quare rubrum eſt indumentum tuum,&c. Anima,quæ fuit aromatica,ideſt odore omnium uirtutum fuit repleta. Cant. 3. Sicut uirgula fumi ex aromatibus. Et diuinitas, quæ eſt dulcedo,& ſuauitas noſtra, Eccle.24. Spiritus meus ſuper mel dulcis, &c.

Tertiò eſt in balſamo liquor precioſus. Rami enim inciduntur,& inde ſtilat liquor balſami miri odoris. Et iſte odor fuit in Virgine Glorioſa, quæ dicit Eccl.24. Balſamum non mixtum odor meus. Et poteſt intelligi iſte odor,uel de odore uteri virginalis,uel de odore ſuo ſanctitatis. Quando enim Virgo beata habebat in utero Chriſto, tunc ibi habebat balſamum,& ideo fuit odor balſami non mixti. Ibi nulla fuit cõmixtio,uel materia,quia natura diuina,& humana non fuerunt mixta,ſed unita. Vnde cantat eccleſia, Quod fuit permãſit,& quod non erat aſſumpſit,non commixtionem paſſus neque diuiſionem. Nec fuit ibi commixtio ſeminum, quia Virgo non concepit humano ſemine, ſed myſtico ſpiramine. Nec fuit ibi commixtio uirtuoſa per aliquod originale pec-

catum. In alijs enim pueris peccatum originale admiscetur in conceptu, sed non in ortu, quia fuit cum originali concepta, sed sine peccato nata. In Christo autem nõ fuit mixtio, nec in conceptu, nec in ortu, quia sine peccato fuit cõceptus, & natus. Quanuis ibi non fuerit aliqua mixtio, & tamen ibi fuit triplex coniunctio, Nam sicut dicit Bernar. Coniuncta adinuicem sunt Deus, & homo, mater & virgo, fides & cor humanum. Vel istud quod dicitur. Quasi balsamum nõ mixtum odor meus, potest intelligi de odore suæ sanctitatis. Balsamo quidem miscetur aliquando mel, aliquando oleum, & sic sophisticatur, & corrumpitur. Multi sunt qui admixti sũt melli carnalis delectationis, & qui habent tantum oleum exterioris nitoris, & ideo sunt balsamum sophisticum. Beata autem virgo fuit balsamum nõ mixtum, quia non dilexit mel carnalis delectationis, quia conseruauit integérrimam virginitatem, nec habuit tantum oleum exterioris nitoris, sed dilexit interiorem sanctitatem, iuxta illud Psal. Omnis gloria eius filiæ regis abintus in fimbrijs aureis. Balsamum autem uerum non mixtum à balsamo mixto, & sanctificato p quatuor signa cognoscitur, per quæ etiam Virgo beata balsamũ uerum, & non mixtum esse comprobatur.

Primum signum est, quia balsamum purum si ponitur in panno, uel in ueste linea non maculat, nec inficit, si autem est mixtum, statim per maculas se diffundit. Pulchritudo mulieris, sæpe aspicientem commaculat, iuxta illud Eccle.4. Per speciem mulieris multi perierunt. Pulchritudo autem virginis gloriosę nullum aspicientem maculabat, sed potius abstergebat maculas. Quanuis enim pulcherrima fuerit à nullo tamen nunquam potuit concupisci, quia odore suæ sanctitatis corda pœnetrabit, & motus illicitos extinguebat.

Secũdum signum est si balsamum purum ponatur, in aqua statim fundum petit, & ibi quiescit. Si autem est balsamum mixtum statim superenatat. Aqua est fluxus mundanarum deliciarum, diuitiarum, & honorum, in qua aqua si aliqui ponuntur mox superenatant, idest per superbiam efferũtur. Virgo autem beata in maximo honore posita, se non extulit, sed mox fundum humilitatis petijt dicens. Ecce ancilla domini.

Tertium ſignum eſt, quia ſi balſamum purum ponatur in lactè ſtatim coagulatur. Balſamum verò mixtum in ipſo lactè diffunditur. Beata virgo eſt mons ille, de quo dicitur in Pſal. Mons coagulatus, mons pinguis. Eſt enim quoddam lac liquidum, quoddam coagulatum, quoddam pingue. Cæteri autem ſancti fuerunt lac liquidum, quia aut à Dei gratia aliquando effulſerunt, aut effluere potuerunt. Heb. 2. Oportet nos obſeruare ea, quæ audimus, ne fortè effluamus. Apoſtoli uerò poſt aduentum ſpiritus ſancti fuerunt quaſi lac coagulatum, quia fuerunt in gratia ſolidati, & confortati, unde cãtatur de eis. Et ſicut lac coagulati ſunt. Virgo igitur beata nunquam fuit lac liquidum, quia uunquam effluxit, nec effluere potuit, ſed fuit mons coagulatus, & mons pinguis. Fuit enim mons propter altitudinem, & coagulatus propter gratiæ confirmationem, & pinguis propter ſpiritus ſancti repletionem.

Quartum ſignum eſt, quia balſamum uerum ſi in manu teneatur, & radio ſolis exponatur, ſtatim ignoſcit, & caleſcit, ita ut uix in manu teneri poſſit. Balſamum autem mixtum nihil horum facit. Radius ſolaris eſt uirtus ſpiritus ſancti, qui illud balſamum, ſcilicet, virginis animum ſic illuſtrauit, quòd ipſum ignitum totum, & feruidum fecit, immò ut amplius dicamus ipſe radius ſolaris conuertit eam in ſolem, ſicut habetur Apoca. 12. Quod ipſa erat ſole amicta, ſole, ideſt in radium diuini amoris, & gratiæ tota conuerſa.

GENERATIONES QVAE SINT A QVIBVS dicta eſt Beata ipſa Virgo. *Sermo XX.*

BEATA prædicatur Virgo Maria ab omnibus generationibus, iuxta illud Luc. 1. Beatam me dicent omnes generationes. Sunt antem generationes cœli, & terræ. Generationes cœli compræhenduntur in nouẽ ordinibus, qui omnes dicunt eam beatam, ſcilicet, Seraphin, quia fuit igne diuini amoris totaliter accenſa, Cherubin, qa fuit ſplendore diuinæ cognitionis totaliter illuſtrata. Throni, quia fuit totaliter mente deuota, tranquilla, & quieta.

Domina-

Dominationes,quia corpori suo, & omnibus uitijs plenè dominata fuit. Potestates, quia potentiam dæmonum refrenauit. Virtutes,quia gloria miraculorum illustrata fuit. Principatus,quia de omnibus regnis prouincijs magnam habet ꝓuidentiam. Angeli, quia de omnibus hominibus,& singulari bus personis magnam habet curam.

Generationes autem terræ consistunt in sex ordinibus sanctorum, qui omnes dicunt eam beatam ex ea, quòd omnes virtutes, quas ipsi habuerunt particulariter ipsa habuit uniuersaliter,& magis excellenter. Nam in ea fuit fides Patriarcharum. Spiritus Prophetarum. Zelus Apostolorum. Constantia Martyrum. Sobrietas Confessorum. Et puritas Virginum, siue castitas. Vel dici potest, quòd sunt tres generationes. Vna purè spiritualium. Secunda purè corporalium. Tertia ex utraque composita, idest hominum. Prima generatio dicit eam beatam, quia genuit suum restauratorem. Secunda, quia genuit suum redemptorem. Tertia, quia genuit utriusque naturæ angelicæ, scilicet,& humanæ reparatorem. Vel dici potest,quòd secundum August.& Anselmum quatuor sunt generationes hominum. Vna est sine uiro, & fœmina, sicut Adam. Secunda de uiro,& sine fœmina,sicut Eua. Tertia est de uiro, & fœmina,sicut nos omnes generamur. Quarta est de fœmina sine viro,sicut Christus generatus fuit. Bene igitur beatam Virginem beatam dicunt omnes generationes, quia tres primæ generationes beatificant, & glorificant, quartam generationem virginis ex eo, quòd per illam omnes ad cœlestem patriam reuertuntur, unde in primo parente fuerant expulsi, quod signatum est Gene.15. ubi Deus dixit Abrahæ, quòd semen suum debebat esse peregrinum in Ægyptum usque ad quartam generationem. Generatione autem quarta, inquit, Dominus reuerteris huc.

Qualiter autem tres generationes debent eam dicere beatam dicit Ber. Lętare Pater Adã, sed tu magis exulta ò Eua, quia sicut oĩum parentes,sic omnium fuistis peremptores,& qđ infęlicius est prius perẽptores,q̃ parentes,propterea curre ò Eua ad Mariã,curre mater ad filiã, filia pro matre rñdeat,

Illa obprobrium auferat matris, ipſa pro patre mater ſatisfaciat, quoniam ſi uir cecidit per fœminam, iam non erigitur, niſi per fœminam. Item currite nunc matres, & filiæ, currite omnes, quæ poſt Euam parturimini, & parturitis cum triſtitia. Adite virginale thalamum, adite ſi poteſtis ſororis ueſtrę pudicum cubiculum. Vel poteſt dici, q eſt una generatio in cœlo, ſcilicet, generatio angelorum. Alia erat in inferno, ſcilicet, generatio patrum. Tertia eſt in purgatorio, ſcilicet, generatio purgandorum, Quarta eſt in mundo, ſcilicet, generatio fidelium. Omnes iſte generationes ipſam beatificant. Nam angeli per ipſam in numero reparantur, patres de infernali carcere liberantur, purgandi de purgatorio eripiuntur, fideles per ipſam ſaluantur. Ber. Ecce enim inquit Maria ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Ecce intuentis, & demonſtrantis eſt uerbum, Ac ſi dicat, Ecce iam uideo qd futurum ſit de me, quis fructus procedat ex me. Quot & quãta bona non mihi, ſed omnibus generationibus proueniunt ex me. Nam & generatio angelica, per meum generatum reintegrabitur, & hominum generatio in Adam maledicta p benedictum fructum uentris mei ad æternam benedictionem regenerabitur,

INTER MVLIERES BENEDICTA QVOMODO Beata Virgo prædicatur. Sermo XXI.

Benedicta fuit Virgo Maria inter mulieres, in mulieribus, & ſuper mulieres. De prima benedictione dicitur Luc. 1. Benedicta tu inter mulieres. De ſecunda ibidem. Benedicta tu in mulieribus. De tertia dicitur in figura Iudith, 13. Benedicta tu à Domino Deo excelſo, præ omnibus mulieribus ſuper terram. Iſta autẽ triplex benedictio taliter accipi poteſt.

Prima enim, qua dicitur benedicta tu inter mulieres, accipitur pœnes ſtatum, quia ipſa conuenit cum ſtatu omnium mulierum, ſcilicet, cum virginibus, quia ipſa fuit virgo incorrupta. Cum coniugatis, quia ipſa fuit coniugio copulata. Cum uiduis, quia ipſa fuit uidua derelicta. Si enim tempore

pore passionis Ioseph sponsus suus uixisset, non est uerisimile, quòd eam alteri recommendasset iam facta quiaquagenaria, quam recommendauit iuuenculam. Propter hunc triplicem statum, potest sibi conuenire illud Eccl. 24. In Iacob inhabita, idest in coniugatis, qui sunt in luctu mundanæ tribulationis. In Israel hæreditare, idest in uiduis, quæ debent Deum cōtemplando in orationibus uidere. Et in electis meis mitte radices, idest in uirginibus, quas Deus elegit, ut sibi ministrent propter suam munditiam, iuxta illud Psal. Ambulās in uia immaculata hic mihi ministrabat.

Secunda benedictio, qua dicitur. Benedicta tu in mulieribus, accipitur penes fructum suum, siue meritum. Ipsa enim habuit fructum, & meritum omnium fœminarum. Habuit enim fructum tricesimum, qui debetur coniugatis. Fructum sexagesimum, qui debetur viduis. Et fructum centesimum, qui debetur virginibus. Ipsa enim fuit in domo Dei sicut lapis angularis, qui est in uno quoque pariete, non tantum totus in uno, nec totus in altero, sed eminet toti edificio. Sic beata Virgo Maria fuit in numero omnium martyrum, quo ad fœcunditatem. In numero uiduarum, quo ad sponsi subtractionem. In numero virginum, quo ad incorruptionem, & tamen nec ex toto fuit in pariete matrum, quia fuit incorupta, nec ex toto in pariete viduarum, quia semper fuit cœlesti sponso associata, nec ex tota in pariete virginum, quia fuit fœcunda. Quanuis autem sic fuerit in istis parietibus, tamen eminet uniuersis.

Tertia benedictio, qua dicitur benedicta tu super omnes mulieres, accipitur penes quoddam singulare priuilegium, quod ipsa habet respectu omnium mulierum, scilicet, uirginum, uiduarum, & coniugatarum, quia quicquid in eis boni fuit in ipsa fuit, quicquid uero mali ipsa uitauit. In virginitate enim est unum bonum, scilicet, integritas carnis, & unum malum, scilicet, sterilitas prolis. Similiter in viduitate est unum bonum, scilicet, libertas animi, & unum malum, scilicet, sollicitudo consortij.. Similiter in coniugio est unū bonum, scilicet, fœcunditas prolis, & unum malum, scilicet, corruptio carnis. Beata autem virgo Maria fuit virgo sine

sterilitate, vidua sine sollicitudine, & coniugata sine corruptione. Vel fuit benedicta super omnes mulieres, idest super virgines, viduas, & coniugatas. Fuit enim benedicta super virgines in prioritate, quia primo virginitatem seruauit. In puritate, quam post Deum maiorem non habuit. In fœcunditate, quia mater, & virgo fuit. Fuit benedicta super viduas, quia in orationibus fuit feruentissima. In operibus pietatis magis assidua. In castitate magis pura. Fuit benedicta super coniugatas, quia in ea fuit proles dignior, fides integrior & sacramentum, idest habitatio indiuisibilior. Aliter potest accipi ista triplex benedictio, qua dicitur, Benedicta inter mulieres, in mulieribus, & super omnes mulieres.

Prima enim mulier superbiuit usque ad Deum, idest usque ad diuinitatis appetitum, contra Deum, idest contra Dei præceptum, & supra Deum, in hoc, scilicet, quòd uoluit illud qđ noluit eam uelle Deus, & ideo uoluntatem suam super uoluntatem Dei posuit. Et quia sic superbiuit ideo maledicta fuit. Beata autem Maria se humiliauit usque ad mulieres per conformitatem, quia tanquam una illarum se eis conformabat, sicut patet in sui purificatione, & ideo benedicta fuit inter mulieres. Humiliauit se non contra, sed propter mulieres, idest propter earum salutem. Nam quod Eua superbiendo abstulit, humilitas Mariæ mulieribus restituit, & ideo benedicta fuit inter mulieres. Humiliauit se infra mulieres qñ ancillam se nominauit, & ideo benedicta fuit super omnes mulieres, quia qui se humiliat, exaltabitur. De benedictione in mulieribus dicit Ber. Benedicta tu in mulieribus, quia generalem mulierũ euasisti maledictionem, ut nec sterilis maneas, nec cum dolore parias. Concipies quippe, sed sine culpa, grauida eris, sed non grauata, paries, sed nõ cum tristitia, nescis uirum, & gignes filium, illius eris mater cuius Deus est pater, filius paternæ charitatis erit corona tuæ castitatis. Sapientia paterni cordis, erit fructus vteri virginalis, Deum denique paries, & de cœlo concipies. De benedictione inter mulieres dicit Petrus Rauen. sup Missus est. Verè benedicta inter mulieres, quia cœlo fuit maior, fortior terra, orbe latior. Deum nanque mundus nõ capit. sola cępit, portauit eum, qui portat

portat orbem, suumque genuit genitorem, nutriuit omnium uiuentium nutritorem. Denique de benedictione super omnes mulieres dicit Hieronymus in sermone de assumptione. Benedicta, inquit, in mulieribus, idest plus benedicta, quàm omnes mulieres, quia quicquid maledictionis per Euam diffusum est totum benedictio Mariæ abstulit, & refudit gratię. Item in alio sermone, Eua obfuit, Maria profuit, Eua luxit, Maria illuxit. Cadat imperium Euæ, quia loti sumus per partum virginis Mariæ. Vel dicitur fuisse super omnes mulieres, quia triplici maledictioni olim mulieres erant subiectę, scilicet, obprobrij, quo ad non concipientes, unde dixit Rachel Gen. 30. Abstulit dominus obprobrium meum. In dolore paries filios tuos. Sola igitur Maria super omnes mulieres est benedicta, cujus virginitati additur fœcunditas, & fœcunditati in conceptu sanctitas, & sanctitati in partu iocunditas.

IN CVRIA COELESTI BEATA Virgo cancellaria meritò habetur. Sermo XXII.

Cancellaria Dei est Maria in cœlesti curia. Videmus enim quòd in curia domini Papę conceduntur tria genera literarum.

Quædam sunt simplicis iustitiæ. Aliæ sunt puræ gratiæ. Tertiæ sunt mixtę, scilicet, quæ continet iustitiam, & gratiam, Secundum istum modum Deus in curia cœlesti tres habet cancellarios. Vnus est ad quem spectat dare literas simplicis iustitiæ, & iste est Michael Archangelus, qui secundum picturarum repræsentationem animas ponderat in statera, scilicet, tam bonas, quàm malas, ut bonis secundùm magnitudinem meritorum, detur magnitudo præmiorum, Zach. 4. Exequabit gratiam gratiæ eius. Malus autem secundum mēsuram delicti detur mensura supplicij. Apoc. 18. Quantum glorificauit se, & in delitijs fuit, tantum date ei tormentū, & luctum, ideo dicitur Prouer. 16. c. Pondus & statera iudicia domini sunt.

D Alius

Alius cancellarius est, ad quē spectat dare literas mixtas. & iustitiæ, & misericordiæ. Et iste est beatus Petrus Apostolus, qui in palatio Dei est ianitor constitutus, ubi sunt duæ portę, scilicet, porta iustitiæ, & porta misericordiæ. Nam per portam iustitiæ ingrediuntur illi, qui saluantur ex operibus iustitiæ. Per portam misericordiæ illi, qui saluantur ex sola Dei gratia sine operibus. Istam differentiam tangit Apostolus Rom. 4. dicens. Ei autem qui operatur merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum. Ei autem qui non operatur credenti autem in eum, qui iustificat impium, reputatur eius fides ad iustitiam secundum propositum gratię Dei, ideo Petrus pingitur cum duabus clauibus, quia cum una aperit portam iustitiæ illis, scilicet, qui possunt dicere cum propheta. Aperite mihi portas iustitiæ, &c. Cum alia aperit portam gratiæ, & misericordię illis, scilicet, de quibus dicitur Ephe. 2. Gratia Dei sanctificati estis per fidem, & hoc non ex uobis; Dei enim donum est, non ex operibus nequis glorietur.

Tertius cancellarius est, ad quem spectat dare literas purę gratiæ, & misericordiæ. Et ista est Virgo Beata, ideo dicitur. Mater gratiæ, mater misericordiæ. Vnde refert Maurilius Rotomacensis Archiepiscopus, quòd cum quidam beatæ Mariæ deuotus in tribulatione multa esset, beata Maria sibi apparuit, & an se recognosceret requisiuit. Quo respondente, non, illa respondit. Ego sum misericordiæ mater. Deinde mater sancta, mater misericordiæ pietatis, & indulgentiæ, aperi sinum pietatis, & suscipe mortuos in peccatis. Istas autem literas misericordiæ dat tantum in præsenti, Nam animabus recedentibus quibusdam dat literas puræ gratiæ. Quibusdam dat literas simplicis iustitiæ, per quas mandat, ut fiat de eis condigna uindicta. Et quibusdam dat mixtas, scilicet iustitiæ, & gratiæ. Quidam fuerunt sibi ualde deuoti. Illis dat literas puræ gratiæ, per quas mandat, ut detur eis gloria sine aliqua purgatorij pœna. Alij fuerunt miseri, & indeuoti, sicut fuerunt peccatores. Istis dat literas simplicis iustitiæ, per quas mandat, ut fiat de eis condigna uindicta. Alij fuerunt deuotione tepidi, & remissi, Istis dat literas mixtas, scilicet,

iustitiæ,& gratiæ,per quas mandat,ut & eis fiat gratia ꝓpter deuotionem, sed tamen inferatur purgatorij pœna propter negligentiam,& torporem. Ista figurantur Hester,8 ubi dicitur,quòd Hester regina scripsit literas, ubi & Iudæi saluarentur,& hostes interficerentur,& ut pauperibus munuscula darentur. Iudæi sunt beatæ Mariæ deuoti, qui ipsam laudauerunt,& glorificauerunt quia Iudæus interpretatur confitens. Isti portant secum literas suæ saluationis, hostes sunt peccatores miseri, qui portant secum literas suæ damnationis. Pauperes sunt in deuotione tepidi,& egeni,& isti portant secum literas suæ purgationis, per quas mãdatur,ut dentur eis munuscula, idest,parua præmia. Fiet quidem eis gratia, sed parua,& cum purgatorij pœna,propter negligentiam,& torporem,

IN FESTO PVRIFICATIONIS CVR DEFERuntur candelæ Beatæ Virgini. Sermo XXIII.

CANDELAS in purificatione deferimus ratione Virginis, Christi,& nostri. In Virgine enim fuerunt quatuor prærogatiuæ,quæ per candelam intelliguntur.

Prima est virginitas in carne,quæ significatur per ceram, quæ generatur ab apibus sine corruptione,Isa.7. Ecce virgo concipiet,&c.

Secunda est puritas in mente,quæ significatur per licinum candidum inter ceram occultatum. Psal. Omnis gloria eius filiæ regis,&c.

Tertia est sanctificatio in utroque, quæ signatur per hoc, quòd candelæ illæ sanctificantur, & benedicuntur, Psal. Sanctificauit tabernaculum suum altissimus.

Quarta est claritas in conuersatione, quæ signatur per lumen. Sapien.4. O quàm pulchra est casta generatio cum claritate.

Secundò deferimus cãdelas ratione Christi. Candela enim Christum significat ratione compositionis, & cõsumationis. Candela enim componitur ex cera,licino & lumine, In Christo quidem est triplex substantia, scilicet, cæra, idest caro sine

ſemine generata. Pſal. Factum eſt cor meum tanquam cęra, ſcilicet per generationem, liqueſcens, ſcilicet, per paſſionem. Secundò eſt ibi licinus, ideſt anima candore innocentiæ decorata, Sap. 7. Candor eſt enim lucis ęternæ. Tertiò eſt ibi lux, ideſt diuinitas luminoſa. Ioan. 1. Erat lux uera. Et ſicut ignis unitur cerę mediantę licino, ſic diuinitas eſt unita carni mediante anima. De his tribus dicitur Cant. 1. Dilectus meus candidus propter candorem mentis. Rubicundus propter fulgorem deitatis. Electus ex milibus propter incorruptionem carnis. Secundò Chriſtus ſignificatur per candelã ratione conſumptionis. Sicut enim candela ſe conſumit tota in noſtrum ſeruitium, ſic Chriſtus ſe conſumit totum in noſtrum obſequium. Nam conſumpſit carnem per vulnerationem, & attritionem. Iſa. 43. Vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra. Conſumpſit ſanguinem per totalem effuſionem, unde angeli admirantes dixerunt Iſa. 43. Quare rubrum eſt indumentum tuum, &c. Conſumpſit animam per triſtitiam, & dolorem. Mat. 26. Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem. Conſumpſit uitam per abbreuiationem. Iſa. 34. Præciſa eſt uelut à texente uita mea. Conſumpſit ſubſtãtiam temporalem uſque ad denudationẽ. Pſal. Diuiſerunt ſibi ueſtimenta mea.

Tertiò deferimus candelas ratione noſtri. Per candelas enim ſignificatur, quòd debemus habere uitam ſanctam, & famam præclaram. Vitam autem ſanctam faciunt operatio bona, fides recta, & intentio ſincera. Operatio bona ſignificatur per cęram, quia ſicut cęra cœleſti rore gignitur, ſic bona operatio tantum à Deo habetur. Phil. 2. Deus eſt, qui operatus eſt in nobis uelle, & perficere pro bona uoluntate. Fides intelligitur per lumen. Sicut enim candela ſine lumine non lucet, ſic operatio noſtra ſine fide Deo non placet. Heb. 11. Sine fide impoſſibile eſt placerę Deo. Intentio recta ſignificatur per licinum, qui quidem eſt occultus, & candidus, & luminis baiulus. Sic intentio debet eſſe occulta. Grego. Sic ſit opus in publico, ut tamen intentio maneat in occulto. Debet eſſe candida. Mat. 6. Si oculus tuus fuerit ſimplex totum corpus tuum lucidum erit. Debet eſſe luminis baiula, quia ipſa

intentio debet coram Deo opera nostra repræsentare, & remunerationem petere. Matth. 6. c. Pater tuus, qui uidet te in abscondito reddet tibi. Secundò per candelam significatur fama præclara. Candela enim accensa lucet, abscondita non lucet, extincta fętet. Sunt quidam feruentes in uita, & doctrina. Isti sunt sicut candela accensa, de quibus dicitur Ioã. 6. Ipse erat lucerna ardens, & lucens. Alij sunt qui sunt contenti habere bonam uitam tantum, & abscondunt suã scientiam. Isti sunt sicut candela abscondita, de quibus dicitur Lucæ. 11. Nemo accendit lucernam, & in abscondito ponit, &c. Alij sunt, qui nec ardent, nec lucent, sed fętent per mala opera. Isti sunt sicut candela extincta, quæ quidem fętet, & non lucet. De quorum fętore dicitur Isa. 24. De cadaueribus eorum ascendet fętor. Animæ peccatorum sunt cadauera, q̃ sunt mortuæ per peccatum, & de talibus cadaueribus ascendet fętor per malum exemplum.

NON POTVISSE IN VIRGINE *casum in peccatum aliquem incidere.* *Sermo* XXIIII.

CASVS aliquis in peccatum in virginem incidere nõ potuit. Omnis autem casus aut fit per infirmitatem humanam, aut per ignorantiam, & cęcitatem humanam multam, aut per uoluntatem spontaneam, & certam malitiam. Nullo autem istorum modorum beata Virgo cadere potuit, quia fundata erat supra firmam petram, & super altitudinem potentiæ patris, sapientiæ filij, & gratiæ Spiritus sancti. Inter Apostolos autem fuerunt, qui aliquo istorum modorum ceciderunt. Petrus quidem cecidit per infirmitatem humanam, quando scilicet, timore mortis Christum negauit, quia nondum erat fundatus super altitudinem diuinæ potentiæ. Paulus cecidit per ignorantiam 1. Timo. 1. Ignorans feci in incredulitate, quia nondum erat fundatus super altitudinem diuinæ sapientiæ. Iudas cecidit per affectatam malitiam. Psal. Dilexit maledictionem, & ueniet ei, quia non erat fundatus super altitudinem diuinæ bonitatis.

Virgo autem beata nullo istorum modorum cadere potuit, quia super altitudinem diuinæ potentiæ, sapientiæ, & gratiæ firmiter stabilita erat. Eccl. 24. In me omnis gratia uitæ. Ecce quia stabilita fuit super altitudinem diuinæ gratiæ, & ideo cadere non potuit per aliquam malitiam. Sequitur, & ueritatis. Ecce quia stabilita fuit super altitudinem diuinæ sapientiæ, & ideo cadere non potuit per ignorantiam. Sequitur. In me omnis spes uitæ, & ueritatis. Ecce quia fundata fuit super altitudinem diuinæ virtutis, & potentiæ, & ideo cadere non potuit per infirmitatem humanam Maxime autem tempore passionis Christi Apostoli ceciderunt à fide. Luc. vlt. Nos sperabamus, quòd ipse esset redempturus Israel. Ceciderunt à gratia Christi, quia omnes mortaliter peccauerunt, & ideo Christi gratiam perdiderunt. Ceciderunt etiam à societate Christi. Ioan. 16. Venit hora, ut unusquisque dispergamini in sua, & me solum relinquatis. Virgo autē beata à fide Christi cadere non potuit, quia omnia, quę de ipso erant fuerat experta, & sancto spiritu edocta. Nec à gratia Christi, quia in utero matris fuerat sanctificata, & in gratia confirmata. Nec à societate Christi, quia semper fuit cruci affixa. Ioan. 19. Stabat iuxta crucem Iesu mater eius.

EX PROPRIETATIBVS CEDRI EX EO *quoque nomine potest appellari Beata Virgo.* Sermo XXV.

CEDRVS signat Mariam, iuxta illud Eccl. 24. Quasi cedrus exaltata sum in libano. Sunt autem duo genera cedrorum, una quæ nascitur in libano. Alia quæ nascitur in locis marinis.

Prima est, quæ consideratur quantū ad arborem, & fructum, & usū. Arbor aūt istius cedri est alta, & imputribilis, odorifera, & semper uirens. Sic beata Virgo fuit alta per cœlestium cōtemplationem. Eccl. 24. Ego in altissimis habito. Fuit imputribilis per omnimodam incorruptionem. Est enim archa Dei, quæ facta fuit de lignis Sethim, quæ sunt ligna incorruptibilia. Fuit odorifera per repletionem omnium uirtutū

& ca-

& carismatum. Cant.4.c. Odor unguentorum tuorum super omnia aromata. Hugo de sancto Victore. Nullus in gratia tibi similis esse potuit, per quam gratia super omnes filios hominum uenit. Spiritus sanctus singulariter in tua humilitate requieuit, & in tua virginitate miraculum nulli comparabile fecit. Idcirco odor vnguentorum tuorum super omnia aromata, filius tuus unctus, tu quoque uncta es. Ipse quidē super te, & præ cunctis participibus tuis, accepit vnguenti plenitudinem, tu uero post ipsum præ cunctis suauitatem. Fuit etiā semper uirens, quia plantata fuit super aquas omnium gratiarum, iuxta illud Hiere. 24. Erit quasi lignum, quod trāsplantatur iuxta aquas, quod ad humorem mittit radices suas, & non timebit cum uenerit æstus, & erit foliū eius viridè, & in tēpore siccitatis non erit sollicitū. Hieronymus in sermone de assumptione. De hac sacratissima Virgine secretorum cōtemplator cœlestium in canticis ait. Vidi sponsam sicut colūbam ascendentem desuper riuos aquarum, quia super aquam refectionis educauit eam dominus, ex qua multi riui deducti sunt, & totam terram irrigant delitiarum.

Secundò cedrus quantum ad fructum consideratur. Nam poma illius cedri in aliqua parte sunt dulcia. In aliqua sunt acetosa. In aliqua parte inter dulce, & amarum, & acetosum sunt media. Similiter beata Virgo aliquando fuit plena dulcedine. Aliquando amaritudine. Aliquādo in utroque simul. Nam tota plena fuit dulcedine in Christi conceptione. Can. 4. Fauus distillans labia tua. Quæ uerba exponens. Hugo de sancto Victore sic dicit. Mel erat diuinitas in ea. Terra vero humanitas tua, in meipsum fauum mellis, quod est impressum in te assumptum est de te. Deinde subdit; O quàm dulcis, & suauis es, quæ sola digna eras, ut supernæ dulcedinis osculum in tuo conceptu susciperes, & totius mundi suauitatem in partu, ideo mel, & lac sub lingua tua, hoc est uerbum patris sub carne tua. Sub lingua tua, quia abscōditorum, mel & lac Deus, quàm homo, vel diuinitas, & lac humanitas, quia mel de rore cœli exprimitur, & lac de carne. Secundò fuit plena amaritudine in filij passione. Ideo dixit ei Simeon. Tuam ipsius animam pertransibit gladius. Bernar. Animam

Christi non attigit crudelis lancea, quia iam Christus spiritum suum emiserat, sed tua anima, ibi erat, & ideo gladius doloris tuam animam pertransiuit, ut te plusquam martyrem, non immerito prædicemus, in qua nimirum sensum in corpore passionis excessit affectus compassionis. Tertiò fuit dulcis, & amara post Christi ascensionem. Amara quidē propter filij subtractionem. Hieronymus in sermone de assumptione. Quantis putas virgo filij doloribus afficiebatur, quo desiderio æstuabat.dum animo cūcta reuolueret cuncta, quæ audierat, & uiderat, puto quòd quicquid humanæ uirtutis est cogitare non sufficiat. Nam & si diligebat ex toto corde Christum, nouis tamen inflammabatur quotidie præsentia absens affectibus desideriorum. Tanto siquidem ualidius quā to diuinitus illustrabatur uisitationibus interius. Fuit autem plena consolatione propter filium, quem ad patris dexteram sublimari uidebat. Et fidelium instructionem, quia eorum magistra remanserat, & Apostolos, & discipulos docebat. Hieronymus ubi supra. Ecce Domino Iesu ascendente in cœlum virgo uacat in scola uirtutum, ac meditatur in lege mandatorum Dei, ut ipsa sit forma discipulis Christi, & exemplū perfectionis. Conuersabatur cum senatoribus cœli in curia Paradisi, sub disciplina Spiritus sancti. Inuenitur prima inter primas cohortes summi regis, quorum uita iam non erat in terris, sed in cœlis.

Tertiò cedrus consideratur quantum ad succum, qui multiplicem habet uirtutem. Nam caliginem oculorum detergit, tumorem deprimit, carnes à putrefactione custodit, & morsibus serpentum subuenit. Iste succus est amor diuinus, quo beata virgo nos in amorem diuinum nutrit, per quem in nobis multa beneficia facit. Nam detergit caliginem ignorantiæ lumine suæ ueritatis, ideo uocatur Eccl. 24. Mater agnitionis, quia ignorantiam depellit, & uerām de Deo cognitionem infundit. Prouer. 14. Sapiens mulier ædificat domum suam.

Secundò deprimit tumorem superbiæ exemplo suæ humilitatis. Non enim est aliquis ita superbus, nec ita sublimis, q non debeat humiliari, ad considerationem tantæ humilitatis. Eccl. 24. Omnium excellentium, & sublimium colla propria

virtute

virtute calcaui. Propria virtus virginis fuit humilitas, quãdo ipsos ad humilitatem reuocat.

Tertiò custodit à putredine luxuriæ virtute suæ virginitatis, & puritatis, ideo assimilatur myrrhæ. Eccl. 24. Quasi myrrha electa dedi suauitatem odoris. Sicut enim myrrha conseruat carnem à putredine, sic eius puritas, & virginitas, nos conseruat à fętore carnalis concupiscentiæ.

Quartò succurrit morsibus serpentum, idest dæmonum imperio suæ potestatis. Gen. 3. Ipsa conteret caput tuum. Tunc enim Maria caput serpentis conterit quando à nobis prauas cogitationes expellit.

Secundò est quædam cedrus maritima, quæ est parua, sed fructuosa, & odorifera, & significat beatam Virginem Mariam, quæ fuit parua per humilitatem, fructuosa per fœcunditatem, & odorifera per sanctitatem. Poma autem huius cedri triplicem habent substantiam. Prima est calida. Media est temperata. Vltima frigida. Et significat Christum, qui fuit fructus huius cedri; in quo fuerunt tres substantiæ, scilicet, deitas, anima, & caro, prima, scilicet, deitas est ualde calida, quia omnium uitiorum consumptiua, & omnium cordiũ inflammatiua. Hebr. 12. Deus noster ignis consumens est. Media, scilicet, anima fuit ualde temperata, quia omnes uirtutes in ipsa suum tenuere medium, & nulla unquam ad aliquod declinauit extremum. Vltima uerò & extrema substãtia, scilicet, caro fuit frigida, quia ab omni inordinato calore fuit pœnitus aliena.

BEATA VIRGO SPIRITVS *Sancti cellaria iure dicenda.*

Sermo XXVI.

CELLARIA Spiritus sancti est Virgo Maria. Habet enim Deus cellam vinariam, idest Spiritus sancti abundantiam, in qua Deus beatam Virginem introduxit, & eam cellariam suam fecit, iuxta illud Canticorum 2. Introduxit me rex in cellam vinariam. De ista autem cella propinat vinum illis, qui sunt in via, ad aliqualem sanitatẽ, & illis

& illis, qui sunt in patria ad ebrietatem, iuxta illud Canticorum. 5. Bibite amici, & inebriamini charissimi. Sancti qui sunt in uia, sunt amici sui, sed illi, qui sunt in patria, sunt charissimi. Amici ergo bibunt, sed charissimi inebriantur, quia sanctis qui sunt in mundo dat gratiam ad iustificationem. Illis uero qui sunt in cœlo ad perfectam fruitionem.

Vel potest dici, quòd amici Dei sunt angeli, qui sunt sibi in intimo amore, & sunt chariores, quia naturæ conformitate propinqui, & sunt charissimi, quia charissimo precio redempti. Angeli igitur qui sunt amici bibunt, quia ex uisione diuinitatis, suas declarationes hauriunt. Homines uero beati q sunt charissimi ebrij sunt. Nam bibunt quando suas delectationes hauriunt ex uisione diuinitatis, & redibunt, quãdo delectationes suas hauriunt ex uisione humanitatis. Ebrietas enim non causatur ex uno haustu, sed ex frequenti actu bibẽdi. Quia igitur sancti bibunt, ideo ebrij sunt. Istud autem uinum spiritus sancti, ista cellaria nobis abundanter propinat, & ideo assimilatur crateri, & aquæductui. Crateri iuxta illud Cant. 5. Vmbilicus tuus crater tornatilis nunquam indigens poculis. Ipsa enim est crater inquantum semper infundit, & est tornatilis inquantum circumcirca semper inuadit, ut inueniat cui infundat, & est nunquam indigens poculis, quia nũquam euacuatur, sed semper plena inuenitur Eccl. 24. Sicut aquæductus exiui de Paradiso. Bern. Vehementia desiderij, feruore deuotionis, puritate orationis fontem attigit pietatis, ut hauriret super angelos, q refunderet hominibus aquã uiuam, propterea enim tanto tempore fluenta gratiæ defuerunt, quia mundum intercesserat aquæductus. Sicut enim uidemus, quòd in diuinis est emanatio per modum naturæ, per quam filius procedit à patre, & per modum amoris, & liberalitatis, per quem spiritus sanctus procedit à patre, & filio, ita ab ista cellaria duo nobis beneficia prouenniunt. Vnum per modum naturæ, scilicet, filius, de quo Deo regratiamur. Psal. Suscepimus Deus misericordiam tuam in medio templi tui. Alium per modum amoris, & suæ liberalitatis, scilicet, dona spiritus sancti, quæ per ipsam à filio obtinemus, unde non tãtum eius oratio, sed etiam eius salutatio tantæ fuit efficaciç,

quòd

quòd Ioannes, & Elisabeth ad eius salutationem spiritus sancti gratia sunt repleti. Ista autem cellaria eodem cibo nos pascit, quo se, & eodem potu nos reficit, quo & seipsam. Vnde ipsa dicit de suo cibo, & potu Cant. 5. Comedi fauum cum melle meo, bibi uinum meum cum lacte meo. Tunc fauum cum melle comedit, quando Christum in suo utero gestauit, in quo fuit cera charitatis, mel diuinitatis. Tunc enim uinum cum lacte bibit, quando spiritus sanctus eius animam impleuit vino cœlestis gratiæ, & eius carnem perfudit lacte virginalis munditiæ. Eodem modo ipsa nos pascit fauo mellis, quando facit nos delectari in Christo, in cera suæ humanitatis, & in melle suæ diuinitatis. Similiter potat nos uino, & lacte, quando dat nobis spiritualem lętitiam in mente, & munditiam in carne.

BEATA VIRGO AEQVIPARATVR COELO *Sidereo, Crystallino, & Empireo.* *Sermo XXVII.*

COELVM dicitur Virgo Maria. Est autem triplex cœlum, scilicet, sydereum, crystallinum, & empireum.

Primò cœlo, scilicet, sydereo assimilatur Virgo Maria propter ornatum motum, & effectum. Sicut enim illud cœlum est ornatum uarietate stellarum, sic Maria diuersitate uirtutum. Eccl. 43. Species cœli, idest, Mariæ, cœlestis gloria stellarum, idest gloriosa uarietas uirtutū. De ornatu istius cœli dicitur Apoc. 12. quòd ipsa habebat in capite coronam stellarum duodecim. In duodenario autē duplex est senarius, qui est numerus perfectionis, & signat sanctos qui sunt in patria, & perfectos qui adhuc sunt in uia, qui omnes beatā Virginem tanquam reginam, & dominam honorant, coronant, & ornant.

Secundò propter motum. Sicut enim cœlum sua uirtute omnia sydera quotidie secum circumducit, sic Maria omnes sanctos ad intercedēdum secum adducit. Motor autem istius cœli est ille, de quo dicitur in Psal. Verbo domini cœli firmati sunt. Ipsa igitur tali motione agitata mouetur ad Deum per feruentem amorem. Est enim tota Dei, de qua dicitur

Ezech.1. Quocunq; ibat spiritus illuc eunte spiritu, & rotæ pariter eleuabantur sequentes eum. Spiritus enim vitæ erat in rotis. Modo ad filium ipsum pro nobis orando. Modo ad angelos ipsos in nostrum ministerium dirigendo. Modo ad ipsos beatos, vt pro nobis orent exhortando. Ecce quanti motus,& mobilitatis est illud cœlum. Ideo dicitur Sap.7.c. Omnibus mobilibus mobilior est sapientia.

Tertiò propter effectum. Sicut enim mediante cœlo, & suis luminaribus habemus omnia terræ nascentia, sic ab ipsa percipimus omnia Dei dona. Nam sicut cœlum terram visitat, & suis luminaribus ipsam fœcundat, & quodammodo suis imbribus inebriat, & nubibus ipsam multiplicat in fructibus,& locupletat in auro,& argento, & lapidibus preciosis, ita Maria totam ecclesiam illustrat, & visitat suis exemplis. Inebriat Spiritus sancti donis, multiplicat in operibus bonis,& locupletat in virtutibus preciosis. De his quattuor dicitur in Ps. Visitasti terram,&c.

Secundum cœlum est cristallinum, quòd factum est de aquis quæ super cęlos sunt. Quæ quidem in modum cristalli sunt solidatæ. Illi cœlo cristallino Beata Virgo assimilatur ratione materiæ, efficaciæ, & formæ. Materia quidem, vt dictum est sunt aquæ in modum cristalli solidatæ. Aquæ sunt cogitationes, & affectiones fluxibiles, quæ in nobis sæpe fluunt de vitio in vitium. Sed istę aquæ in Beata Maria fuerunt solidæ,id est,in bono confirmatę,fuerunt lucidæ, idest,purissimæ,& transparentes,& perui ę,quia per illas Dei gloria contemplabatur, & intuebatur iuxta illud 2. Cor. 3. Nos autem reuelata facie gloriam Dei speculantes,&c.

Secundò ratione efficaciæ. Dicunt enim, quòd influentia cœli syderei lucis disponit ad susceptionem vitę vegetabilis. Influentia verò lucis cœli cristallini ad susceptionem vitæ sensibilis. Influentia autem lucis cœli empirei ad susceptionem vitæ rationalis. Sunt quidam,qui dant tantum flores.i. humanas cogitationes;i.bonas voluntates. Istis B.Virgo ad modum cœli syderei dat vitam vegetabilem, quia eos bonis operibus facit fructificare. Eccl,3.c. Obaudite me diuini fructus,florete flores,& fructificate,&c. Alij sunt sine sensu de-

uotionis, & sine motu progressionis, quia nec in bono profi-ciunt nec spiritualia sibi sapiunt. Istis admodum cœli cri-stallini infundit vitam sensibilem, dando eis, scilicet, sen-sum & motum, vt habeant sensum internæ deuotionis, & motum feruentis operationis. Alij sunt, qui in suis ope-rationibus non obseruant nec motum, nec locum, nec tempus. Istis admodum cœli empirei infundit vitam ra-tionalem, ut seruetur illud Rom. 12. Rationale obsequium vestrum.

Tertiò assimilatur cœlo cristallino ratione formæ: Est enim formę sphericę, quę quidem est capacissima, perfectissi-ma, & pulcherrima. Sic & ipsa fuit capacissima, quia Dei habitatio effecta. Vnde cantat ecclesia. Quia quem cœli capere non poterant tuo gremio contulisti. Fuit perfectissi-ma, quia omnibus virtutibus accumulata. Eccles. 24. In me omnis gratia viæ, & veritatis. Fuit pulcherrima, quia nulla macula etiam veniali fuit vnquam respersa. Cant. 4. Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.

Tertium cœlum est empireum, quod est habitatio om-nium sanctorum, & istud cœlum est luciformæ, capacitatis summę, & sublimitatis immensæ. Assimilatur ergo isti cœ-lo Beata Virgo.

Primò propter ineffabilem claritatem, quia tota lucet, & resplendet. Apoc. 12. Mulier amicta Sole, & Luna sub pedi-bus eius, & in capite eius corona stellarum duodecim, ecce quia est lucida a parte inferiori, ideo dicitur Luna sub pe-dibus eius: A parte superiori, ideo dicitur quòd in capite eius erat corona stellarum duodecim. Et a parte medij, ideo dicitur amicta Sole.

Secundò propter capacitatem. Sicut enim non potest ex-cogitari aliquis locus maioris capacitatis, quàm cœlum empireum, sic nec aliqua creatura potest inueniri maioris charitatis, quàm Maria. Habuit enim amplum vterum in quo recepit Deum. Habuit amplum intellectum, quia habuit cognitionem omnium diuinorum. Habuit am-plum affectum, quia per compassionem recipit miserias om-nium afflictorum.

Tertiò assimilatur cœlo empireo propter sublimitatem. Sicut enim illud cęlum est sublimius omnibus corporibus, sic & ipsa sublimior est omnibus creaturis spiritualibus tam angelicis, quàm rationabilibus. Psal. Eleuata est magnificentia tua, idest Virgo Maria, cui Deus magna fecit, & hoc super omnes cœlos tam materiales, quàm rationales, quia omnium sanctorum regina cōstituta. Ideo ipsa dicit. Quia fecit mihi magna qui potens est. Ber. Magnum est, q̃ mater sum, & magnum est, quòd utrunque simul, & mater, & virgo sum. Sed cuius mater, vnigeniti Dei plasmatoris, & saluatoris omniū. Hugo de sancto Victore. Magnum utique fuit, ut Maria plasmatoris sui mater fieret. Magnum ut uirgo sine virili semine filium conciperet. Magnum ut virgo Dei patris uerbū carne sua indutum in utero gestaret. Hæc omnia magna sunt, sed ei, qui potens est, cui nulla sunt impossibilia, non est magnū.

QVINQVE SIGNIS OPTIMI CINAMOMI quinque laudes Beatæ Virginis celebrantur.

Sermo XXVIII.

CINAMOMVM dicitur Virgo Maria iuxta illud Eccle. 24. Sicut cinamomum, & balsamum aromatizans odorem dedi. Est autem cinamomum speciés calida, sicca, & aromatica, sic & ipsa sicca fuit in carne per temperātiam, & siccitatem. Calida in anima per feruorem, & charitatem, aromatica in utroque per munditiam, & puritatem. Notandum autem quòd cinamomum per quinque signa cognoscitur, quando, scilicet, est laudabile, & bonum, propter quæ beatam Mariam meritò repręsentant.

Primò ex colore, quia non debet esse subalbidum, nec nigrum, sed subrussum, sic nec ipsa fuit subalbida per uanā gloriam; nec nigram per alicuius peccati maculam, sed subrussa per charitatē succensam. Hieronymus in sermone de assumptio. Totam ipsam repleuerat spiritus sancti gratia, totam diuinus amor incaluerat, ita quòd in ea nihil esset, quod mundanus uiolaret affectus, sed ardor continuus, ac perfusi amoris ebrietas.

Secundò cognoscitur ex odore, quia ex sua aromaticitate cerebrum multum confortat, & fluxum restringit. A cerebro autem fluunt sensus, & motus. Odor igitur sanctitatis beatæ Mariæ confortat virtutem motiuam, dum eam allicit ad bene operandum. Confortat virtutem affectiuam, dum eam inflammat ad diligendum. Confortat virtutem intellectiuam, dum eam illuminat ad cognoscendum. Iste etiam odor suæ sanctitatis restringit fluxum carnalitatis, ideo assimilatur odori thuris, qui habet restringere fluxum reumatis. Cant. 4. Odor uestimentorum tuorum sicut odor thuris.

Tertiò cognoscitur ex sapore, quia appetitum acuit, ideo in salsamentis apponi consueuit. Beata autem Virgo inflammat nostrum desiderium, & acuit appetitum. Eccle. 24. Qui edunt me, adhuc esurient, & qui bibunt me, adhuc sitient.

Quartò cognoscitur ex subtilitate. Grossum enim cinamomum non est bonum, sed gracile, & subtile. Ipsa autem nõ fuit grossa, sed valde subtilis p humilitatẽ. Ezech. 16. Induite me subtilibus. Tunc enim Deus beatam virginem uestiuit, quando dedit sibi humilitatem in corde, & mansuetudinem in conuersatione.

Quintò cognoscitur ex virtute. Cinamomum enim quando est bonum, & laudabile multiplicem habet virtutẽ, & maximè ualet contra vulnera labiorum. Quæ autem sunt vulnera labiorum nisi peccata cogitationum, & locutionum. Ista vulnera locutione sanat beata Virgo ex sua locutione modesta. Omnia enim uerba sua fuerunt vulnerum nostrorum medicina, & nostrarum locutionum exempla. Ipsa enim fuit discreta in inquirendo quando dixit. Quomodo fiet istud. Fuit humilis in obediendo, quando dixit. Ecce ancilla domini. Fuit curialis in salutando, quando salutauit Elisabeth. Fuit grata in regratiando, quando, scilicet, beneficia Dei in se cognoscens, regratiata est Deo dicens, Magnificat anima mea dominum. Fuit modesta in reprehendendo, quando, scilicet, dixit. Fili quid fecisti nobis sic. Non enim eũ maledixit, uel eum increpata fuit, sed cum modestia reprehendit. Fuit pia in compatiendo, quando compassa est sponso cui uinum defecerat, & ideo dixit filio. Vinum non habent. Fuit sapiens

in consulendo, quando dixit ministris. Quodcunque dixerit uobis facite.

EX PERFECTIONE CYPRESSI declaratur Beatæ Virginis similis perfectio. Ser. XXIX.

CYPRESSVS repręsentat Virginem beatam Mariã iuxta illud Eccl. 24. Quasi cypressus in monte Sion. Est autem cypressus arbor odorifera, solida, & uirtuosa. De odore autem cypressi legitur, quòd eius lignum præcisum, & aridum magis redolet, quàm viridè, & quòd lignum cypressi igni appositum, multum redolet, & quòd eius odor fugat serpentes, & uermes. Dicitur igitur beata Virgo cypressus ratione odoris. Fuit autem odorifera. Primò, quia fuit ab omni humore mundani amoris pęnitus exiccata. Secundò, quia fuit igni spiritus sancti apposita, immò fuit tota in ignem amoris conuersa. Tertiò, quia fuit soli diuino exposita, immò fuit tota ipso sole uestita. Apoc. 12. Mulier amicta sole. Et qa sic fuit tota odorifera, ideo odor suæ sanctitatis expellit serpentes, idest diabolicas tentationes, & uermes, idest malas cogitationes conscientiam comedentes.

Secundò cypressus est arbor solida, ex qua soliditate accidit, quòd non potest putrefieri, nec aliquo pondere flecti, & quòd est apta conseruationi. Eodem modo Virgo beata sic fuit in Dei amore solidata, & gratia, quòd eius corpus non potuit putrefieri, nec in uita per aliquam corruptionem, quia fuit prædita virginitate, nec in morte per aliquam resolutionem, quia fuit uestita immortalitate. Est etiam cypressus sic solida, quòd in turribus, uel in domibus posita nullo modo potest flecti, uel incuruari, sed semper in sua rectitudine perseuerat. Sic beata Virgo intantum fuit in gratia Dei solidata, quòd nullo pondere alicuius tribulationis nunquam fuit à sua rectitudine incuruata. Passa est enim magnum pondus tribulationis, quando puella tenera, & delicata, è nouo surgens à partu fuit in Ægyptum, & per septem annos ibi peregrina permansit. Passa est magnum pondus tribulationis quã do ante oculos suos vidit filium suum crucifigi, & vulnerari,

Et

Et q̄a solidata erat in gratia, ideo non potuit flecti per aliquā impatientiam, sed semper tenuit rectitudinem iustitiæ, fidei, & gratiæ. Nec mirum si sic fuit solidata, & firmata, quia septem columnis, idest, septem Spiritus Sancti donis uallata fuit. Prouer. 9. Sapientia edificauit sibi domum excidit columnas septem. Est etiam lignum cypressi aptum conseruationi. Fiant enim inde capsellę, & alia uasa in quibus sancto rum reliquię conseruantur, quia propter suam stabilitatem non patitur ut res interpositę aliquam patiātur corruptionē. Quia igitur Virgo Beata ualde solidata in proposito uirginitatis immo humilitatis fuit, ideo eius uterus fuit idoneus ad recipiendum conseruandum, & retinendum Dei filium quem nouem mensibus in suo utero conseruauit.

Tertio cypressus est arbor ualde fructuosa. Omnia enim quę in cypresso sunt medicinalia, & uirtuosa sunt, scilicet, cortex, lignum, & fructus. Sic etiam omnia quæ fuerunt in Beata Virgine fructuosa fuerūt, s. folia, i. eius uerba. Cortex, idest, eius conuersatio exterior, & fructus, idest, eius opera.

Sed primo uideamus de uirtute eius foliorum, idest, uerborum. Nam unum uerbum dixit, scilicet, Ecce ancilla domini quod fuit tantę uirtutis, quòd Deum incarnari fecit.

Aliud uerbū dixit, scilicet, salutationis Hęlisabeth, quod fuit tantę uirtutis, quòd Deum hominibus subditum esse fecit, unde sequitur. Et erat subditus illi.

Aliud fuit, s. uinum non habent, quod fuit tantę uirtutis, quòd aquam in uinum conuertit.

Eius etiam cortex, scilicet, conuersatio tantę fuit uirtutis, & gratiositatis, quòd faciebat Deo magnam gloriam, angelo magnam lętitiam, hominibus magnam honorificentiam. Iudith. decimoquinto capit. Tu gloria Hierusalem, idest, Dei in quo est uisio pacis nostrę, tu lętitia Israel, idest, angelorum, qui uident Deum facie ad faciem, tu honorificentia populi nostri, idest totius generis humani.

Est etiam fructus, idest, eius opera, quæ intantum fuerunt uirtuosa, quòd sicut dicitur. Prou. ultimo Manum suam misit ad fortia. Ista autem fortia, quę fecit, notantur Iudith. 15.

Postquam enim dixit. Tu gloria Hierusalem. Et subdit, Quia fecisti viriliter,& confortatum est cor tuum, eo quòd castitatem amaueris,& manus Domini confortauit te,& eris benedicta in æternum. Ex quibus uerbis habetur,quòd quatuor fortia opera fecit. Vnum est,quia diabolicam uirtutem confregit, quod notatur cum dicitur. Quia fecisti uiriliter, & confortatum est cor tuum. Tunc enim uiriliter egit,quando caput Holofernis.i.uirtutem dæmonis confregit.

Secundum est quia carnalem concupiscentiam in se pœnitus resecauit, quod notatur cum dicitur. Eo quòd castitatem amaueris.

Tertium,quia manum diuini auxilij ad se inclinauit,quod notatur cum dicitur. Ideo manus Domini confortauit te.

Quartum est, quia benedictionem æternæ gloriæ sibi acquisiuit,ꝙ notatur cum dicitur,Et eris benedicta in æternum.

VT COLLVM ORNATVR MONILI, SIC decorata B. Virgo describitur. Ser. XXX.

COLLVM dicitur Virgo Maria iuxta illud Cant. 1. Collum tuum sicut monilia,vbi duo sunt videnda. Primò quare dicatur collum. Secundo quare dicatur monilia.

Circa primum notandum,quòd ipsa assimilatur collo propter respectum ad Deum, ad seipsam, & ad nos, per respectum ad Deum dicitur collum triplici ratione.

Pimò ratione coniunctionis. Sicut enim collum coniungit caput corpori,sic & ipsa coniungit Christum, qui est caput ecclesiæ, quæ est corpus suum. Hæc autem coniunctio & unio in eius utero facta fuit,quando,s.de ea carnem assumpsit,& sibi vniuit,quando.s.verbum caro factum est.

Secundò ratione mediationis. Sicut enim collum est medium inter caput, & corpus, sic & ipsa est mediatrix inter Deum,& nos,unde dicitur.Medium templum.Psal.Suscepimus Deus misericordiam tuam in medio templi tui. In templo quidem sunt tres diuisiones.Prima est sacrarium. Vltima est corpus ipsum. Media est chorus. Sicut enim chorus est

me-

medium inter sacrarium, & corpus, sic & ipsa est mediatrix inter Deum,& genus humanum.

Tertiò ratione rectitudinis. Sicut enim collum est rectũ, sic & ipsa in omnibus quæ agebat, rectam intentionem habebat, Cant. 7. Collum tuum sicut turris eburnea, Dicitur enim turris eburnea propter rectitudinem,& eburnea propter puritatem.

Secundò dicitur collum propter comparationem ad seipsam,& hoc propter tria.

Primò enim propter eminentiam, & dignitatem. Sicut enim caput post collum præminet omnibus alijs membris, sic ipsa post Christum præeminet omnibus sanctis, ideo assimilatur cedro. Eccl. 24. Quasi cedrus exaltata sum in libano. Sicut enim excedit omnes arbores in latitudine, sic ipsa excedit omnes sanctos in dignitate.

Secundò propter eloquentiæ gratiositatem. Sicut enim in collo formantur uerba, sic & ipsa in conspectu Dei pro nobis loquitur bona uerba, quæ uerba Deus audit libenter, ut dicat ei, Cant. 2. Sonet uox tua in auribus meis, uox enim tua dulcis,& facies aut decora.

Tertiò propter compassionem, & pietatem. Sicut enim collum de facili flectitur, sic & ipsa de facili ad compassionem mouetur. Flectitur aut collum modo à dextris modo à sinistris, modo ante, & modo retro, sic & illa modo ad illos, qui sunt à dextris prosperitatis dando temperantiam, modo ad illos qui sunt à sinistris, i. in aduersitate dando patientiam, modo ad illos qui sunt à tergo, boni quidem habent faciem suã ante Deum, mali uero habent post tergum, Hiere. 2. Verterunt ad me tergũ,& non faciem. Flectitur ergo ad illos qui sunt ante Deum, conseruando eos in gratia, & ad illos qui sibi tergum uertunt, reducendo eos ad pœnitentiam.

Tertiò dicitur collum per respectum ad nos. Et hoc propter tria nobis necessaria.

Primò propter sustentationem. Sicut enim caput collum sustentat, sic & illa nos omnes sustentat. Ideo dicitur collũ. i. columna. De qua columna dicitur Ecclesiast. 24. Thronus meus in columna nubis. Thronus Dei fuit Virgo beata,

quæ etiam est columna, inquantum sustentat nos, & est nubes inquantum nos à terrenis subleuat. Secundò propter subministrationem. Sicut enim à capite, mediante collo, in corpus descendunt omnia nutrimenta, sic & à Christo per Virginem in nos ueniunt omnia Dei dona, ipsa autem non est auara, sed semper manum suam aperit inopi, & nobis gratias spirituales tribuit. Prouerb. vlt. Manum suam aperuit inopi. Tertiò propter respirationem, & inspirationem. Sicut enim à collo aer interior emittitur, sic per ipsam Deo nostra deuotio præsentatur. Et sicut exterior aer per collum ad corpus trahitur, sic per ipsam nobis omnis gloria inspiratur. Eccl. 4. Sapientia filijs suis uitam inspirat.

Secundò uidendum est quare dicatur monilia. Circa quod sciendum, quòd monile est ornamentum pectorale, quod conficitur ex auro, argento, & lapide precioso. Ex hijs tribus confectum est illud monile Dei. Ista sunt illa tria, de quibus dicitur. 1. Tim. 5. Integer spiritus uester, anima, & corpus, caro sine querela seruetur. Ipsa enim habuit corpus aureum, idest, incorruptum, animam argenteam, idest, lucidam, & puram, & spiritum coram Deo preciosum. Dicitur aũt monile à munere, quia sponsi talia ornamenta spõsis suis dare consueuerunt, ut se ornent. Vel dicitur à muniendo, quia pectus munit sponsæ suæ ne aliquis impudicus manum apponat. Vel dicitur à mona, quia duo ora capitij iungit, & de ipsis quodammodo unum facit. Vel dicitur à monendo, quia amonebat abstinere ab illa uidentes tanquam à coniugata. Olim enim solummodo nupta monilia deferebat. Et sic patet, quòd monile habet quattuor facere, scilicet, pectus ornare, pectus munire, diuisa coniungere, & omnes admonere. Ista quattuor facit nobis istud monile Dei. Nam nos ornat suis exemplis. Ecclesiast. 24. Sicut Sol oriens mundo in altissimis Deo, sic mulieris bonæ species ornamentum domus eius. Pectus nostrum munit suis præsidijs, ne dæmones illuc intrare possint. Et ideo dicitur Cant. 6. Terribilis ut castrorum acies ordinata. Diuisos, & separatos à Deo coniungit, & unit. Peccata enim à Deo diuidunt. Isa. 59. Iniquitates uestræ diuiserunt in

ter-

ter uos, & Deum uestrum... Sed illos sic diuisos à Deo coniungit, cum eis ueniam acquirit. Alias nostras signat, per quod dæmones admonentur ne eas contingant cum sint spõsæ Dei, iuxta illud Oseæ 2. Sponsabo te mihi in fidem. Ad istud signaculum recipiendum admonet dicens Cant. 8. Pone me ut signaculum super cor tuum.

QVIBVS COMMENDATVR COLVMBA, similibus commendatur Beata Virgo. Sermo XXXI.

COLVMBA significat Virginem Mariam propter plura in quibus ipsa columba commendabilis est.

Primò quantum ad nidum, quia non nidificat nec in terra nec in arbore, sed in foramine petræ. Sic B. Virgo nõ nidificauit, nec cor suum posuit in terrena cupiditate, nec in sublimi elatione, sed in filij sui uulneribus, & passione. Cant. 2. Surge propera amica mea, columba mea, & ueni in foraminibus petræ. Ista igitur columba habitabat in foraminibus petræ, quia per recordationem continuam semper erat in vulneribus Christi. Thren. 3. Recordare paupertatis, & transgressionis, i. transgredientis passionis absinthij, & fellis. Et ipsa respondet. Memoria memor ero, & tabescet in me anima mea. Vel potest dici, quòd Christus habuit in præsenti plures nidos. s. præsepe, patibulum, & sepulchrũ. In istis nidis Christi ipsa columba frequentissimè habitabat, quia loca Christi cum maxima deuotione uisitabat, vnde dicit sanctus Odilo. Si scire uolumus quid Dei genitrix Virgo post filij resurrectionem agebat sine dubio loca dominicæ Natiuitatis, Passionis, Sepulturæ, & resurrectionis, & Ascensionis frequenter uisitabat, in eis lachrymas fundebat, & oris sui sanctissimi oscula imprimebat. Hiero. in sermone de assumptione. Fortassis prę nimio amorę in loco in quo filius est sepultus dicitur eam habitasse. Credimus quantum pijs pasceretur internus amor obtutibus nõ ꝙ iam viuens cum mortuis quæreretur. Hoc enim habet impatiens amor, ut qđ desiderat semper inuenire credat. Ignorat

quippe iudicium, ratione multotiens caret, modum nescit, nec aliud cogitare potest quam quid diligit, amor enim non accipit de impossibilitate solatiũ, nec de difficultate remediũ.

Secundò est commendabilis quantum ad cibum quia nõ comedit cadauera, scilicet grana electa, sic Beata Virgo non afficiebatur circa terrena, uel mundana, scilicet circa celestia, & eterna. Pascebatur enim in illo grano frumẽti de quo dicitur Ioan. 12. Nisi granum frumenti cadens in terra &c. Granum frumenti habet reficere, & satiare, & quantum ad hoc significat Christi diuinitatem, Psal. Ex adipe frumenti satiat te, habet exterius ruborem, & quantum ad hoc significat carnem Christi sanguine rubricatam. Isa. 63. Quare rubrum est indumentum tuum &c. Habet interius candorẽ, & quantum ad hoc signat eius animam, cadore mũditiæ fulgidam. Sap. 7. Candor est enim lucis propter ista tria dicit Virgo Beata Cant. 5. Dilectus meus candidus quantum ad animam fulgidam, & rubicundus quantum ad carnem cruẽtatam, electus ex militibus quantum ad diuinitatem supremã. Ista igitur columba isto tali grano vescebatur, quia circa Christi diuinitatẽ, & humanitatẽ plenissimè delectabatur.

Tertiò commendabilis est quantum ad gemitum, quia nõ habet cantum uanitatis, sed gemitum compassionis. Ipsa. n. Virgo, & aliæ mulieres in Christi passione gemitus emittebant Isa. 60. Quasi columbę meditantes gememus. Maxime ista columba, scilicet Virgo Beata tunc lachrymas effluenter emisit. Anselmus. O domina mea Misericordissima quos fontes dicam, erupisse de pudicissimis oculis tuis cum attenderes unicum filium tuum innocentem coram te flagellari, ligati, mactari, & carnem de carne tua crudeliter dissecari, quibus singultibus extimabo pectus tuum uexatum esse cum audires. Mulier ecce filius tuus, & discipulo. Ecce mater tua. Bern. Tuam ipsius animam pertransibit gladius dicitur Mariæ, idest, dolor dominicę passionis acutissimus. Non enim potuit uidere filium crucifigi sine effectu materni doloris, quamuis speraret resurrecturum.

Quarto comendabilis est quantum ad uolatum, quia nõ uolat solitaria sed gregatim associata. Beata Maria est

mulier

mulier illa Sole amicta, de qua dicitur Apoc. 12. quòd datæ sunt alæ duæ, vt uolaret in desertum. Istæ duæ alæ sunt amor, & spes cum quibus uolat in cœlum. Psal. Quis dabit mihi pennas sicut columbæ. Non autem sola uolabat, sed etiam alios ad secum uolandum attrahebat, scilicet, sanctos Apostolos, unde dicit sanctus Odilo. Deinde sibi ad notum refugium, scilicet, Apostolicum consortium intuitu dominicorum locorum peracto cum gaudio remeabat. Credimus ipsam interfuisse gaudijs dominicæ Ascensionis, & in die Penthecosten Spiritum sanctum recepisse. Hiero. in sermone de assumptio. Post Ascensionem Christi Mariæ conuersatio ad exemplum humanæ uitæ cum Apostolis usque ad dispersionem fuit, sicut Lucas commemorat in actibus dicens. Hi omnes erant perseuerantes in oratione cum Maria matre Iesu. Eius autem conuersatio non fuit cum leuibus personis, sed aut erat cum Angelo Gabriele, aut cum Ioanne Euangelista, aut cum cæteris Apostolis, & ideo solitaria non erat, sed bene associata. Hieronymus in sermone de assumptio. Si quæratur quid post filij Ascensionem Virgo egerit unum pro certo est, quia Virgo sancta mente, ac corpore permansit, quàm sanè Gabriel Angelus tanquam cœlestis paranymphus intactam custodiuit, & Ioannes Apostolus cui Christus eam de cruce commisit Virginem uirgo seruauit, suisque specialiter obsequijs deseruiuit. Non quia eximius Apostolorum chorus eam deseruerit, inter quos nimirum post resurrectionem intrans, & exiens familiarius de Christi Incarnatione ac resurrectione contulit.

Quintò commendabilis est quantum ad simplicem contuitum. Habet enim columba magnam simplicitatem, iuxta illud Matth. 10. Estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ, Ideo dicitur Cant. 1. Oculi tui columbarum, idest, simpliciter aspicientes. Hieronymus in sermone de assumptione. Veni, inquit, columba mea, ueni de libano ueni. Non immerito de libano uenire iubetur, quia libanus candidatio interpretatur. Erat enim candida multis meritorum uirtutibus, ac dealbata niue. can-

didior Spiritus ſancti muneribus, & in omnibus ſimplicitat& columbæ repræſentauit, quia quicquid in ea geſtum eſt, totum puritas ac ſimplicitas, totum ueritas, & gratia fuit, totũ iuſtitia, & miſericordia, quæ de cœlo proſpexit. Habuit ergo beata virgo ſimplicitatem in intentione, quia ſemper gloriã Dei quæſiuit. In affectione, quia Deum ſine admixtione mũdani amoris ſemper dilexit. In operatione, quia omnia, quæ faciebat ad honorem Dei, & proximi faciebat. Talis ſimplicitas eſt multum Deo grata 1. Paral. vlt. Scio domine, quòd ſimplicitatem diligis. Sap. 1. In ſimplicitate cordis quærite illum.

Sextò commendabilis eſt quantum ad reſidentiam iuxta fluenta aquarum. Cant. 5. Oculi tui ſicut columbæ ſuper riuos aquarum, quæ lactè ſunt lotę, & reſident iuxta fluenta pleniſſima. Hieronymus, ubi ſupra. De hac ſanctiſſimà Virgine qualiter in cœlum aſcendit ſecretorum cœleſtium contemplator in Cant. ait. Vide ſpecioſam ſicut columbam aſcendẽtem deſuper riuos aquarum. Quaſi ſpecioſa colũba fuit quoniam illius columbæ ſpeciem, ac ſimplicitatem demõſtrauit, quæ ſuper Chriſtum uenit, quæ deſuper riuos aquarũ uenit, quæ deſuper aquas educauerat eam Dñs, ex qua multi riui deducti totam terram irrigant. Dicitur autem quòd columba ideo ſuper riuos aquarum moratur, ut inde umbram accipitris aſpiciat, uel vt contra ęſtum ſe refrigeret. Sic beata virgo iuxta plenitudinem Spiritus ſancti, ut inſidias diabolicas à ſuis fidelibus præcaueri faciat. Ideo ſignificatur per reginam Heſter, quæ malitiam Aman præcognouit, & populum ſuum ſaluauit.

Secundò, Sitim mundani amoris per diuinum amorem in ſe pęnitus extinxit, quia ſicut dicit Auguſt. Qui biberit de fluuio Paradiſi cuius gutta maior eſt Oceano, reſtat ut in eo ſitis mundi pęnitus extinguatur.

Tertiò contra ęſtum omnium tribulationum ſe refrigerauit, iuxta illud Lucæ, 6, Inuenietis requiem animabus ueſtris.

DOTIBVS ANIMI COMMVNIBVS BEATA *Virgo, non particularibus tantum conspicua redditur. Sermo XXXII.*

COMMVNIS persona non singularis fuit Virgo Maria, ut cum omnibus conueniret, & ad omnes se pertinere ostenderet.

Primò quidem ipsa fuit contemplatiua, & actiua. Sæpe autem actiui despiciunt contemplatiuos tanquam ociosos, & contemplatiui actiuos, tanquam terrenis actibus nimium deditos. Ideo ipsa uoluit esse in hoc duplici statu, ut utrunq; approbaret. Ideo dicit̃ Sol. Cant. 6. Electa ut Sol. Sicut enim Sol est in medio planetarum, sic & ipsa est media actiuorũ, & contemplatiuorum. Planetę verò superiores sunt contemplatiui, quia magis Deo appropinquant. Planetę verò inferiores sunt actiui, qui magis implicantur terrenis. Ipsa igitur tanquam sol est in medio inflammans contemplatiuos in diligendis, & actiuos illuminans in agendis.

Secundò fuit virgo, & coniugata, virgines autem despiciebant coniugatas tanquam corruptas, & coniugatę despiciebant virgines tanquam infœcundas. Ideo ipsa in hoc duplici statu esse uoluit, ut utrunque approbaret, ideo assignatur per firmamentum, quod est in medio aquarum. Nam aquæ superiores in cristallum conuersè significant virginitatem. Aquæ vero inferiores fluxibiles significant matrimonium. Beata autem virgo tanquam firmamẽtum est in medio aquarum multarum, virgines cõfirmans in propositum castitatis, & coniugatis in studio bonæ operationis.

Tertiò ipsa fuit religiosa, & laica. Sæpe enim religiosi laicos condemnant, & laici religiosos iudicant. Ideo beata virgo fuit claustralis, quia in thalamo suo habitabat, & foris nõ exibat. Fuit laica, quia cæteris fœminis se conformabat, & cum eis ad templum, & ad dies festiuos festinabat. Ideo significatur per templum. Psal. Suscepimus misericordiam tuam in medio templi tui. Sicut enim templum est cõe clericis, & laicis, sic ad ipsam cõiter accedere possunt laici, ut sapienter diligant, & religiosi, ut mundana contemnant.

Quartò fuit prælata, & subdita. Sæpe enim prælati despiciunt subditos, & subditi iudicant prælatos. Ideo ipsa fuit prælata, quando in matrem domini fuit assumpta. Et tunc fecit se subditam quando se uocauit ancillam. Ideo significatur per lignum uitæ, de quo dicitur Gen. 2. c. Lignum vitæ in medio Paradisi. Paradisus est, in qua sunt omnes ecclesię prę lati, & subditi, in quorum medio est beata virgo tanquam lignum uitæ reficiens prælatos cibo sapientiæ. Eccle. 15. Cibauit illum pane uitæ, & intellectus. Et subditos cibo salutaris obedientiæ, de quo dicitur Ioan. 5. Meus cibus est, ut faciam uoluntatem eius, qui misit me.

Quintò fuit iusta, & tñ non uitauit peccatoris remedia, qñ s. purificari uoluit. Sæpę aũt peccatores iusti despiciũr, & peccatores iustos uilipendunt, Et iõ uoluit esse iusta, ut iusti gratiã inueniant, & uoluit hře peccatorum remedia, ut peccatores in ea remedia inueniant. Ideo significatur per auroram Cant. 6. Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens, &c. Et per stellam matutinam. Eccl. 50. Quasi stella matutina in medio nebulæ. Aurora enim & stellæ sunt mediæ inter diem, & noctem, quia ipsa est media inter iustos, & peccatores. Ab ipsa enim iusti recipiunt gratiam, & peccatores ueniam.

Sextò fuit consolata, & tribulata. Sæpe enim tribulati iudicant consolatos, & consolati tribulatos condemnant. Ideo ipsa fuit in maxima consolatione quando angelus aduentũ filij pronũciauit sibi. unde ipsa dixit. Exultauit spiritus meus in Deo salutari meo. Et fuit in maxima tribulatione, quando filium suum crucifixum vidit. Luc. 2. Tuã ipsius animam pertransibit gladius. Ideo significatur per lunam Can. 6. Pulchra, ut luna. Luna enim lucet in nocte quandoque etiam in die, sed tamen eius lux magis apparet nocte, quia virgo lucet his, qui in die consolationis sunt ne euanescãt per inanem lętitiam, & his qui sunt in nocte tribulationis, ne frangantur per impatientiam. Magis autem lucet his qui sunt in tribulatione, quàm his qui sunt in consolatione.

Septimò fuit diues, & pauper. Sæpe autem diuites pauperes vilipendunt, & pauperes ipsos diuites esse præscitos cre-

dunt.

dunt. Ideo diuitias habere uoluit, quando Magi obtulerunt sibi aurum, & tamen habuit paupertatem, quando illud pauperibus erogauit, ut ex hoc daretur intelligi, quòd diuites, & pauperes possunt uenire in regnum, sed tutior est uia paupertatis, quàm ubertatis. Ideo significatur per oliuam, quæ est in campis, ad quam omnes tam diuites, quàm pauperes accedere possunt. Eccl. 14. Quasi oliua speciosa in campis. Ad ipsam enim accedunt pauperes, ut diuitijs ditētur spiritualibus. Accedunt diuites, ut in suis diuitijs dirigantur.

MIRABILES QVALITATES QVAE erant in ipso conceptu Beatæ Virginis, idest Christo. Sermo XXXIII.

CONCEPTIO Mariæ, qua scilicet, Christum concepit, prædicta fuit per Isaiam Prophetam dicentem Isa. 7. Ecce virgo concipiet. Secundò in prole uera diuinitas cum dicitur. Et uocabitur nomē eius Emanuel, idest nobiscum Deus. Tertiò in eadem prole uera humanitas, cū dicitur. Butyrum & mel comedet. Quartò utroque signo miraculosa sublimitas. Ideo præmittitur. Propter hoc dabit dominus ipse uobis signum.

Circa primum notandum, quòd sicut dicit Chryso. super Mat. Iudæi non dicunt. Ecce virgo concipiet, sed ecce puella. Sed si puella idem est, quòd virgo habemus propositum, Si vero puella communi lege coniugij esset in utero habitura, iam non esset signum, quia signum debet excedere omnem ordinem rerum. Fuit ergo virgo in conceptu, & in partu. & hoc fuit signum mirabile. Aug. in sermone Castissimum. Quæ sūt Dei mirabilia, nisi quæ sunt homini impossibilia? Qui ergo lapideas inscripsit tabulas sine stillo ferreo; ipse grauidauit Mariam Spiritu sancto. Et qui produxit panem in eremo sine aratore, ipse ingrauidauit Mariam sine aratione. Et qui fecit virgam Aaron sine pluuia germinare, ipse fecit filiā Dauid sine semine generare.

Secundò notatur in prole uera diuinitas, cum dicitur. Et uocabitur Emanuel, idest nobiscum Deus. Quod uerbum

per tractãs Hugo de sãcto Victo.dicit. Deus nobiscũ est quatuor modis, scilicet, per præsentiam maiestatis per participationem humanitatis, per uinculum charitatis, per patrociniũ ueritatis.

In primò mala nostra cognoscit. In secundo expertus est. In tertio compatitur. In quarto aufert. Ber. quoque idem uerbum pertractans dicit: Triplex quidem erat humani generis indigentia, scilicet, auxilij, consilij, & præsidij. Nam faciles sumus ad seducendum, debiles ad operandum, fragiles ad resistendum. Si discernere uolumus inter bonum, & malum decipimur. Si tentamus facere bonum deficimus. Si conamur resistere malo deuincimur. Proinde necessaria est saluatoris præsentia, ut sit nobis Deus qui per fidem in nobis habitans, cęcitatem nostram illuminet, & nobiscum manens, infirmitatem nostram adiuuet, & pro nobis stans fragilitatem nostrã protegat, & propugnet.

Tertiò notatur in prole uera humanitas, cum dicit Butyrum, & mel comedet. Ber. Ac si diceretur. Erit paruulus, ac alimẽtis uescetur infantilibus, ut sciat, inquit, reprobare malum, & eligere bonum. Quæ uerba exponens Bern. dicit. Duo sunt in lacte ouis. scilicet, butyrum, quod est humidum, & pingue, & caseus, qui est aridus. & durus. Quis enim centesima est genus humanum, quàm uerus pastor quæsiuit, & inuenit, in qua duo erant, scilicet, natura dulcis, & bona tanquam butyrum, & peccatum durum, & aridum, quod est caseus. Iste igitur paruulus sapienter elegit, quia naturam nostram accepit, & peccati corruptionem uitauit, Similiter & apis habet mel, & aculeum, & significat Deum, qui habet mel misericordiæ, & aculeum iustitiæ, iuxta illud Psalm. Misericordiam, & iudicium cantabo tibi domine. Sed ista apis ad nos ueniens attulit mel misericordiæ, & aculeum reliquit, quia non uenit, ut iudicaret mundum, sed ut saluaret. Postea subdit Bern. Nolite tamen peccare in spe. Apis enim nostra aliquando reassumet aculeum acriter infigens medullis peccatorum, quia pater omne iudicium dedit filio. Nunc autem paruulus noster butyrum, & mel comedit, quia bonum humanæ naturæ, & diuinæ misericordiæ sic in seipso vniuit, ut

esset

esset homo uerus peccatum non habens, & esset Deus misericors iudicium non exhibens.

Quartò notatur in utroque signo miraculosa sublimitas, cum subditur. Propter hoc dominus dabit ipse uobis signum. Iste rex secundum Bern. Erat homo humanæ sapientiæ astutus, & fastigio solij regalis elatus. Et ideo dixit ei Deus, ut peteret aliquod signum, in quo ostenderetur profunda Dei sapientia. Pete, inquit, à Domino signum. siue in excelsum supra, ubi ostenditur excellens Dei potentia, ut sic Dei sapiẽtia eius astutiam confunderet, & eius potentia istius superbiam irritaret. Ipse tamen uoluit dare responsionem formã pietatis habentem, sed non uirtutem. Non petam, inquit, & non tentabo dominum. Istud autem est Deo molestum, quãdo scilicet, quis non vult, uel per Dei sapientiam corrigi, vel per eius potentiam deterreri. Ideo additur. Molesti estis, & Deo meo. Et propter hoc dabit dominus ipse uobis signum. Ecce uirgo concipiet, &c. Ac si dicat. Postquam non vultis signum profundæ sapientiæ, quæ astutiam confundat, nec potentiam, quæ superbiam constringat, dabo uobis signum gratiæ, & charitatis, quæ saltem uos alliciat, quia ecce virgo concipiet, propter tale signum dicitur Eccl. 26. Innoua signa, immuta mirabilia. Conceptus fuit sine pudore, partus sine dolore. Puer qui nascitur Deus est. Mater, de qua nascitur virgo est. Et partus ipse sine dolore est. Augustinus in libro de symbolo ponit ista tria signa, & mirabilia dicens. Pariter mater, & virgo intacta est facta, factor omnium fit intus, omnia portans, portatur in manibus, rector totius orbis, lambit ubera regens sydera, tacet, & uerbum est.

LONGE DISSIMILIS EST CHRISTI *conceptus in Beata Virgo, conceptui humano.* *Sermo* XXXIIII.

CONCEPTIO Christi in utero uirginali facta fuit octauo Calendas Aprilis, & eodem die triginta tribus anuis

annis passus fuit, sicut dicunt. Augustinus, Chrysostomus, & Bernardus. Ipsa conceptio Christi multum dissimilis est à nostra.

Primò enim conceptio nostra est immunda. Conceptio autem Christi fuit pura, & sancta, unde dixit Angelus Mariæ. Quod enim ex te nascetur sanctum, &c. Nos enim cum peccato concipimur, & nascimur. Beata autem virgo fuit cum peccato concepta, sed sine peccato nata. Christus autem sine peccato conceptus, & natus. Et quia conceptio Christi fuit sic munda, ideo mundauit nostram immundam. Iob. 13. Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? nõne tu qui solus es? Bern. in sermone de Natiuitate Domini. Placebit ne tibi Domine Iesu, ut dones mihi uitam tuam, sicut donasti conceptionem tuam. Non solum autem ait Christus conceptionem meam, & uitam meam tibi donabo, sed & mortem, resurrectionem, ascensionem, & Spiritus sancti missionem tibi adijciam, ut conceptio mea mundet tuam, uita mea instruat tuam, mors & resurrectio mea præcedet tuam, ascensio mea præparet tuam.

Secundò conceptio nostra fit ex commixtione seminis utriusque parentis. Conceptio autem Christi facta fuit ex purissimis sanguinibus virginis, non ex virili semine, sed Spiritus sancti operatione, & uirtute. Ideo dixit Angelus Mariæ, Spiritus sanctus superueniet in te. Spiritus enim sanctus secundum Dam. in Maria superueniet, ut daret semine potentiam receptiuam diuinitatis, ut daret virgini potentiam generatiuam. Tria enim erant impossibilia, siue quòd mater aliqua sine aliquo peccato pareret. Siue quòd fœmina Deum conciperet. Siue quòd virgo generaret. Spiritus igitur sanctus in eam superueniens dedit matri sanctificationis gratiã, ut sine peccato pareret. Psal. Sanctificauit tabernaculum suũ altissimus. Dedit seminę potentiam diuinitatis receptiuam, ut Deum conciperet. Apoc. 12. Mulier amicta sole. Tunc sole amicta fuit, quando Deum in utero suo concepit. Dedit virgini potẽtiam generatiuam, ut manẽs virgo generare posset. Isa. 7. Ecce virgo concipiet, &c. Hugo de sancto Victo. Non quòd de Spiritus sancti substantia semẽ partus accepit, sed

ſed quia per amorem, & operationem ſpiritus ſancti ex carne virginis diuino partu noſtram ſubſtantiam miniſtrauit. Quia tum in corde ipſius ſpiritus ſanctus ſingulariter ardebat. Ideo ſpiritus ſanctus in eius carne mirabilia faciebat, & cuius dilectio in eius corde non ſuſcepit ſocium, eius operatio in illius carne non habebat exemplum.

Tertiò conceptio noſtra non ſtatim perficitur, ſed paulatim ad perfectionem ducitur, Nam ſicut dicunt philoſophi Corpus pueri in 46. diebus perficitur. Corpus autem puellæ in 86. In Chriſti autem conceptione non ſic fuit, ſed ſtatim poſt conſenſum virginis plenus homo in anima, & corpore fuit, ita tamen quòd lineamenta membrorum viſibus diſcerni non poſſent, & ideo paulatim ad perfectionem dedncebantur, unde ſequitur Ioan. 2. Quadragintaſex annis ædificatū eſt templum hoc. Auguſtinus Hic nummus domiinici corporis perfectioni congruit, quia ut dicunt philoſophici tot diebus forma corporis humani perficitur. Non igitur fuit dominus in inſtanti ſuæ conceptionis perfectus corporali magnitudine, ſed gratia & uirtute. Primò enim Adæ, quando factus eſt congruebat perfectio corporalis. Secundo uerò Adæ cœleſti congruebat perfectio ſpiritualis. Fuit autem Chriſtus in utero virginis 276. diebus, qui faciunt 37. hebdomadas, & duos dies. Iſte enim numerus ſecundum ordinem naturæ non errantis, nec deficientis congruit cuilibet poſt animæ infuſionem in utero exiſtenti.

Quartò noſtra conceptio eſt naturalis. Conceptio autem Chriſti fuit mirabilis, & ideo inueſtigabilis. Illud enim incarnationis myſterium fuit miraculoſum, quia fuit ſubitum Gabriele Angelo annunciante, & Spiritu ſancto adueniente, mox uerbum in utero, mox intra uterum uerbum caro fuit inſolitum, quia omnium nouorum nouiſſimum. Hiere. 31. Nouum faciet dominus ſuper terram, fœmina circundabit uirum. Fuit ſupra ſpem expectantium, quia genus humanum nunquam tantam gratiam ſe recepturum ſperabat. Fuit ſupra facultatem noſtræ rationis, & mentis. Hiero. in ſermone de aſſumptione. Quod natura non habuit, uſus neſciuit, ignorauit ratio, mens non capit humana, pauet cœlum, ſtupet terra,

creatura

creatura omnis etiam cęlestis miratur. Hoc totum per Gabrielem Mariæ diuinitus nunciatur. Qualiter autem ipsa conceptio fuit mirabilis ostendit Bern. in sermone de uigilia natiuitatis Christi dicens. In illa assumptione fecit carni nostræ Deus tres mixturas mirabiliter singulares,& singulariter mirabiles. Coniuncta sunt adinuicem Deus,& homo, mater,& Virgo,fides, & cor humanum. In prima commixtione trinitas est in substantijs,& unitas in personas, sicut in sua diuinitate trinitas est in personis, & unitas in substantia, & sicut iste personę non scindunt unitatem, nec unitas minuit trinitatem, ita ętiam persona hęc non cõfundit substantias, nec ipse substantiæ dissipant unitatem.

Secunda est mater,& Virgo. A seculo quippe non est auditum,quòd Virgo peperit,& quòd Virgo mater permanserit.

Tertia est fides, & cor humanum. Mirum est enim quomodo cor humanum hiis duobus fidem accommodauit, ꝙ Deus homo esset,& quod uirgo peperisset. Sicut enim ferrũ, & teste non possunt coniungi sic nec hæc duo queunt misceri si non misceat glutinum Spiritus Sancti. Quia igitur conceptio sic mirabilis fuit, ideo fuit inuestigabilis propter ꝙ dixit Ioan. ut habetur Io. 1. Cuius non sum dignus corrigiam calciamẽti soluere. Per pedẽ significatur diuinitas, per calciamentum signatur caro, per corrigiam signatur anima. Sicut enim pes mediante corrigia iungitur calciamento, sic diuinitas mediante anima carni unitur. Qui autem nescit medium, ignorat extrema. Et quia Ioannes dixit se non esse sufficientem intelligere uel alijs exponere Christi corrigiã.i. eius animã, per consequens relinquitur ꝙ non sit sufficiens cognoscere eius pedem,i. eius diuinitatem,nec calciamentũ i. eius corpus de Spiritu Sãcto gestum. De hoc sic Petrus Ra. dicit. Hoc ineffabile sacrum dominicę conceptionis magis conuenit credere,quam referre. Nam quod natura non habet,usus nescit,ignorat ratio,mens non sapit, cęlum pauet, terra stupet, creatura miratur,qualiter humanus sermo narrabit. Quis enim attingeret archanum diuinitatis partum. Causam rerum seculorum negocium diuinitatis & humanitatis cõmercium hominem Deum. Hieronimus in sermone de

ne de assumptione. Fuit igitur mirabilis, quia fuit supra natura, & ex eo quòd sine dolore peperit, supra consuetudinẽ, ex eo quòd sine peccato, & de Spiritu sancto concepit.

QVIBVS VIRIBVS BEATA VIRGO *contriuit serpentis caput, eiusq; uires.* Ser. XXXV.

CONTRIVIT Virgo Maria caput serpentis infernalis, iuxta illud Gen. 3. Ipsa conteret caput tuum. Per caput potest intelligi eius suggestio, vel potestas, vel astutia. Primum caput, scilicet, suggestionis ipsa contriuit, & cõfregit, ita quòd nulla ad ipsam appropinquare, uel accedere ausa fuit. Fulbertus Carnocensis episcopus. Quid est caput serpentis conterere nisi principalem diaboli suggestionem resistendo superare? Et subdit. Beata igitur Maria eius caput contriuit in hoc, quòd virginitatem, & humilitatem seruauit. virginitate nanque extinxit concupiscentiam carnis, humilitatem superbiam mentis. Secundum caput, scilicet, eius potestatem ipsa contriuit per filium quem genuit, qui diabolum suo dominio spoliauit. Tertium caput. scilicet, eius astutia diuiditur in tria capita, scilicet, in sapientiam terrenam, animalem, & diabolicam, sicut dicitur Iac. 3. Sed ipsa contriuit sapientiam terrenam per paupertatem, animalem, idest carnalem per virginitatem. Et diabolicam, idest superbiam per humilitatem.

Vel potest dici, ꝙ diabolus est malitiosus, immundus, superbus, & astutus. Ipsa enim contriuit malitiosum per charitatem suam. Iudith. 9. Percuties eum labijs charitatis meæ. Sicut enim uenenum serpens portat in ore, sic diabolus semper portat in suggestione. Et sicut serpens, quando lapidibus obruitur funditus necatur, sic diabolus orationibus B. Mariæ percutitur, & ab omni sua malitia eneruatur. Ideo bene dicitur. Percuties labijs charitatis meæ. Labia charitatis sunt B. virginis orationes, quas pro nobis effundit ex intimo affectu cordis. Secundò contriuit immundum per virginitatem suam. Dæmones enim dicuntur immundi, quia diligunt immunditiã. Immunditias procurant, & suadent, & in cordibus

immundorum morantur libenter. Sed istos immundos ipsa contriuit merito suæ virginitatis, & puritatis. Iudith 9. Erit enim memoriale nominis tui cum manus fœminæ deiecerit eum. Ista est illa manus, de qua dicitur Prouer. vlt. Manum suam misit ad fortia, Quæ autem sint illa fortia dicitur ibidem. Accinxit fortitudine lumbos suos, & roborauit brachiũ suum. Tertiò contriuit superbum per humilitatem suam. Iudith. 14. Vna mulier Hebręa fecit confusionem in domo Nabuchodonosor. Sicut enim est magna confusio alicui giganti si vna puella ipsum ligaret, sic superbis dæmonibus fuit magna confusio, quando una puella per eius humilitatem, eorum superbiam superauit. Iob. 40. Ligabis eum ancillis tuis. Vna de maioribus ancillis Dei fuit Virgo Maria, quæ per suam humilitatem diaboli potestatem alligauit: Quartò contriuit diabolum astutum per suam sapientiam. Iudic. 4. In manu fę minæ tradetur Sysara, idest diabolus. Ipse enim diabolus est ualde astutus 2. Cor. 12. Timeo autem ne sicut serpens Euam seduxit astutia, ita corrumpantur sensus uestri. Virgo autem sapiens est ualde. Prouer. 14. Sapiens mulier ædificat domum suam, idest militantem ecclesiam. Ipse igitur Sysara traditus est in manus fœminæ, quia astutia diaboli tradita est sapientiæ Mariæ. quia illud quod diabolus astutè cogitat, hoc ipsa sapienter ordinat. Ista est illa mulier sapiens, de qua dicitur 2. Reg. 20. c. Exclamauit mulier sapiens de ciuitate. Et infra, Ingressa est ergo ad omnem populum, & locuta est eis sapienter, Qui abscissum caput Sibe proiecerũt ad Ioab. Ista mulier sapiens ad Deum clamat, quando suis orationibus pro nobis apud Deum interpellat. Ista sapienter ad populum loquitur, quando eius inspirationibus illuminamur. Ista caput Sibe ampntauit, quando diabolicas suggestiones frangit pęnitus, & eneruat.

Vel potest dici, quòd per hoc, quod dicitur. Ipsa conteret caput tuum, ostenditur uictoria virginis super diabolum quadruplici ratione.

Primò ratione conterentis, cum dicitur, ipsa, quia non fuit vir, sed fœmina.

Secundò ratione modi conterendi, quia non percussit, nec vulnera-

vulnerauit, sed contriuit. Quod enim percutitur vulneratur, interdum sanatur, quod uero conteritur nunquam ulterius reparatur.

Tertiò ratione partis, quam contriuit, quia non caudam, sed caput, idest suggestionem suam, & ideò di[illegible] caput tuũ. Serpens enim percussus in cauda euadit, in capite contritus nunquam resurgit.

Quartò ratione personæ, quam contriuit, quia non aliquẽ de paruis dæmonibus, sed ipsum principem dæmoniorum cõtriuit, quod notatur similiter per hoc, quod dicitur caput tuũ. Ille enim serpens, qui Euam decepit figurabat personam Luciferi, qui est caput dæmonum.

EXCELLIT SANCTITATE, FRVCTVOSItate, & honestate Beatæ Virginis conuersatio. Sermo XXXVI.

CONVERSATIO Mariæ fuit ualde sancta, ualde fructuosa, & ualde honesta.

Valde sancta quidem fuit, quia non habitabit in terris, sed in cœlis. Eccle.24. Ego in altissimis habito, Gyrum cœli circuiui sola. Ideo poterat dicere cum Apostolo Philip. 3. Nostra conuersatio in cœlis est. Conuersatio autem dicit totam uitã hominis, scilicet, cogitationes cordis, locutiones oris, & effectus operis. Istis tribus modis conuersabatur in cœlis. Ideo dicitur de muliere forti Prouer. vlt. Gustauit, & uidit, quoniam bona est negociatio eius. Ecce quia in corde habuit desideria saporosa. Os suum aperuit sapientiæ, & lex clemẽtiæ in lingua eius. Ecce quia in ore habuit uerba gratiosa. Accinxit fortitudine lumbos suos, & roborauit brachiũ suũ. Ecce quia habuit opera uirtuosa.

Secundò eius conuersatio fuit famosa, scilicet, Deo p humilitatem, angelo propter virginitatem, hominibus propter fœcunditatem. Iudith. 15. Tu gloria Hierusalem, idest Dei, in quo est uisio pacis, & hoc propter tuam humilitatem. Tu lætitia Israel, idest angelorum, qui uident Deum facie ad facie. Et hoc propter tuam virginitatem. Tu honorificentia popu-

nostri. Et hoc propter tuam fœcunditatem. De his tribus dicit Ber. super Missus est. Singularis Mariæ virginitas, quòd non temerauit sed honorauit fœcunditas, sed nihilominus spiritualis humilitas, quam non abstulit, sed, extulit incomparabilis pro[illegible]cunditas, quam virginitas simul concomitatur, & hu[illegible]s.

Tertiò eius conuersatio fuit ualde honesta, quia semper cum honestis personis fuit conuersata, scilicet, aut cum filio, aut cum angelo, aut cum cętu apostolico, aut cum Ioseph spōso suo, aut cum Ioanne sibi in custodem deputato. Fuit igitur conuersata cum filio, quia ipsum nunquam deseruit, sed semper eum associata fuit. Nam secuta est eum nascentem Lucæ. 2. Inuenerunt Mariam, & Ioseph, & infantem positum in præsepio. In Ægyptum fugientem. Matt. 2. Surge, & accipe puerum, & matrem eius, & uade in terram Iuda. In templo cum doctoribus disputantem. Luc. 2. Iuuenerunt eum in templo, sedentem in medio doctorum. In nuptijs conuiuantem. Ioan. 2. Nuptię factæ sunt in Chana Galileæ, & erat mater Iesu ibi. In populo prædicantem. Matth. 12. Adhuc eo loquente ad turbas ecce mater eius, & fratres. &c. In patibulo morientem. Ioan. 19. Stabat iuxta crucem Iesu mater eius, &c. De tumulo resurgentem, quia sibi primo creditur apparuisse. In cœlum ascendentem, unde dicit sanctus Odilo. Credimus ipsam interfuisse gaudijs ascensionis Dominicę, & in die Pentecostes Spiritus sancti gratiam cum Apostolis recepisse, quam constat à conceptione Christi pelnissimè habuisse.

Secundò conuersata fuit cum angelo, unde dicit Hieronymus in sermone de assumptione. Si quæratur quid egerit beatissima virgo post ascensionem filij, unum pro certo est, quia virgo sancta mente, ac corpore permāsit, quam sanè Gabriel angelus cœlestis paranymphus intactam custodiuit. Angelus enim custodiuit ipsam nascentem, ipsam in mundo conuersantem, ipsam ad cœlestem patriam reuertentem. Ideo poterat dicere cum Iudith 13. Viuit dominus, quia custodiuit me angelus eius, & hic euntem, & ibi commorantem, & inde huc reuertentem.

Tertiò

Tertiò conuersata fuit cum cętu apostolico. Hieronymus in sermone de assumpt. Post ascensionem Christi Mariæ conuersatio generaliter cũ Apostolis usque ad eorum dispersionem fuit. Ipsa enim Apostolos lętificat præsentia suã. Vnde quilibet apostolus potuit dicere illud Sap. 8. Intrans in domum meam conquiescam cum illa, non enim habet amaritudinem conuersatio illius, nec tędium conuictus illius, sed lętitiam, & gaudium.

Secundò instruebat eos doctrina sua. Hieronymus, ubi supra. Ecce Domino Iesu ascendente in cœlum virgo cum apostolis uacat in scola virtutum, ac meditatur in lege mandatorum Dei, vt ipsa sit forma disciplinę Christi, & virginibus cæteris exemplum perfectionis.

Quartò conuersata fuit cum sponso suo, uerum est tamen quòd Ioseph propter virginis sanctitatem nolebat cum virgine conuersari, sed uolebat ipsam occultę dimittere, unde dicit Origenes Ioseph virtutem mysterij in ea cognoscebat, & indignum ideo sibi appropinquare æstimabat, humilians ergo se ante tantam, & ineffabilem rem se longe facere quærebat, sicut & beatus Petrus se humilians Domino dicebat. Recede à me domine, quia homo peccator sum. Ideo uoluit eam occultè dimittere dicens Maior est enim eius dignitas, super excellit eius sanctitas, nec meæ congruit dignitati. Chrysost. super Matth. O ineffabilis laus Mariæ, magis credebat Ioseph castitati eius, quàm utero eius, & plus gratiæ, quàm naturæ, conceptionem manifestè uidebat, & fornicationem suspicari non poterat. Possibilius credebat mulierem sine uiro concipere, quàm Mariam posse peccare.

Quintò conuersata fuit cum Ioanne Euangelista. Hieronymus, ubi supra. Quanuis omnes Apostoli beatissimam uenerati sunt Ioannes tamen eidem amplius usque ad finem vitæ deseruiuit, quam sibi à benigno magistro commissam in suam quasi filius in matrem accepit, quando Christus sibi dixit. Mulier ecce filius tuus. Ipsa tamen de ista tali recommedatione consolationem non habuit, sed de ipsa magnum concepit dolorem. Bern. in sermone de assumpt. Nonne plus, quàm gladius fuit sermo ille. Mulier ecce filius tuus.

Ô commutationē Ioannes, tibi pro Iesu traditur, Seruus pro Domino. Discipulus pro magistro. Filius Zebedei pro filio Dei. Purus homo pro Deo uero.

NVLLI LABI, NVLLIQVE CORRVPTIONI fuit obnoxium corpus B. Virginis. Ser. XXXVII.

CORPVS Beatæ Mariæ nulli corruptioni unquam fuit subiectum, nec in sua natiuitate, nec in filij sui conceptione, nec in uita, nec in morte. Nec mirum, quia corpus suum fuit in utero sanctificatum. In filij conceptione fuit solari radio illustratum. In uita sua fuit triplici custodia præmunitum. In morte sua fuit quadruplici prærogatiua dotatum.

Primò igitur corpus eius in natiuitate sua nulli corruptioni fuit subiectum, quia fuit in utero sanctificatum. Psal. Sanctificauit tabernaculum suum altissimus. Ber. est itaque virgo regina uerbis honorum titulis cumulata, quæ proculdubio sancta fuit antequam nata. Ildefons Toletanus Archiepiscopus. Si beata Maria in utero sanctificata non fuisset, eius natiuitas colenda non esset. Nullis ergo quando nata est delictis subiacuit, nec originale peccatum in utero sanctificata contraxit.

Secundò corpus eius nulli corruptioni fuit subiectum in filij conceptione, quia fuit solari radio illustrata. Ista enim est illa mulier, de qua dicitur Apoc. 12. Mulier amicta sole. Sicut enim radium solis vitrum, & speculum intrat, & exit sine uitri corruptione, sic Christus in matrem suam intrauit, & exiuit sine materni pudoris uiolatione. Augustinus, de hoc sic dicit in sermone de nati. Domini. Solis radius speculum penetrat, & soliditatem eius insensibili agilitate pertransit, & talis manet extrinsecus, qualis intrinsecus. Itaque fratres, nec cum ingreditur uiolat, nec cum egreditur dissipat, quia in ingressu, & egressu speculum integrum perseuerat. Deinde cōcludit. Speculum ergo non rumpit radius solis, & integritatē virgininis ingressus, aut egressus uitiare non potuit claritas deitatis.

Tertiò

Tertiò corpus eius in uita nulli corruptioni fuit subiectũ, quia fuit triplici custodia præmunitum, scilicet, propria, angelica, & diuina. Per hanc triplicem custodiam dicitur Cant. 4. Hortus conclusus es soror mea, sponsa, hortus conclusus, fons signatus. Bis uocat eam hortum conclusum. Fuit enim hortus conclusus quantum ad custodiam propriam, quia sensus suos, & cor suum semper custodiuit, & in thalamo se inclusit, ut quietius Deum exoraret, & sensus suos custodiret. Ber. super Missus est. Puto quòd angelus ingressus est in secretarium pudici cubiculi, ubi fortassis illa clauso super se ostiolo patrem suum orabat in abscondito. Clausit quidem illa ostium suum non angelis, sed hominibus. Non est ergo suspicandum, quòd angelus apertum inuenerit virginis ostiolum cui nimirum erat in proposito frequentias hominum fugere, colloquia uitare, ne uel orantis silentium turbaretur, vel continentis castitas tentaretur, nec fuit angelo difficile per ostiolum clausum abscondita virginis penetrare cui utique ex naturæ suæ subtilitate quilibet corpus quantuncunque solidum, uel spissum, aut purum penetrabile fuit.

Secundò fuit hortus conclusus propter custodiam angelicam, quia angelus eam custodiuit. Ideo poterat dicere cum Iudith. 13. Viuit dominus, quia custodiuit me angelus eius, & hinc euntem, & ibi commorantem, & inde huc reuertentem. Virgo autem beata habuit uitam actiuam, quæ requirit magnam sollicitudinem. Et ideo hinc dicit euntem, habuit uitam cõtemplatiuam, quæ requirit mentis quietem. Et ideo subdit, & ibi commorantem; & nihilominus suijpsius non obliuiscebatur, sed ad sui custodiam reuertebatur. Et ideo subdit. Et inde huc reuertentem. Tertiò fuit fons signatus quantum ad custodiam diuinam. Deus enim ipsam significauit, quando eam sibi in sponsam elegit, & ideo ipse solus clauem portabat cuius thesaurus intus latebat. Istud signaculũ monet sponsus, ut ipsa super se accipiat. Cant. 8. Pone me sicut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium, quia fortis est, ut mors dilectio tua. Ex quibus uerbis habetur, quòd Deus significauit in ea suam intellectiuã, ita ut in ea nihil possit intrare ignorantiæ. Ideo dicit. Pone

me ſicut ſignaculum ſuper cor tuum. Signauit eius operatiuam, ita ut nihil in ea poſſit intrare negligentię. Ideo dicitur. Vt ſignaculum ſuper brachium tuum. Signauit eius affectiuam, ita ut in ea nihil intrare poſſit affectionis mundanæ. Ideo ſubditur: Fortis eſt, ut mors dilectio tua.

Quartò eius corpus, nec in uita, nec in morte ulli corruptioni ſubiacere potuit, quia fuit quadruplici prærogatiua dotatum.

Primò enim fuit à patre firmiter compaginatum. Cant. 9. Soror noſtra paruula eſt, &c. Et infra. Si oſtium eſt compinguamus illud tabulis cedrinis. Corpus noſtrum eſt compaginatum tabulis luteis. Iob. 4. Qui habitant domos luteas, qui terrenum habent fundamentum conſumentur uelut à tinea. Et ideo ad quemlibet impulſum tentationis, uel tribulationis cadit. Quando ſignatum eſt Dan. 2. Vbi dicitur, quòd lapis percuſſit pedes fictiles ſtatuę, & ſtatim comminuta eſt. Corpus autem virginis fuit tabulis cedrinis compaginatum, Lignum enim cedrinum eſt tam fortè, & ſolidum, quòd flecti non poteſt per aliquam uiolentiam uel pondus. Sic & corpus virginis fuit tam firmiter compaginatum, quòd in uita, nec potuit frangi, uel flecti per peccatum, nec in morte potuit frangi per aliquam corruptionem. Secundò eius corpus fuit ſapienter à filio contemperatum. Corpus enim noſtrũ multas habet diſtemperantias, ſiue ex ſuperfluitate humorum, ſiue ex corruptione uitiorum, ſiue ex pugna, quæ eſt inter corpus, & ſpiritum, & ideo cito cadit, ſiue in peccatum, ſiue in mortem. Eze. 2. Edificabant parietem, & liniebant eum luto abſque temperamento. Dic ad eos, qui liniunt abſque temperatura, quòd caſurus ſit. Illud autem diſtemperamentum non fuit in corpore virginis, quia non fuit ibi corruptio humorum, ſiue uitiorum, quia terra ſua erat in aurum conuerſa. In aurum autem non incidit corruptio. Iob. 28. Glebę illius aurum. Nec fuit ibi diſtemperãtia, ideſt pugna inter corpus, & ſpiritum ſuum, quia cum iam eſſet archa Dei omnia in ipſa fuerunt pacificata. Tertiò eius corpus fuit à ſpiritu ſancto clementer depuratum. Corpus autem noſtrum habet multas impuritates, ſed ignis ſpiritus ſancti omnem carnalitatem

extinxit

extinxit in corpore virginis, & consumpsit, & ipsum ad omnem puritatem adduxit, vnde potest dici sibi illud Isa. 1. Excoquam ad purum scoriam tuam. Tunc autem ignis Spiritus sancti omnem scoriam virginis excoxit, quando omnem carnalitatem, & omnem fomitem in ea consumpsit, & ad puritatem adduxit Malach. 3. Ipse enim quasi ignis conflans, & sedebit conflans, & emundabit argentum. Quartò eius corpus fuit à tota trinitate mirabiliter imbalsamatum. Tunc enim tota trinitas ipsam imbalsamauit, quando tota deitas in eius utero habitauit, & filius Dei de ea carnem assumpsit, & ideo ipsa dicit Eccles. 24. Quasi balsamum non mixtum odor meus, Deitas enim filij Dei fuit carni unita, sed non admixta. Ideo dicit. Quasi balsamum non mixtum odor meus. Bern. super illud. Spiritus sanctus superueniet in te. Preciosum illud balsamum tanta ibi copia, tanta influit plenitudine, ut plenissimè effluas circumquaque.

QVIBVS VSIBVS CONVENIT CRATER, *similibus accommodatur Beata Virgo.* *Sermo* XXXVIII.

CRATER est Virgo Maria siue cratera, dicitur iuxta illud Cant. 7. Vmbilicus tuus sicut crater tornatilis nunquam indigens poculis. Et uocatur hic beata virgo crater, & vmbilicus. Dicitur autem vmbilicus beata virgo, quia sicut vmbilicus est in medio corporis, sic & ipsa est mediatrix generis humani. Psalm. Deus rex noster ante sæcula operatus est salutem in medio terræ. Bern. uidelicet, in utero virginis, ad quam sicut ad medium, sicut ad causam rerum, sicut ad negocium sæculorum respiciunt, & qui habitant in terra, & in inferno, & qui nos præcesserunt, & nos qui sumus, & qui nos sequentur, & nati natorum, & qui ex eis nascentur, qui in cœlo sunt, ut restaurentur. Qui sunt in inferno, ut eripiantur. Qui præcesserunt prophetæ, ut fideles inueniantur Qui sequentur, ut glorificentur. Idcirco beatam tè dicent omnes generationes.

Genitrix

Genitrix Dei, regina cęli, Domina mundi, quæ generationibus cunctis uitam, & gloriam genuisti. In te reperiunt cũcti Angeli letitiam, iusti gratiam, peccatores ueniam. In te oculi totius creaturę merito respiciunt, quoniam de te, & in te benigna manus omnipotentis quicquid creauerat recreauit.

Secundò dicitur crater inquantum fuit uas Dei, plenum gratiam, & Spiritu Sancto.

Notandum autem, quòd in ueteri testamento ad tria utebatur cratera propter, quæ Beata Maria assimilatur.

Primò ad recipiẽdum sãguinem immolatitium. Exo. 24. Tulit Moyses partem sanguinis, & misit in crateras, partem autem residuam fudit super altare. Sanguis Christi fuit quodammodo diuisus in duos, scilicet. in Virginem, & in Christum. Nã in Christi passione Virgo Beata fuit quodammodo tota Sanguine Christi cruentata, & quodammodo cum filio martyrium passa iuxta illud Lucè. 2. Tuam ipsius animã pertransibit gladius. Ideo poterat dicere illud Exo. 4. Sponsus sanguinum tu mihi es. Et tunc Sanguis Christi quodam modo positus fuit in cratera, idest, in Virgine Beata Christus etiam fuit totus sanguine cruentatus propter, quod angeli admirantes dixerit Isa. 63. Quare rubrum est indumentum tuum. Et tunc sanguis Christi fuit fusus super altare, i. super ipsum Christus, qui est inter nos, & Deum.

Secundò utebatur cratera ad sacrificia libantium. Nota, dicitur autem in historia scolastica, quòd eorum, quæ Deo offerebantur, aut erat de animalibus, & dicebatur sacrificiũ. Aut erat de sicca materia sicut de simila pane, & thure, & tunc propriè dicebatur oblatio. Aut erat de liquidis uino, & oleo. Et propriè dicebatur libamẽ siue libatio. In crateris igitur uinum, & oleum recipiebatur quando libatio Deo offerebatur. Beata igitur Maria fuit plena uino diuinę gratię ideo uocatur uitis. Eccl. 24. Quasi uitis fructificaui.

Tertiò utebatur ad effundendum sitientibus potum, unde dicitur in superiori auctoritate; Sicut crater tornatilis, nunquam indigens poculis. Beata igitur Maria despicienbns amorem mundi, & desiderantibus amorem Dei dat poculum, scili-

lum, scilicet uinum spiritus sancti, quod generat internam iocunditatem. Psal. Vinum lætificat cor hominis, & generat puritatem, & munditiam. Zacha. 9. Vinum germinans virgines. Et generat peccati amaritudinem. Cant. 8. c. Dabo tibi poculum ex myrrha conditum. Tertiò dicitur crater tornatilis, quæ quidem habet formam sphericam. Forma autem sphærica habet magnã capacitatem, & interminabilitatem, motum facilem, & cursum uelocem. Ideo dicitur beata virgo crater tornatilis. Primò propter capacitatem. Nam intra viscera suæ pietatis recipit omnia remedia, & auxilia nostræ salutis, iuxta illud Eccle. 24. In me omnis gratia vitæ, & ueritatis. Ex quibus uerbis habetur, quòd ipsa recipit iustos dando eis gratiam. Accipit peccatores dando eis ueniam. Recipit ignorantes, & cæcos ostendendo eis veritatem puram. Recipit desperantes dando eis spem certam. Recipit debiles, & infirmos dando eis virtutem, & constantiam. Secundò dicitur tornatilis propter interminabilitatem, quia eius misericordia, nullo modo clauditur, nec finitur, sed à principio usque in finem uitæ nostræ, eius misericordia nos comitatur. Tertiò dicitur tornatilis, quia habet motum facilem, & cursum uelocem. Quanuis alij sancti de facili moueantur ad nostrum auxilium, ipsa tamen omnibus sanctis mouetur facilius ad nos. Sap. 7. Omnibus mobilibus, idest omnibus sanctis ad nostrum auxilium uenientibus, mobilior est sapientia, idest virgo beata, quæ Dei sapientiam generauit. Currit etiam uelociter ad nos, iuxta illud Cant. 2. cap. Surge propera amica mea. Quarto dicitur crater nunquam indigens poculis, quia quantuncunque nobis gratiam Dei effundat, nunquam tamen deficit, sed amplius crescit, si tamen crescere posset. Videmus enim quòd quanto aliquis amat, tanto plus de amore effundit in ipsum, & tanto amplius crescit amor in ipso amante, & ideo fons amoris de ipso fluxu amplius crescit. Renuendo uero amorem suum retinet, deficit, & arescit. Qui enim amorem suum retinet ne in alium fluat, iam nil amoris habet, quia in eo aruit fons amoris. Quanuis igitur ista cratera Dei semper effluat, nunquam tamen indiget poculis, quia semper est

plena,

plena, & super plena. Ideo dicitur Cant. 4. Fons hortorum puteus aquarum uiuentium, ipsa enim est fons, quia semper emanat, & est puteus aquarum uiuentium, quia anima arida uiuificat. Et fluit cum impetu de libano, quia mentes lętificat. psal. Fluminis impetus letificat ciuitatem Dei.

ABVNDAT BEATA VIRGO DELITIIS tam Spiritualibus quam Cœlestibus tam hic quam in patria. Sermo XXXIX.

DELITIAS habet Virgo Maria tā spirituales quā cęlestes, tam in hoc mundo quam in alio iuxta illud Cant. ult. Quæ est ista, quæ ascendit de deserto delitijs affluens inixa super dilectum suum.

Primò igitur habuit delitias spirituales in hoc mundo, quæ fuerunt sex de quibus dicit Ber. sicut Qui Dei delicias dixerim, uirginitatis decus cum munere fęcunditatis humilitatis insigne distillantē charitatis fauum, & in misericordię uiscera, plenitudinē gratię, pręrogatiuā glorię singularis.

Propter primas quatuor delitias dicitur Cant. 1. Cū esset rex in accubitu suo nardus mea dedit odorem suum. Iste rex habuit tres accubitus, s. sinum patris, uterum Virginis, & patibulum crucis. Nardus autem est herba humilis odorifera, & calida, per hoc, quòd est humilis notatur eius humilitas, per hoc, quòd est odorifera notatur eius Virginitas, per hoc, quòd est calida notatur eius charitas. Dum igitur esset rex in accubitu patris odorem dedit Mariæ humilitas quæ intantum Christo placuit, quòd ad eam descendit. Dū esset in accubitu uteri uirginalis odorem dedit eius uirginitas, quia eius puritate pascebatur. Cant. 2. Qui Pascitur inter lilia, i. corda mūda. Dum esset in accubitu crucis odorem dedit eius charitas, quia secundum Amb. Ad patiendum cū filio pro humano genere erat parata.

Propter alias tres delitias dicitur Cant. 3. Quæ est ista, quæ ascendit de deserto sicut uirgula fumi ex aromatibus myrrhę, & thuris, & uniuersi pulueris pigmentarij. Fuit enim uirgula, quia fuit flexibilis ad pietatē. Ex aromatibus,

quia

quia plena fuit odoribus omnium uirtutum. Et uniuersi pulueris pigmentarij: Vniuersi enim pulueres pigmētorum, sunt diuersitates omnium virtutum, & gratiarū, quia omnes gratias, & glorias, quas alij sancti habuerunt particulariter, ipsa habuit uniuersaliter.

Secundò habet delitias cœlestes, & istę sunt in triplici differentia. Sunt enim delitiæ generales, singulares, & speciales. Delitię generales sunt omnibus sanctis communes, de quibus dicit Augustinus in libro de ciui. Dei. Ciuitas superna uidet & amat, in æternitate Dei viget, in veritate Dei lucet, in veritate Dei gaudet. Istę autem delitiæ communes, nobilius sunt in virgine, quàm in cæteris sanctis, quia iocundius gaudet, clarius uidet, nobilius viget. Sap. 4. O quàm pulchra est casta generatio cum claritate. In hoc, quòd dicit casta generatio, notatur, quòd iocundius gaudet, de eo. s. quòd virgo permansit; & tamen generauit. In hoc ꝙ dicit cum claritate, notatur, ꝙ clarius lucet, siue videt. In hoc enim quod sequitur. Immortalis est enim memoria illius, notatur quòd nobilius uiget: Delitiæ autem spirituales sunt, quas non omnes sancti possidēt, sed soli virgines habent, scilicet, aureolam in capite, quod significatum est. Exo. 25. Vbi dominus præcepit Moysi, quòd super mensam coronam auream facerent, coronam aureolā vestęs fulgide in corpore. Apoc. 3. c. Ambulabunt mecum in albis. Ineffabile canticum in ore, ut habetur Apoc. 4. Et familiaritas in associatione. Apocaly. 14. Hi omnes sequuntur agnum quocunque ierit, hæ autem delitiæ spirituales gloriosius fuerunt in virgine Maria, de qua dicitur Apoca. 12. Signum magnum apparuit in cœlo mulier amicta Sole, & Luna sub pedibus eius, & in capite eius corona stellarum. 12. & in vtero habens. Aliæ autem virgines habent coronam aureolam. Hæc autem habet coronam stellarum. 12. adornatā. Aliæ decorantur ueste alba. Hæc uero est sole amicta. Aliæ sequuntur agnum pedibus suis. Hæc autem habet Lunam, idest militantem, & triumphantem ecclesiam sub imperio suo. Aliæ cantant pro conseruata virginitate. Hæc autem pro virginitate, & fœcunditate. Ideo dicitur in utero habens.

Tertiò

Tertiò habet delitias singulares, quod notatur per hoc q̃ dicitur. Innixa super dilectum suum. Vbi notatur quod quatuor sunt eius delitiæ singulares. Prima est securitas, & istam habuit maxime in mundo. Secura quidem erat, quia nunquam cadere poterat, quia super Deum innixa erat, Ps. Qui confidunt in Domino sicut mons Syon &c. Secunda est magna dignitas. Innixa enim erat ei à quo angelicæ potestates reuelando resiliunt, & in cuius conspectum aspiciendo renuunt, iuxta illud Tremunt uidentes Angeli. Tertia est eius familiaritas. Signum magnæ familiaritatis fuit, q̃n Ioannes in sinu Christi recubuit, hæc autem recubuit tanto dulcius quanto familiarius, quanto secretius, atq; sublimius. Qui enim alicui rei innititur virtutem eius sibi assumit, & ea sicut vult vtitur, sic & mater de potẽtia filij cui est innixa quantũ vult sibi assumit. Ideo dicitur Eccl. 24. In Hierusalem potestas mea. Ber. Quando misereri non poterit mater omnipotentiæ. Quarta est filij sui tota proprietas, quod notatur cũ dicitur, Super dilectum suum, quia non fuit ibi aliquis pater carnalis, & ideo sibi meritò attribuitur totus cum dicitur Super dilectum suum. Alij enim filij non sunt totaliter matris, sed sunt etiam & patris.

PARTES DIEI B. VIRGINIS LAVDIBVS *conueniunt.* Sermo XL.

DIES dicitur à dyan quod est clarum, & significat Virginem Mariam quæ fuit cœlesti claritate perfusa. Si enim alij sancti dicuntur dies, iuxta illud Thess. 5. cap. Omnes vos filij lucis estis, & filij Dei, in quibus tamen fuit aliquando aliqua tenebra culpæ, multo fortius ille debet dici dies, in quo semper lux diuina effulsit, & nunquam in ea aliqua tenebra locum habuit. Si enim in isto mundo visibili corpus opacum i. terra Soli se non interponeret, tunc Sol semper diem faceret; & nunquam nox esset. In Maria igitur nunquam aliquid fuit opacum, nihil terrenum, nihil rationi contrarium, & ideo nulla nox ibi potuit habere locum, sed semper tanquam dies lucida irradiauit. Zac. 14. Erit dies

vna quæ nota est Domino,non dies neque nox,id est, non vicissitudo dierum neque noctium.Ista talis dies quę nunquam habuit noctem est Virgo Maria,quæ sicut dicitur Sap.7.hęc est speciosior Sole.Illi enim non succedit nox.Sapientia autem vincit malitiam.De ista sapientia dicitur in Ps. Dies diei eructat verbum,& nox nocti indicat scientiam. Christus enim est dies, & Virgo est dies. Quando igitur insimul erant & mutuo loquebantur,tunc dies erat cum die,& dies diei uerbum eructabat.Econtrario Adam erat nox,& Eua nox,& ambo uoluerunt habere Dei sapientiam, & ideo tunc nox nocti indicauit scientiam. Habet autem dies tres principales partes,scilicet, mane, & dicitur mane à mane quod est bonum, & luce quæ tunc incipit nihil est melius. Secunda pars est meridies,quasi mera dies. Tertia est vespere,quæ dicitur à stella occidentali quæ uesperus appellatur, & solem occidentem sequitur.Quantum verò ad istas tres partes diei, B.Virgo dicitur dies.Est enim dies quantum ad ipsam partem diei quæ est mane. Nam mane est finis dormitionis, & initium operationis,hora sobrietatis, & celebritate digestionis. Beata quidem Virgo fuit finis dormitionis.Peccatores enim dormiunt in peccatis.1.Thes.5. Qui dormiunt nocte dormiunt. Maria igitur est finis dormitionis,quia fecit finem uitijs, & peccatis,Hiero, in sermone de assumpt. Talibus enim decebat Virginem oppignorari uirtutibus, ut esset gratia plena, quæ cœlis dedit gloriam, terris Deum, pacemq; refudit, fidem gentibus, finem vitijs, vitæ ordinem, moribus disciplinam. Secundò est initium operationis. Ante enim aduentum Christi homines bene operari non poterant,quia dæmones eos impediebant, sed ipsa dæmones impedientes expulit & homines ad bene operandum expeditos fecit.Ps. Ortus est Sol, idest, B.Virgo, & congregati sunt,scilicet,dæmones,& in cubilibus suis collocabuntur,idest, in inferno,& sic homo ibit securus ad bene operandum,unde sequitur,Exibit homo ad opus suum. Tertiò fuit magnæ sobrietatis,Habuit enim sobrietatem in uerbo,quia raro inuenitur fuisse locuta, Glo. super Lucā.Si Maria inuenitur ante præceptum Apostoli tacere debemus post præceptum Apostoli magis doceri quàm

docere. Habuit sobrietatem in cibo, vnde dicit Amb. Si quādo Maria esuriebat cibus plerunque obuius fuit, qui mortem arceret non delitias ministraret. Habuit sobrietatem in actu licito, siue coniugio, à quo uoluit abstinere, & virginitatem conseruare, vnde dixit angelo Lucæ.2. Quomodo fiet istud, quoniam uirum non cognosco. Vbi dicit Amb. Non utique de effectu dubitauit, sed qualitatem effectus inquisiuit. Et subdit Amb. Legerat enim quòd virgo generaret, sed nō quādo generaret. Non ergo fidem regnauit, non officium recusauit. sed accommodauit affectum, & spondit obsequium. Quartò sicut mane est hora celebratę digestionis, sic Maria non proferebat uerba indigesta, idest impremeditata, & incōsiderata, sed ea prius digerebat, idest diligenter examinabat. Vnde dicitur Lucæ. 2. Cogitabat qualis esset ista salutatio. Ibidem. Maria conseruabat omnia uerba hæc, &c. ubi dicit Beda. Conferebat quæ acta uidebat habens, quæ agenda legerat, non tamen hæc ore promens, sed inclusa in corde seruans.

Secunda pars diei est meridies, idest media dies. Beata igitur Maria dicitur meridies, quia cæteris sanctis fuit magis calida, idest Dei amore accensa; immo fuit tota in ignem amoris conuersa. Hieronymus. Mariam totam repleuerat Spiritus sancti gratia, totam diuinus amor incaluerat, ita ut in ea nihil esset, quod mundanus uiolaret affectus, sed ardor continuus ac perfusi amoris ebrietas. Secundò fuit magis cæteris sicca, idest ab omni humore concupiscentiæ pęnitus aliena, vnde vocatur terra sitiens. Isa. 53. Et sicut radix de terra sitiēti. Augu. super illud. Et virtus altissimi obumbrabit tibi, ita ut nec estum patiaris libidinis, & mater sis creatoris, & idcirco eam Dei virtus obumbrat ne portans Deum humana fragilitate succumbat. Tertiò fuit magis clara cæteris, idest luce diuinæ sapientiæ plena, unde Apoc. 12. Mulier amicta sole uocatur, idest sapientiæ diuinæ splendore. Nam sicut dicit Beda. Quando Maria salutauit Elisabeth scientiam præteritorum præsentium, & futurorum sibi dedit. Præsentium quidem, quia ipsam matrem Dei esse cognouit, & fructum uentris sui benedixit. Prætoritorum autem, quia consensum Ma-

riæ

riæ credentis innotuit. Futurorum vero, quia à domino proficienda, q̃ illi dicta erant, aperuit. Deinde subdit. Quis ergo dicere vel existimare sufficit, quæ tunc gratia Spiritus sancti genitricem repleuerat, cum tanta in matre præcursoris lux cœlestis emicuit. Est etiam Maria inter nos, & Deum mediatrix effecta, de quo medio dicitur in Psal. Deus autem rex noster ante sæcula operatus est salutem in medio terræ, idest in Maria Virgine. Item. Suscepimus Deus misericordiam tuã in medio templi tui, idest vteri virginalis.

Tertia pars diei est uespere. In hora autem vespertina homo à labore quiescit, cœnam facit, & mercedem accipit, & in domum se recolligit. Vnde etiam dicitur sero à clausis seris, quia quando vespere venit fores serantur, vt dicit Isid. Virgo igitur beata tanquam stella, quæ dicitur uesperus, quæ semper solem, idest Christum concomitata fuit. Ista quatuor post mortem fidelibus suis facit. Primò nanque à laboribus suis eos quiescere facit, iuxta illud Apoc. 14. Amodo iam dicit spiritus, ut requiescant à laboribus suis. Secundò eis mercedem triauit. Illa autem merces est fructus ventris sui, ideſt filius suus benedictus. Psal. Cum dederit dilectis suis somnum, ecce hæreditas domini filij merces fructus ventris. Tertiò cum deuotis suis cœnam facit, in qua cœna apponit panem vitæ, illum, scilicet, qui dicit Io. 6. Ego sum panis viuus. Eccle. 15. Cibauit illum pane uitæ, & intellectus. Apponit etiam cibũ delectabilem, scilicet, seipsam, quæ dicit Eccl. 24. Qui edunt me adhuc esurient, & qui bibunt me adhuc sitient. Apponit etiam diuersa cibaria, idest diuersas refectiones, & gaudia. Prou. vlti. Dedit prædam domesticis suis, & cibaria ancillis suis. Quartò deuotos suos in domum cœlestem introducit, ideo uocatur porta paradisi, & fenestra cœli, vnde cantat ecclesia. Intrent ut astra flebiles, cœli fenestra facta es.

CELEBRIS FVIT BEATAE VIRGINIS caritas & dilectio. Sermo XLI.

DILECTIONEM duplicem habuit Virgo Maria. Vna est, qua dilexit filium suum.

Secunda est qua dilexit genus humanum. Filium autem suum dilexit dulciter, fortiter, & sapienter. Tam dulciter eũ dilexit, quòd tota præ amore liquefiebat. Can. 5. Anima mea liquefacta est, quia tota præ amore languebat. Can. 2. Amore langueo, quia tota in amore sui conuersa erat. Sicut enim ignis ea in quæ agit sibi assimilat, & ad se conuertit, sic ignis diuinus qui nouem mensibus in eius utero habitauit, eam totam ignitam fecit. Secundò dilexit filium fortiter, quia per multam tribulationem ab eius amore non potuit separari, immo cæteris Apostolis in Christi passione fugientibus, ipsa immobilis stetit. Fuerunt enim tunc quidam fortes quãtum ad amorem sicut Apostoli. Alij quantum ad amorem, & corporalem associationem, sed non quantum ad fidem sicut sanctæ mulieres. Beata autem Virgo fuit fortis quantum ad amorem. Can. 8 Fortis est vt mors dilectio tua. Et quantum ad fidem Prouer. ult. Non extinguetur in nocte, idest, in Christi passione lucerna eius, idest, fides Virginis. Et quantum ad corporalem associationem. Ioan. 19. Staaat iuxta crucem Iesu mater eius. Amb. super Lucam. Fugientibus Apostolis Maria iuxta crucem stabat, tamen non pignoris mortem, sed mundi salutem. Tertiò dilexit filium suum sapienter, quod in tribus apparet. Primò quia ipsum puerum ad Dei festiuitates ducebat. Secundò in hoc, quòd filium licet grauissimos dolores in cruce passurum nunquam tum sibi dissuasit, ne crucem ascenderet. Tertiò in hoc, quòd licet uideret filium derideri, & vulnerari, nunquam tamen sibi dissuadere voluit ut descenderet de cruce, sed potius uoluit ire usque ad mortem, ut ibi perseueraret. Immo ipsa stabat iuxta crucem, secum mori parata si oporteret. Ambr. super Lucam. Fortasse quia Maria cognouerat per filij mortem mundi redemptionem futuram, putabat aula regalis se per suam mortem publico munere aliquid adiuncturam, sed ipse Christus qui factus est sicut homo sine adiutorio inter mortuos liber, suscepit quidem matris affectum non quæsiuit mundi redemptionem ad hominis auxilium. Ex hijs instruũtur parentes, quòd filios suos dum adhuc sunt pueri debent bonis operibus assuefacere nec à bono proposito, & à pœnitentia assumenda

cos

eos retrahere, nec ut pœnitentiam assumptam deserant eis persuadere, sed potius ipsi cum filijs, vel exemplo filiorum debent se in cruce pœnitentiæ collocari.

Secunda est dilectio qua nos dilexit. Et ista dilectio est duplex, scilicet, ordinata. Can. 1. Ordinauit in me charitatem. Et dilectio pulchra. Ecclef. 24. Ego mater pulchræ dilectionis. Habuit enim ipsam charitatem ordinatam. Primò ad id quod est supra se, idest, ad Deum perfectè obediendo. Nam legi Dei semper obediens fuit, sicut patet in filij circuncisione, & in sui purificatione. Secũdò ad id quod est extra se, scilicet ad proximum ei compatiendo, sicut patet in nuptijs vbi deficiente uino sponso compassa fuit, ut habetur Ioã. 2. Ber. Deficiente uino in nuptijs uerecundiæ conuiuantium compassa est pijssima Virgo dicens filio, uinum nõ habent. Quid enim procederet de fonte pietatis nisi pietas. Quid inquam mirum si pietatem exhibent uiscera pietatis. Nonne qui dimidia diei parte pomum in manu sua tenuerit reliqua diei parte pomi seruabit odorem. Quantùm ergo uiscera illa pietatis affecit, in quibus nouem mensibus pietas requieuit. Nã & ante eius mentem, quàm uentrem repleuit, & cum ex utero processit, ab animo non recessit. Tertiò ad id quod est infra se, scilicet, ad corpus suum ipsum rationi subijciendo, & in uirginitate conseruando. Apocal. 12. Luna sub pedibus eius. Lunam sub pedibus eius habuit, quando corpus mutabile sub ratione subiecit. Quartò ad id quod est intra se, scilicet, ad animam suam eam in humilitate conseruando, seruans illud Deut. 4. Custodi temetipsum, & animam tuam solllicitè. Ber. super Missus est. Hæc quidem duæ uirtutes, scilicet, virginitas, & humilitas multum Deo sunt acceptæ. Ber. Voluit Christus matrem suam esse virginem, de qua immaculata immaculatus procederet omnium maculas purgaturus. Voluit & humilem de qua humilis, & mitis prodiret, harum in se virtutum hominibus exemplum saluberrimum ostensurus, ut enim sanctum sanctorum, quæ erat acceptura sancta certi corpore munus accepit virginitatis, vt esset & mente donum accepit humilitatis. Secundò eius dilectio fuit pulchra. Distinguit autem Aug. quadruplicem dilectionem. Vna est car-

lis, quæ est inter virum, & vxorem, quæ aliquando est turpis, quando. s. nimis carnaliter se amant. Alia est naturalis, quæ inter patrem, & filium, quæ est aliquando turpis, quando. i. pater inordinatę diligit filium. Tertia est socialis, quæ est inter amicum, & amicum, quæ aliquando est turpis, quando se in malum diligunt. Quarta est spiritualis, quæ est inter Deum, & animam. Et ista est pulchra dilectio cuius mater virgo beata est, quæ dicit Eccl. 24. Ego mater pulchrę dilectionis, &c. Ista autem dilectio pulchra in quatuor consistit. Primò in diligendo Deum. Istam pulchram dilectionem reprehendit se August. non habuisse in lib. confes. dicens. Sero te amaui pulchritudo tam antiqua, & tam noua, sero te amaui, intus eras, & ego foris, & in ista formosa, quæ fecisti deformis irruebã, mecum eras, & ego tecum nõ eram. Secundò consistit in Deũ diligendo, & habendo Dei sapientiam. Prou. 22. Appone cor tuum ad doctrinam meam, quæ pulchra erit cum seruaueris eam. Tertiò consistit in amando, & seruando præcepta, & cõsilia Dei. Prou. 3. Viæ eius viæ pulchræ, & semitę eius pacificę. Quartò consistit in puritate mentis, & corporis, & honestate conuersationis. Sap. 4. O quàm pulchra est casta generatio cum claritate.

EXPLICATVR BEATAE VIRGINIS triplex dolor. Sermo XLIII.

DOLOREM habuit triplicem in præsenti Virgo Maria.

Primus fuit quando Herodes quærebat puerum ad interficiendum, & ex hoc in Ægyptum ipsam fugere oportuit, & iste dolor causabatur. Primò ex timore Herodis ne, scilicet, ipsum puerum dum fugeret inueniret. Secundò ex labore itineris, quia puella tam tenerrima, & delicata, & quæ de nouo à partu surrexerat, per vias tam longas. & asperas ire debebat. Tertiò ex consortio habitatoris, quia. s. cum idolatris eam habitare oportebat, ubi per septem annos peregrina habitauit. Ex ista autem domini peregrinatione sanctorum persecutio designatur, Hiero. A cunabulis ecclesiæ non

defuit

defuit iniquitas præmens, & iustitia patiēs. Adhuc Christus in cunabulis erat, & iam cogebatur fugere, exulare, sæuitiam hostis timere. Chryſ. ſuper Mat. Quod poſt ſtellæ glorioſum indicium, Chriſtus magos in perſidem remittit, & ipſe cū matre in Ægyptum fugit, vt diſcamus ab ipſis vitæ principijs, ad tentationes, & inſidias præparari, ſcientes tribulationes maximas inſeparabiles comites eſſe virtutum. Nam vt ſtatim ortus eſt Chriſtus ſtatim in eum ſæuit tyrannus. Mater innoxia in regione barbarorum fugatur, magi tanquam rei clā fugiunt, ſed miſericors Deus meſtis rebus quædam ēt iocunda permiſcet, quod certè in omnibus ſanctis facit, quos nec tribulationes, nec iocunditates continuas habere permittit. Ideo autem Chriſtus potius in Ægyptum, quàm in aliam regionem fugit, vt ipſam ſanaret. Chryſ. Recordatus eſt dominus quanta mala fecit ſuper Ægyptum, & miſit illuc filium ſuum, vt decem plagas Ægypti, vt vna media ſanaret. Aug. Moyſes in Ægypto clauſerat diem, Chriſtus adueniens clariſſimam reddidit lucem. Fugit vt illuminaret, non vt timeret, fugit non formidine, ſed pietate. Nam occultatur infans in Aegypto, vt regnet ſancta maieſtas in cœlo.

Secundus dolor fuit quando Chriſtus in templo remanſit, cui B. Virgo dixit. Fili quid feciſti nobis, ſic &c. Vbi virgo ponit titulum magni honoris, & affectu magni doloris. Magnus honor notatur in hoc ꝙ vocat eum filium ſuum. Bern. ſuper Miſſus eſt. Fili quid feciſti nobis ſic. Ecce Mariæ priuilegiū. Quis enim hoc audeat angelorum. Sufficit enim & pro magno habent ꝙ cum ſint ſpiritus ex conditione facti ſunt angeli. i. nuncij Dei. Maria vero Deum maieſtatis, & dominum angelorum ſuum filium appellat dicens fili quid feciſti nobis ſic. Dolorem autem ſuum exprimit cum ſubdit. Ecce pater tuus, & ego dolentes quærebamus te. Iſte autem dolor cauſabatur ex triplici timore. Vnus erat ſm̄ Origenem, quia timebat ne Iudæos tanquam indignos reliquiſſet, & ad gētes prædicandas longe receſſiſſet. Secundus erat ſm̄ eundem, quia timebat ne ad cœlum aſcendiſſet, & ad patrē qui miſerat rediuiſſet, & ſic redemptionē noſtrā non feciſſet. Tertius erat, qa timebat ne in manibus filiorum Herodis deueniſſet, vñ dicit

glo. ibidem. Metuebat ne quòd Herodes in eius infantiam patrare quæsierat tunc iam in pueritia positum inuenta opportunitate interficeretur. Tertius dolor fuit tempore passionis de quo dixit Symeon Luc. 2. Tuam ipsius animam pertransibit gladius, ubi dicit Amb. Quamuis multæ tribulationes trāsfuderint animam Mariæ, tamen hic specialiter designatur. quæ materna uiscera transfixit Domino in cruce moriente, tanquam si Symeon diceret, Maternis tuis uisceribus gladio tribulationis transuerberaberis. Videbis in cruce pendentem quem Angelo nunciante concepisti, quem manente uirginitate filium edidisti. Et subdit idem Ambr. Deniq; illo pendente in cruce iudæi presentes, vt descēderet insultabant. Apostoli fugientes illum de cruce descendere posse non credebant quem ut uidit Maria materna piaq; viscera ex eiusdē passione, gladio tribulationis transfiguntur. Sed ut uidere possimus quantū in ea fuerit dolor, uideamus quantus fuerit amor. In Christo nanque erat triplex substantia, scilicet, caro, anima, & deitas In matre erat caro anima, & spiritus. Erat igitur inter matrem, & filium triplex coniunctio, scilicet carnis ad carnem secundum naturam. Animæ ad animam secundum amicitiam. Spiritus ad deitatem secundum gratiam. Dissecabatur igitur caro virginis uidens carnem Christi tam crudeliter lacerari. Dissecabatur eius anima, uidens animam Christi tam grauiter contristari. Dissecabatur eius spiritus uidens Deitatem Christi tam ignominiosè tractari.

PRAEDICATVR MERITO BEATA *Virgo cœli, & mundi totius domina.*
Sermo XLIII.

DOMINA cœli, & mundi dicitur Virgo Maria, propter Dominium, propter multitudinem subditorum, & propter ius dominij acquisitum.

Primò igitur dicitur domina propter dominium. De cuius dominio ipsa dicit Eccl. 24. Girum cœli circuiui sola, & profundum abyssi penetraui, & in fluctibus maris ambulaui, &

in omni terra steti, in omni populo, & in omni gente primatum tenui. Ex quibus uerbis habetur, quòd ipsa dominatur in cęlo. Ideo dicit. Girum cœli circuiui. Ipsa enim tanquam domina cęlum circuit, & ubiq; dñium accipit. Vel dr̃ girum cœli circuire, quia omnes sanctos cœli circuit, & girat, & eos ad intercedendum pro nobis sollicite inducit. Et dicit sola, quia ipsa orante omnes orant, ipsa silente omnes silent. Anselmus. Te domina tacente nullus orabit nullus iuuabit, te orante omnes iuuabunt omnes orabunt. Secundò ostenditur, ꝙ dominatur in inferno, unde subdit. Et profundum abyssi penetraui. Non enim dominatur tantum dæmonibus minoribus, uel mediocribus, qui sunt quasi in medio, sed etiam maximis, qui sunt quasi in profundo. Et ideo non dicit penetraui superficiem, uel medium, sed profundum abyssi. Tertiò dominatur in purgatorio, ideo subditur. Et in fluctibus maris ambulaui. Et dicitur pœna purgatorij fluctus, quia est transitoria, & dicitur maris quia est amata. In illis fluctib. ipsa ambulat, quia meritis suis multos à penis illis liberat. Quartò dñatur in mundo, ideo subditur. In omni terra steti, idest, in omni populo, & in omni gente primatum tenui. In mundo quidem sunt tria genera hominum. Quidam sunt boni. Quidam sunt mali. Quidam sunt tepidi. Ipsa igitur dominatur malis eos ad pœnitentiam reducendo. Dominatur bonis eos in gratia conseruando. Dominatur tepidis eos feruēter proficere faciendo. Dominatur quidem malis, idest hominibus terrenis, ideo dicitur in omni terra steti. Inter peccatores enim non sedet, nec iacet; sed stat adiuuando, & à malis retrahendo. Dominatur & bonis, ideo subdit in omni populo. Populus enim dicitur à polis, quod est ciuitas, idest, ciuium unitas, & significat bonos in quibus una uoluntas est, qui dicunt cum Propheta. Vnam petij à Domino hanc requiram. In istis talibus Virgo dominatur, & primatum tenet dum eos in gratia Dei fouet. Dominatur etiam tepidis, ideo subdit. Et in omni gente primatum tenui. Gentes dicuntur quasi geniti. Talis est homo, quando ad fidem Christi conuertitur tunc spiritualiter generatur, iuxta illud 1. Corinth. 4. In Christo Iesu

Cor.4.In Christo Iesu per Euangelium ego uos genui. Quidam sunt,qui tales quales geniti sunt perseuerant eo, quòd in nullo bono proficiunt,nullam uirtutem apprehendũt. In talibus ipsa primatum tenet, quia eos ad feruenter operãdũ prouocat & inducit.

Secundò dicitur domina propter ius dominij acquisitũ. Acquirit enim aliquis dominiũ alicuius rei, aut ratione emptionis,aut ratione operationis, sicut aliquis est dominus illius rei,quam operatus est,& quam in esse producit, aut ratione electionis sicut prælatis acquiritur ius ratione electionis. Virgo igitur B. habet ius dominandi in cęlo, & in terra. Primò ratione emptionis, quia cum filius suus nos emerit,& redemerit,ipsa ad hanc redemptionem faciendam mater est operata,nostræ redemptionis materiam ministrando. Ipsum filium suum Redemptorem nostrum nutriendo. Secũdò ratione operationis, quia ipsa est mater Dei cuncta in esse produxit,& omnia quæ sunt filij,sunt matris. Tertiò rõne electionis,quia Deus ab æterno sibi eam in matrẽ elegit. Psal. Elegit eam Deus in habitationem sibi.

Tertiò dicitur domina propter multitudinem subditorũ. Ipsa enim habet subditos, seruos,amicos, filios, & inimicos. Serui sunt de nouo conuersi. Amici sunt eius fideles,& deuóti. Filij sunt in cœlo beati. Hostes sunt dæmones, & damnati. Istis quatuor generibus subditorum diuersimodè dominatur,quod innuitur Cãt.6. Quæ est ista,quæ progreditur quasi aurora consurgens pulchra,ut Luna electa, ut Sol terribilis, ut castrorum acies ordinata. Seruis.n.de nouo conuersis dominatur tanquam aurora, quia ab eis depellit tenebras culpæ,& dat lucem gratiæ. Amicis.i.fidelibus,& deuotis dominatur eis tãquam Luna,quia dat eis lucem diuinæ sapiẽtiæ, & rorem cœlestis gratiæ. Filijs.i.beatis dominatur tanquam Sol,quia replet eos clarissima Dei visione, & feruentissimo Dei amore. Inimicis.i.dæmonibus dominatur tãquam acies ordinata militum,quia eos terret,eos expellit, & in fugam conuertit. De eius dominio potest exponi illud,quod dr̃ Gen. 27. Seruiant tibi populi.i.Gentiles ad fidem conuersi, & adorent te tribus.i.populus Iudæorum. Esto Dominus fratrum

tuorum,

tuorum,i.Christianorum . Et incuruentur ante te filij matris tuæ,i.omnes angeli,qui sunt filii triumphantis ecclesiæ,quę est etiam mater Virginis Mariæ.

ETIAM BEATA VIRGO CONuenienter domus Dei cantatur. Sermo XLIIII.

DOMVS Dei est Virgo Maria, quam ipse Deus fundauit.Ps.Homo natus est in ea, & ipse fundauit eam altissimus.Fundatam ędificauit Prou.9.Ædificauit sapientia sibi domum ædificatam inhabitauit.Eccl.24.Et qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo. Potest autem domus considerari,prout est in fieri. Et tunc tria requiruntur. De quibus sicut dicit Amb.in examer. bonus artifex primo fundamentum ponit;fundamento posito ædificationis membra distinguit. Adiungit ornatum. Ista tria cœlestis artifex circa domum istam seruauit.

Primò,n.ipsam fundauit.Ps.Fundamenta eius in montib. sanctis.Per montes sanctos altitudo Trinitatis intelligitur. Ipsa.n.fuit fundata super altitudinem potentiæ patris, quia eam in bono confirmauit.Super altitudinem sapientiæ filij, qui eã oĩ sapiẽtia illustrauit. Super altitudinẽ gratię spũs S. qui eam in gratia stabiliuit.Homo igitur de facili cadit,tum quia hẽt corpus luteũ, tũ quia fundm̃ hẽt terrenũ,tum quia hẽt cor cincreũ.De duobus primis dr̃ Iob 4. Qui habitãt domos luteas,& terrenum habet fundm̃. Homo quidem habet domũ luteam,i.corpus, quod est domus animæ, qđ de luto est formatũ. Habet ẽt fundm̃ terrenum, qñ spem suã ponit super mundum.Talis est,sicut dr̃ Matthæ. 6. Aedificauit domum suam super arenam.De tertio dicitur Sap.15.Cinis est cor eius, & luto uilior uita illius,quia p̃ nimio ardore cõcupiscęntiæ,& auaritiæ cor eius est in cinerem redactum. Non est igitur mirũ,si terrena domus hominis citò cadit; ex quo habet corpus luteum,& fundamentum terrenum,& cor cinereum.Domus autem B. Mariæ nũquam cadere potuit ex eo, ꝙ fuit firmiter solidata.Quamuis.n.corpus suũ fuerit luteũ,

tamen in fornace diuini amoris sic fuit concrematum, & solidatum, quòd nihil ibi de carnalitate remansit. Eccl. 28. Vapor illius exurit carnes eius. Isa. 1. Excoquam ad purum scoriam tuam. Hiero. in sermone de assumptione. Puto quod quicqd est, credis, quicqd virtutis mentis humanæ si totum adhibeas non sufficeret, ut cogitare ualeat quanto virgo beata cremabatur ardore pij amoris.

Secundò habuit animum cœlestem, & deificatum, quia totus eius animus erat in Dei amore conuersus. Hiero. ubi supra. Non immerito de libano uenire iubetur. Erat enim niue dealbata candidior Spiritus sancti muneribus. Filius vero fecit pulchram eius mentem. Cum enim ipse sit splendor, & speculum sine macula ideo totum uentrem suum splendidum fecit quem nouē mensibus inhabitauit. Ambr. Quid nobilius matre Dei, quid splendidius ea, quam splendor elegit. Pater autem fecit pulchrum eius ventrem, & mentem, quia utrunque sanctificauit. Psal. Sanctificauit tabernaculum suum altissimus. Cant. 4. Tota pulchra es amica mea, &c. Fuit enim pulchra cuius ventrem filius sic illustrauit, fuit sine macula cuius ventrem Spiritus sanctus sic purgauit, & fuit tota pulchra cuius ventrem, & mentem pater sic sanctificauit. Postquam cœlestis artifex tam stabile fundamentum posuit, tam pulchrum ędificium erexit, ipsum ędificium ornauit atque depinxit, ponendo ibi triplicem colorem, scilicet, colorem albū puritatis, nigrum humilitatis, & rubeum charitatis. Cant. 1. Nigra sum, &c. Ecce nigredo humilitatis, Sed formosa. Ecce color albus puritatis. Sicut pelles Salomonis. Ecce color rubeus charitatis. Dicit enim glo. de pellibus rubricatis fecit sibi tabernaculum Salomon. Pulchra ergo commixto, scilicet, color albus, niger, & rubeus, quia pulchra coniunctio est puritas cum humilitate, & vtraque cum charitate.

PRO STRVCTVRA DOMVS CONGRVIT eidem Beata Virgo. Sermo XLV.

DOMVS autem vt decem est non tantum consideratur quantum ad fieri, vt supra decem est, sed etiam quantū

ad

ad factum esse. Tunc enim tria requiruntur, ut dicit August. in lib. de tri. Bona, inquit, domus paribus membris bene disposita. De dispositione autem istius domus dicitur Canti. 2. Ferculum fecit sibi rex Salomon de lignis libani, columnas eius fecit argenteas, reclinatorium aureum, ascensum purpureum media charitate constrauit. Ex quibus verbis habetur, quòd Christus in ipsa domo fecit cęnaculum ad vescendum, fecit cubiculum ad quiescendum, & fecit triplex solarium ad solatiandum.

Primò nanque fecit ibi cęnaculũ ad vescendum cum dicit, Ferculũ fecit sibi rex Salomon. Est autem ferculum vas escarum. Beata autem virgo fuit vas escarum, quia portauit nobis panem cœlestem. Prouer. 21. Facta est quasi nauis institoris de longe portans panem suum. Fuit vas escarum, quia in ipsa se Christus cibauit dum de ipsa carnem assumpsit. Homo in ipsa se cibauit dum per fructum ventris sui æternã in ea inuenit satietatem. Secundò Christus in ea fecit thalamũ ad quiescendum. Ideo dicitur, Reclinatorium aureum. Aurũ enim est pulchrum, imputribile, & fulgidum. Sic eius virtus fuit aureus, quia fuit pulcher per honestatem morum. Fuit incorruptibilis per priuilegium virginitatis. Fuit fulgidus fulgore virtutum. Sap. 4. c. O quàm pulchra est. Ecce pulchritudo morum. Casta generatio. Ecce virginitatis priuilegium. Cum claritate. Ecce fulgor virtutum. Tertiò Christus in ista domo fecit triplex solarium ad spatiandum, scilicet, solariũ inferius, medium, & superius. Solarium inferius muniuit columnis argenteis. Ideo dicitur columnas eius fecit argenteas. Medium pauimentauit lapidibus preciosis. Ideo dicitur. Media charitate constrauit. Superius uero ornauit pannis sericis, atque purpureis. Ideo dicitur. Ascensum purpureum. Ista autem tria solaria accipiuntur penes illa tria, de quibus dicitur Thessal. 5. Ipse autem Deus pacis sanctificet vos per omnia, vt integer spiritus vester anima & corpus sine querela seruetur. Solarium igitur istius domus virgineę fuit eius corpus. Medium fuit eius anima. Superius fuit eius eius spiritus. Eius igitur corpus, quod fuit solarium inferius fuit columnis argenteis præmunitum. De quibus columnis dicitur Prou. 9.

Sapiens

Sapientia ædificauit sibi domum excidit columnas septem. Istę septem columnæ fuerunt septem dona spiritus Sancti, quibus ipsa fuit repleta, ita ꝙ eius sensualitas nũquam fuit ad malum proclina; sed semper fuit rationi cõsentanea. Anima eius fuit solarium medium, quæ fuit constrata, & pauimẽtata lapidibus preciosis, idest virtutibus diuinis. Ideo dicitur. Media charitate constrauit. Quamuis autem pauimentũ fuerit constratum omnibus lapidibus, i. omnibus virtutibus preciosis, tamen de sola charitate fit mentio; quia omnes virtutes in charitate radicantur. Fuit enim pauimentata tribus uirtutibus Theologicis, quasi tribus lapidibus preciosis. Eccl. 24. Ego mater pulchrę dilectionis, quantum ad charitatem. Et agnitionis quo ad fidem. Et sanctę spei, quo ad spem. Fuit etiam pauimentata quatuor virtutibus Politicis. Ipsa enim vixit temperatè, quod notatur cum dixit. Quoniam uirum non cognosco, prudenter, quod notatur per hoc, quod dicitur. Cogitabat qualis esset ista salutatio. Fortiter quia fuit turbata; sed non conturbata, quod notatur cum dixit. Ecce ancilla domini. Humilitas enim est pars iustitiæ. Spiritus eius fuit solarium superius, quod fuit ornatũ pãnis purpureis. Ideo dicitur, Ascensum purpureum. Eius enim spiritus fuit purpureus, siue quia charitate fuit inflammatus, siue quia dolore filij fuit vulneratus, siue quia passionis Christi semper fuit aspersus.

Secundò ista domus fuit ampla. Habuit enim magnum vterum ad capiendum Deum, unde cantat ecclesia: Quia quẽ cœli capere non poterant tuo gremio contulisti. Ideo ipsa uocatur templum quasi tenens amplum. Psalm. Suscepimus Deus misericordiam tuam in medio templi tui. Secundò habuit amplum affectum ad compatiendum. Omnes enim recipit intra sua uiscera pietatis. Nam recipit iustos eis suam gratiam largiendo. Ibi recipit tẽtatos, eos ab insidijs diaboli protegendo. Ibi recipit peccatores, eis gratiam & misericordiam impetrando. Ibi recipit morientes, eorum animas in suis manibus suscipiendo. Propter ista quatuor dicit ecclesia. Maria mater gratiæ, Mater misericordiæ, &c.

Tertiò habet ampla merita ad subueniendum. Omnib. n. in suis necessitatibus subuenit. Bern. Sileat misericordia tua

Virgo

Virgo Beata, si quis est, qui te inuocatam in suis necessitatib. sibi senserit defuisse.

Tertiò ista domus fuit lucida. De cuius Lucæ dicitur Cantic. 6. Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora, &c. Tunc enim in domo ista fulsit lux auroræ, quando in uentre matris fuit sanctificata, quia tūc omnē nubem peccati originalis spiritus Sanctus ab ea fugauit. Et ideo tota clara refulsit. 2. Reg. 23. Lux auroræ Oriente Sole manę, absque nubibus rutilat. Secundò fulsit lux Lunæ, quando fuit filio Dei impregnata. Sicut enim lux solis Lunæ corpori se coniungit, sic tunc diuinitas in eius utero sibi carnem vniuit. Tertiò fulsit in ea Lux solis, quando in corpore, & anima fuit glorificata, tunc tota refulsit, quia omnis pœnalitas ab ea fuit ablata, & gloria immortalitatis induta.

QVAE HABET PROPRIA EBVR, *similia Beata Virgo videtur habere.* *Sermo* XLVI.

EBVR habet candorem, ruborem, frigiditatem, & soliditatem. Candor significat puritatē, & virginitatē. Ideo dr̄ Cantic. 5. Venter tuus eburneus distinctus saphiris. Ebur, ut dictum est, habet candorem. Saphirus hēt colorem cœlestem, quo datur intelligi, q̈ eius puritas fuit candidior, q̄ humana, & fuit cœlestior, q̄ angelica. Ber. in serm. de Assumptio. Si diligenter attēdas in maria singulas virtutes. inuenies singulares, quæ uidebantur esse communes. Quæ. n. uel angelica puritas illi puritati Virginis audeat cōparari, quæ digna fuit fieri sacrarium. s. & habitaculum filij Dei. Rubor signat eius charitatem, quæ in ipsa nūquam extingui potuit. Cāt. 8. Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, quæ diabolum percussit. Iudith 9. Percuties eum labijs charitatis tuæ. Quæ ipsam decorauit, & ornauit. Cantic. 3. Media charitate constrauit. ibidem 2. Ordinauit in me charitatem. De eius charitate dicit Bernar, Ipsa est mulier amicta Sole, quæ uelut alterum Solem induit, quia sicut ille indifferenter orit super bonos, & malos. sic ipsa quoque propria merita non respicit,

respicit, sed omnibus exorabilem facit se, & clementissimam se exponit. Omnium necessitates amplissimo miseret affectu.

Frigiditas significat refrigerationem, & extinctionem fomitis, vnde dixit angelus. Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi, idest te refrigerabit ab omni estu concupiscentiæ. August. in sermone de assumptio. Spiritus sanctus superueniet in te, ita ut nec ęstum patiaris libidinis, & mater sis creatoris. Et subdit. Idcirco quidem eã virtus obumbrat, ne portans Deum, fragilitas humana succumbat ęstus nostri corporis nesciat.

Soliditas significat cõstantiam suæ virtutis, quæ tanta fuit tempore passionis, quòd cæteri apostoli fuerunt confracti. Ipsa vero sola solida, & firma permansit 3. Reg. 10. Fecit sibi Salomon thronum grandem de ebore. Ipsa quidem fuit thronus Dei, quia in ipsa Deus requieuit. Et fuit de ębore, quia solida, & firma permansit. Et fuit grandis, quia eius dignitas omnem dignitatem angelicam transcendit. Amb. super Lucam. Maria fugientibus Apostolis ante crucem stabat, & pijs oculis filij vulnera spectabat. Spectabat tamen non filij mortem, sed mundi salutem.

QVIBVS ELEPHAS DICITVR POLLERE, similibus Beata Virgo commendatur. Sermo XLVII.

ELEPHAS significat Virginem Mariam, secundum Arist. Elephas habet plura commendabilia. Est enim inter cætera animalia magis obediens, maiori uigens sensu domesticabilis, & fele carens, & est inimicus draconis, & propter ista potest beata Virgo elephanti comparari.

Primò nanque elephas est multum obediens, quia liberatori suo est semper obediens. Dicitur enim quòd quando capitur grauissimè à venatore verberatur, & accedens, qui vult ipsum emere fingit ipsum liberare, & sic elephas semper illũ diligit, & ei semper obedit. Ista obedientia fuit excellenter in Virgine beata, quæ non tantum obediuit suo superiori, idest Deo, quando dixit, Ecce ancilla domini, sed etiam suo inferiori,

riori, id est Elisabeth, apud quam tribus mensibus stetit, & sibi in partu seruiuit. Obediuit etiam suo æquali, id est Ioseph, qui inquantum suus sponsus erat, sibi æqualis erat. Nam secuta est eum prægnans in Bethleem proficiscente, proficiscẽtem secuta est eum de Ægypto reuertentem.

Secundò elephas multum viget sensu, & intellectu, vnde ad nutum magistri sui regem adorat, aquam de fluuio, uel situla haurit, & circunstantes aspergit. Beata autem virgo super angelos, & homines sensu, & intellectu viguit, & profunda Dei mysteria, cæteris amplius cognouit. Ber. super missus est. Virtus, inquit, altissimi obumbrabit tibi, &c. Quis enim excepta fortassis illa, quæ hæc solum experiri meruit intellectu capere possit qualiter ille splendor inaccessibilis virgineis visceribus se infuderit. Nam quòd sola per se trinitas, cum sola, & in sola Virgine voluit operari, soli datũ est experiri.

Tertiò elephas est valde domesticabilis, quia de facili domesticatur, & cum hominibus pacifice commoratur, sic beata virgo fuit valde domestica per conformitatem morum. Non enim fuit singularis persona, sed communis. Nam uoluit conuenire cum virginibus, ideo virginitatem vouit. Voluit conuenire cum coniugatis, ideo matrimonio consensit. Voluit conuenire cum viduis, ideo post mortem Ioseph vidualem vitam seruauit. Fuit etiam persona communis, quia placere studuit Deo hominibus, & angelis. Ber. in quodam ser. Bene dicitur Maria gratia plena, quia Deo hominibus, & angelis fuit grata. Grata Deo per humilitatem, angelis per virginitatem, hominibus per fœcunditatem.

Quartò elephas felle caret, & ideo naturaliter est benignus accidentaliter fit seuerus, scilicet, aut ad prælium, quando concitatur, aut quando nimis prouocatur. Sic beata virgo nõ habet fel alicuius indignationis, vel iracundiæ, sed tota est dulcis, atque suauis. Ber. super missus est. Quid humana fragilitas iræ trepidet ad Mariam, nihil in ea austerum, nihil terribile, sed tota suauis est. Efficitur tamen seuera dæmonibus, quando pro nobis contra eos præliatur. Ideo dicitur Cant. 6. Terribilis, ut castrorum acies ordinata. Efficitur etiam seuera peccatoribus in iudicio, qui Deum in suis malis

operibus

operibus prouocauerit, quia vlterius pro eis nō orabit, nec eos amplius liberabit. Ideo assimilatur api, quæ naturaliter mellificat, accidentaliter vero pungit, quando scilicet, prouocatur, sic naturale officium virginis est habere dulcedinem misericordiæ accidentaliter tamen in iudicio contra malos habebit seueritatem iustitiæ.

Quintò elephas pugnat contra draconem, & duobus modis ipsum vincit. Primò eius caput conterendo, & tunc draco terribiliter plangit, iuxta illud Mich. 1. Faciam planctum uelut draconum. Secundò aquam in eius faciem projjciēdo. Nam in flumen se projjcit, & quando draconem se appropinquare videt, aquam in eius faciem cum rostro projcit, & sic eum excęcat, & à se repellit. Eodem modo virgo diabolum uicit.

Primò, quia sub humilitate caput diaboli, idest eius superbiam contriuit. Gen. 2. Ipsa conteret caput tuum. Abach. 3. c. Percussisti caput de domo impij, &c. Sicut enim diabolus Euam vicit per superbiam, sic à Maria victus est per humilitatem veram. Bern. Eua per superbiam Dei creatura se esse nō considerans Deo pacificari noluit. Maria verò factori suo humiliter se subdens ancillam nominauit. Ideoque illa abiecta est, ista vero electa.

Secundò diabolum uicit ipsum quodammodo excęcando, & in faciem suam aquā projciendo. Diabolus autem obseruabat, si aliquando Virgo aliqua conciperet, ut sic mysterium Dominicæ incarnationis posset scire, sed virgo eum excęcauit, & in faciem eius aquam proiecit, quando scilicet, uirum habere uoluit, quia tunc sibi mysterium occultauit. Bernar. Ideo Virgo Maria desponsatur, quia per hoc sanctum à causalibus absconditur, & à secretis cœlestibus hostis excluditur. Amb. Ideo Deus cęlauit suæ natiuitatis sacramentum, quia si princeps huius sæculi cognouisset nunquam pro salute nostra Christum crucifigi procurasset.

LAVDA-

LAVDATVR BEATA VIRGO EX ijs, quibus electa, & praelecta fuit. Sermo XLVIII.

ELECTA, & prælecta fuit Virgo Maria, iuxta illud. Elegit eam Deus, & prælegit eam. Fuit enim electa, vt esset mater Dei, fuit prælecta, ut esset spōsa Christi, habitat in tabernaculo Dei, ut sit regina cœli, & domina mundi, primo igitur fuit electa, ut esset mater Dei. Sunt autē quatuor secundum Bern. propter quæ mater Dei promeruit fieri.

Vnum est ex parte nostra, scilicet, magna congruitas, vnde dicitur in sermone de assumptio. Prudentissimus artifex Deus humanum genus quassatum non confregit, sed utilius omnino refecit, ut nobis, & nouum Adam ex veteri reformaret, & Euam in Mariam trāsfunderet. Et quidem cum omnis sufficientia nostra ex Deo sit, poterat Christus per se sibi sufficere, sed non erat nobis bonum esse hominem solum. Congruum fuit magis, vt utrique reparationi sēsus noster adesset, quam corruptioni venter defuisset.

Secundū est ex parte Dei .s. magna eius bonitas. Videbat .n. Deus, quòd non audebat propter nimiam excellentiam suā homo ad eum accedere. Et ideo matrem uoluit esse mediā, ad quam homo securus accedat, vnde subdit Ber. Ideo homines uerentur maiestatem diuinam. Quid autem humana fragilitas accedere trepidet ad Mariam nihil in ea austerum nihil terribile est, sed tota suauis.

Tertium est ex parte virginis, scilicet, eius virginitas.

Quartum est ex parte eiusdem .s. humilitas. De his duobus dicit Ber. super missus est. Proinde factor hominum, ut homo fieret nasciturus de homine sibi talem matrem debuit eligere, quin potius condere, qualem & se decere sciebat, & sibi placituram esse nouerat. Voluit igitur esse virginem, de qua immaculata immaculatus procederet, maculas omnium purgaturus. Voluit & humilem, de qua mitis, & humilis corde prodiret harum in se virtutum hominibus exemplum saluberrimum ostensurus.

Secundò fuit prælecta alijs omnibus, vt esset sponsa Christi. Deus enim pater ipsam in sponsam filio suo accepit, & Gabrieli desponsandam commisit, vnde subdit Aug. in sermone de annunciatione, Dum Mariam tacitam fidem propositæ castitatis virgineo cultu cęlat, dum purpureos vultus candore mentis exuperat, placuit ipsa Deo, forma mentis, & corporis decore vestita, petitur ergo Maria cœlestibus regnis rex ipse stellato micans solio mandatum dirigit. Concionante itaque Deo mirantur sedes, stupent throni, ac diuinus silet exercitus, uade, inquit, Gabriel, & ethereas sedes rumpe, & consiliũ nostrum Virgini defer Mariæ. Huic vnicum meum, & alteri donare nolo, vt illa sit mater cuius ego sum pater.

Consueuerunt autem sponsi circa sponsas suas quinque requirere, quæ sunt. Singularitas amoris, pulchritudo corporis, nobilitas generis, morum honestas, & prolis fœcunditas. Ista quinque fuerunt in ipsa sponsa Dei, iuxta illud Psalm. Audi filia, & vide, &c. vbi dicit. Bern. Audiuit, & credidit, uidit, & intellexit, auremque suam inclinauit ab obediendum, nec populum suum augere prolis successione, nec domui patris suum curauit hæredem relinquere, sed quicquid honoris in populo, quicquid de paterna domo rerum terrenarum habere potuit, quasi stercora reputauit, vt Christum lucrifaceret. Secundum est pulchritudo corporis, vel potius mentis. Et subditur. Et concupiscet rex decorem tuum Cant. 4. Tota pulchra es amica mea, &c. Vbi dicit Hugo de sancto Victo. Quam pulchra es, & suauis, quam scrutator rex probat, quã inspector cordium laudat, quam diligit actor pulchritudinis, cui testimonium perhibet actor veritatis. Tertium est nobilitas generis, parum autem valet nobilitas carnis, nisi sit nobilitas virtutis. Vnde subditur. Omnis gloria eius filiæ regis. Gloria enim exterior est ipsa, de qua dicit Eccl. 24. In me omnis gratia viæ, & ueritatis, in me omnis spes uitæ, & uirtutis. Quartum morum honestas, ideo subdit. Circundata uarietate. Istę varietates sunt diuersi mores. Nam modo habebat mores prætendentes magnam puritatem, modo pietatem, modo charitatem. Quintum est prolis fœcunditas. Vnde subditur, Pro patribus tuis nati sunt tibi filij. Sicut Eua fuit mater

ter omnium morientium, sic Maria fuit mater omnium uiuentium. August. in sermo. de annun. Erat Maria sine marito mater, cui ego sum sine coniugio pater, sic enim mundo succurrere uolo, ut iam non dicatur Eua mater uiuentiū, sed Maria.

Tertiò eam Deus facit habitare in tabernaculo suo, ut sit regina cœli, & domina mundi. Quælibet autem regina præ cæteris consueuit habere tria in palatio regali, scilicet, nobiliorem locum, ornatum, & famulatum. Ista tria regina ista habet. Ideo dicit propheta. Astitit regina à dextris tuis, hoc significatum est 3. Reg. ubi dicitur. Positus est thronus matris regis, quæ sedet à dextris eius. Secundò habet nobiliorē ornatum. Ideo subditur, in uestitu deaurato, idest in corpore glorificato. De ornatu istius reginæ, dicitur Apoca. 12. Mulier amicta Sole, & Luna sub pedibus eius, & in capite corona stellarum duodecim. Tertiò habet nobiliorem famulatum, quia omnes angeli, & omnes sancti sibi famulātur, ideo subditur, Circundata uarietate. Vna uarietas est ordo angelorum, & omnium cœlestium spirituum. Secunda est ordo Patriarcharum. Tertia est ordo Prophetarum. Quarta est ordo Apostolorum. Quinta est ordo Martyrum. Sexta est ordo Confessorum. Septima est ordo Virginum. Oēs iste uarietates ipsam circundat, quia omnes tanquam domicelli, & domicellę sibi assistunt, & eam circundant, quia omnes eam uenerantur, & laudant.

GRATIAS ET ELEEMOSYNAS QVAS *Deus dat, per Beatam Virginem distribuit.* *Sermo* XLIX.

ELEEMOSYNARIA Dei est Virgo Maria. Omnes enim eleemosynas, & gratias, quas Deus de cœlo in terram mittit, matri suæ fiendas commisit. Bernar. Quia tu dignus nos eras, cui daretur fieri, datus est Mariæ, ut per eam acciperes, quicquid habes. Intantū eam enim Deus dilexit, ut nihil nos habere uoluerit, quod per manus eius nō transiret. Ipsa autem non est auara, sed dona gratiarum, dat

liberaliter, dat sapienter, & dat vtiliter. De liberalitate autem huius eleemosynariæ dicitur Prouer. vlt. Manum suam aperuit inopi, & palmas suas extendit ad pauperes. Cuius liberalitas in ijs uerbis ostenditur, & quia manus apertas habet, & quia eas plenas eleemosynis possidet. Nulla enim laus esset mulieri forti, si manus apertas teneret, & versus pauperes extenderet si ipsas vacuas haberet. Tenet igitur manum apertam, quia dat faciliter. Tenet eam extensam ad pauperes, quia dat communiter habet crateras eleemosynis plenas, q̄a dat omnibus abundanter.

Secundò ista eleemosynaria dat sapienter. Non enim dat omnibus æqualiter, sed secundum maiorem indigentiam pauperum, & secundum exigentiam meritorum, dat & distribuit dona gratiarum, ideo dicitur ibidem. Omnes domestici eius uestiti duplicibus. Hic tanguntur ancillæ, & duo genera domesticorum. Ancillæ cibantur. Domesticorum quidam duplicibus uestiuntur, quidam præda ditantur. Habet igitur virgo quosdam famulos. Isti intelliguntur per primos domesticos, qui duplicibus uestiuntur, habet quosdam virginitate prę ditos, & intima sibi dilectione coniunctos. Isti intelliguntur per alios domesticos quibus præda diuiditur. Per famulos igitur, siue ancillas intelliguntur boni laici, qui præcepta Dei custodiunt. Istis dat cibaria, quia cibo diuinæ gratiæ eos pascit. Per domesticos quos duplicibus uestit intelliguntur religiosi, & uiri perfecti, quos uestit duplicibus, quia animam uestit duplici virtute, & corpus candore innocentiæ, per alios domesticos intelliguntur illi, qui sunt virginitate præditi, & sibi intima deuotione coniuncti. Istis dat prædam. Tum quia eos magnis diuitijs ditat, tum quiam carnem, mundũ & diabolum in prædam eis donat, dum de ipsis hostibus victoriam præstat. Ista triplex differentia tangitur Prou. 8. In vijs iustitiæ ambulo. Istud spectat ad bonos laicos, q̄ præcepta Dei, quæ sunt via eundi ad cœlum custodiunt. In medio semitarum iudicij. Istud spectat ad religiosos, qui non tantum incedunt per viam mandatorum, sed etiam per semitam consiliorum. Vt ditem diligentes me, & thesauris eos repleam. Istud spectat ad illos, qui eam intima deuotione diligunt, & se in

virgini-

virginitate sibi consimiles faciunt. Horum thesauros replet, quia eorum memoriam replet continuam Dei recordatione intelligentiam, Dei cognitione, & voluntatem magna Dei dilectione.

Tertiò ista eleemosynaria dat utiliter, quia eius eleemosynæ sunt valde utiles, & necessariæ. Ideo ipsa dicit Eccle. 24. Ego mater pulchræ dilectionis, &c. Necessariè sunt præsumptuosis, ut suo timore eos humiliet. Ideo subdit. Et timoris. Necessariè sunt ingratis, ut sua sapientia eos illustret. Ideo subdit. Et agnitionis. Necessariè sunt pusillanimis, ut ad spæ ueniæ eos reuocet. Ideo subdit. Et sanctæ spei.

EXTERIORIS ET INTERIORIS *faciei pulchritudine fuit accepta Deo Beata Virgo.*
Sermo L.

FACIES Beatæ Mariæ non tantum corporalis, sed spiritualis intantum fuit pulchra, quòd eam ipse Deus uidere desiderabat. Cant. 2. Ostende mihi faciem tuam, sonet uox tua in auribus meis, uox enim tua dulcis, & facies tua decora. Dicit enim August. in lib. de trin. Bona facies dimensa est pariliter, affecta hilariter, & colorata paulisper. Tunc facies animæ pariliter est dimensa, quando membra, i. virtutes ipsius animæ sunt debito modo proportionatæ, scilicet, quando magnitudini fidei respondet magnitudo spei, & magnitudini spei, respondet magnitudo amoris, & magnitudini amoris respondet magnitudo operis. Nam sicut dicit Bernar. Quantum homo credit tantum sperat, quantum sperat tantum diligit, quantum diligit tantum operatur. Istam talem dimensionem, & proportionem habuit Virgo Maria, iuxta illud Eccl. 24. Ego mater pulchræ dilectionis. Ipsa enim habuit magnam fidem, per quam Deum ueraciter cognouit; Ideo dr. Ego mater agnitionis, Habuit magnā spē, quia Deum de Deo vehemēter sperauit, ideo subditur. Et sanctæ spei. Habuit magnū amorē, per quē Deū feruēter dilexit

ideo dicit.Ego mater pulchrę dilectionis.Habuit magna opera,quia sollicitè operata fuit, ideo dicitur mater timoris. Timor enim filialis sollicitat ad bene operandum hominem. Eccl. 7. Qui timet Deum nihil negligit. Minus dicit, & plus sollicitat,idest sollicitè operatur. Vel ista dimensio potest esse quadruplex, quæ circa eius misericordiam inuenitur. De qua sic dicit Ber. Quis ô benedicta misericordiæ tuæ longitudinem,latitudinem, sublimitatem,& profundum inuestigare possit. Longitudo eius vsque in diem nouissimum subuenit vniuersis. Latitudo eius replet orbem terrarum. Sublimitas eius ciuitatis supernæ instaurauit ruinas, profunditas quantum sedentibus in tenebris,& umbra mortis redemptionem obtinuit.

Secundò eius facies fuit affecta hilariter. Si cor enim gaudens exhilaret faciem, vt dicitur Prouer. 15. Manifestum est, quòd cor eius, quod semper est gaudio plenum erat, quòd faciem eius exhilarabat. Potest enim dici de ipsa, quod de filio dicitur Isa.42. Non clamabit,scilicet,murmurando,nec audietur uox eius, scilicet,maledicendo,non erit tristis,scilicet,in corde,nec turbulenta,scilicet,in facie. Ipsa enim semper fuit lęta,scilicet, in annunciatione.Lucæ.1.Exultauit spiritus meus in Deo salutari meo. In parturitione. Gaudebat enim de tali prole, de conseruato pudore, de eo quòd parturiebat sine dolore, & de angelica iubilatione, iuxta illud. Dũ paris,& gaudes,&c.Fuit lęta in Christi resurrectione. Quanuis enim in passione multum doluerit,tamen postmodum in Christi resurrectione multum gauisa fuit,sicut dicitur Thob. 3. Post tempestatem tranquillum facit, post lachrymationem & fletum exultationem infundis. Fuit lęta in Christi ascensione, vnde dicitur Lucæ vlt. quòd ascendente Christo in cœlum, ipsi adorantes regressi sunt in Hierusalem cum gaudio magno. Qui autem sunt isti, qui cum gaudio regressi sunt determinatur Act. 1. Tunc reuersi sunt Hierusalem,& ascenderunt ubi manebat Petrus, & Ioannes, & infra cum mulieribus,& Maria matre Iesu. Fuit lęta in suipsius assumptione,quia tota festiua fuit assumpta, vnde cantat ecclesia. Sicut dies verni circundabant eam flores rosarum, & lilia conuallium.

lium. Fuit etiam tunc lęta tota curia cœlestis, Ber. in sermone de assumptio.. Si paruuli necdum nati anima liquefacta est, quid putamus, quæ illa cœlestium fuerit exultatio, cum & vocem eius audire, & faciem eius videre, & beata eius præsentia frui meruerit.

Tertiò eius facies fuit colorata loculenter, Consueuerunt autem filij parentibus in faciem assimilari, & ideo uerisimile est, quòd colorem quem habuit filius traxerit à matre. De colore autem filij dicitur Cant. 5. Dilectus meus candidus, & rubicundus electus ex millibus. Ipsa igitur fuit cādida propter puritatem. Fuit rubicunda propter feruentem charitatem. Et fuit electa ex milibus propter singularem, & inauditam humilitatem. Cant. 1. Nigra sum, sed formosa. Ipsa igitur fuit nigra ratione humilitatis, fuit formosa ratione puritatis, fuit rubicunda, vel rubricata ratione puritatis.

ENVMERANTVR EA QVIBVS BEATA *fuit famosa apud angelos, & homines.*
Sermo L I.

FAMOSA fuit Virgo Maria angelis, Deo & hominibus. Angelis propter virginitatem, Deo propter humilitatem, hominibus propter fœcunditatem. Iudith. 14. Tu gloria Hierusalem, idest Dei, in quo est uisio uostræ pacis, propter hnmilitatem, quam habuisti. Tu lętitia Israel, idest angelorum qui semper vident Deum facie ad faciem, propter virginitatem, quam conseruasti. Tu honorificentia populi nostri, propter fœcunditatem, quam pro nobis protulisti. Et sequitur. Quia fecisti viriliter, Deum per tuam humilitatem ad terram trahendo. Et confortatum est cor tuum propter tuam fœcunditatem, nostram salutem operando. Eo quòd castitatem amaueris, te propter virginitatem angelis associando. Vel potest dici, quòd aliquis dicitur esse famosus quatuor de causis. Primò propter magnam sapientiam, sicut fuit Salomon 3. Regum 10. Regina Sabba audita sapientia Salomonis. Secundò propter magnam potentiam. Gene. 6. Gigantes erant super terram, Isti sunt potentes uiri famosi.

Tertiò propter magnam sanctitatem. Iudith. 8. Hęc erat omnibus famosissima quoniam timebat Deum. Quartò propter magnam pulchritudinem. Hester. 2. Erat Hester famosa ualde, & incredibili pulchritudine, oculis omnium gratiosa, & admirabilis uidebatur. Ista quatuor Virgo Maria excellenter habuit, & ideo famosissima fuit.

Primò enim habuit magnam sapientiam. Diuina enim sapientia in eius utero nouem mensibus habitauit, & ideo totam ipsam diuina sapientia plenam reliquit. Ideo Apostoli ad eam tanquam ad arcam sapientiæ recurebant, & ipsam de omnibus dubijs interrogabant. Vnde dicit Beda. Omnia quæ de domino, uel à domino dicta, uel acta cognouerat, Virgo mater in corde diligentius retinebat, & sollicitè cuncta ad memoriam commendabat, ut cum prædicandi, uel scribendi eius incarnationis tempus adueniret, sufficienter uniuersa prout essent gesta quærentibus explicare posset.

Secundò habuit magnam potentiam. Eccl. 24. In Hierusalem potestas mea. Tam enim potens fuit, quòd diabolum contriuit. Gene. 2. Ipsa conteret caput tuum. Tam potens fuit, quod cęlum aperuit, quòd Deum ad terram traxit, quòd uitia confregit, quòd virtutes plantauit. Hieronymus. Hæc est quæ cœlis dedit gloriam, terris Deum pacemque refudi, fidem gentibus, finem uitijs, uitæ ordinem, moribus disciplinam.

Tertiò habuit magnam sanctitatem. Nam ante fuit sancta, quàm nata. Bernar. est itaque regia ueris honorum titulis adornata, quæ proculdubio sancta fuit antequam nata. Et quoniam sanctum idem est, quòd purum, siue mundum, ipsa intantum fuit sancta, quòd eius puritas fuit infra puritatem diuinam, sed supra puritatem angelicã, & humanam. Anselmus. Decebat quippe, vt virgo beata ea puritate niteret, qua sub Deo maior nequit intelligi.

Quartò habuit magnã pulchritudinem, de cuius pulchritudine dicitur in Psal. Omnis gloria eius filiæ regis. Sunt quidam qui non curant nisi de pulchritudine exteriori. Ipsa autẽ curat de interiori. Ideo dicitur, Omnis gloria eius filię regis

abintus

abintus. Alij sunt, & si aliquando habeant pulchritudinem interiorem, tamen cito perdunt. Ipsa autem seruauit vsq; in finem. Ideo dicitur. In fimbrijs aureis. Fimbria est vestis. Alij sunt, qui & si diligunt Deum, tamen adhuc aliquo modo inclinantur ad mundum. Tales possunt dici deaurati nō aurei. Nam in re deaurata, & est aurum, & est res alia præter aurū, sic & serui Dei quamuis diligant Deum, tamen adhuc omnino non abstrahuntur à mundo. Res autem aurea tota est aurum. Ideo Beata Virgo non habuit fimbrias deauratas, sed aureas, quia totū cor eius versum erat in aurum, idest in amorem diuinum. Alij sunt qui sunt contenti vna pulchritudine, idest vna virtute. Beata autem Virgo habuit varietatem omnium virtutum. Ideo dicitur circundata varietate.

QVANTAM FIDEM HABVIT BEATA *Virgo, qua eam Helisabeth commendauit.* *Sermo* LII.

FIDEM Beatæ Mariæ Sancta Helisabeth commēdauit dicens Luc. 1. Beata, quæ credidisti, quoniam perficientur in te, quæ dicta sunt tibi à Domino. Vbi Helisabeth attribuit fidei suæ, quòd Deum concipere meruit. Augúst. de verbis Domini. Virgo non libidine, sed fide concepit. Venit in Virginem, qui erat ante Virginem; quàm eligenter creauit, & quam creauit elegit. Attulit Virgini fæcunditatem, sed non abstulit integritatem. Idem in libro de virginitate. Beatior fuit Maria percipiendo fidem Christi. Nihil enim Mariæ materna propinquitas fuisset, nisi cum fęlicius corde quàm carne gestasset. Notandum autem, quòd est fides viua, vera, perfecta, & firma. Fides viua est, quæ est operibus adornata. Si enim non haberet opera, non esset viua. Iac. 2. Sicut corpus sine spiritu mortuum est, sic fides sine operibus mortua est. Istam fidem viuam nō habent mali Christiani, de quibus dicitur. Confitentur aūt se nosse Deū, factis autem negant. Fides perfecta est, quæ est charitati coniuncta, quia ipsa charitas est perfectio oīum virtutum. Col. 3. Charitas, quæ est vinculum perfectionis. Gal. 5. Fides, quæ

per charitatem operatur. Si enim charitatem non haberet fides inutilis esset. Cor. 13. Si habuero omnem fidem ita vt montes transferam. charitatem autē non habuero nihil sum. Istam fidem habent dæmones, credunt & contremiscunt. Illud aūt credere non est meritorium eis: quia Deum non diligunt, sed odiunt. Psal. Superbia eorum qui te oderunt ascendit semper. Fides vera est quæ contemnit mundana, & amat cœlestia: quam non habent auari. August. Qui veram fidem habent de Deo, non cupiunt in istis miserijs diuites fieri. Istam fidem veram habuit Moyses Hebr. 11. Fide Moyses grandis effectus: negauit se esse filium filiæ Pharaonis: maiores diuitias existimans thesauro Egyptiorum improperium Christi. Ecce quia per fidem despiciebat terrena. Aspiciebat enim in remuneratorem. Ecce quia amabat cœlestia. Fides firma est, quæ non frangitur, nec mutatur propter aliquam aduersitatem. De qua dicitur Thob. 2. Vitam illam expectabamus quam Deus daturus est illis qui vitam suam nunquam mutant ab eo. Istam fidem nunquam habent instabiles, & inconstantes. de quibus dicitur Luc. 8. Ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt. Talem fidem secundùm hunc quadruplicem gradum habuit Virgo Maria.

Primò habuit fidem viuam, quæ erat operibus adornata. Habuit quidem opera necessitatis, & indigentiæ. Prouer. vlt. Quæsiuit lanam, & linum, & operata est consilio manuum suarum. Ad literam enim secundùm Hiero. acu, & colo sibi, & filio necessaria acquirebat: & suæ indigentiæ subueniebat. Habuit opera pietatis, & misericordiæ. Ibidem. Manum suam aperuit inopi, & palmas suas extendit ad pauperem. Habuit opera magnanimitatis, & constantiæ. Ibidem. Accinxit fortudine lumbos suos, & roborauit brachium suum.

Secundò habuit fidem perfectam, quæ charitati coniuncta est, vel fuit. Ipsa enim præ nimio igne charitatis tota erat liquefacta. Cant. 5. Anima mea liquefacta est. Erat gladio amoris vulnerata. Vnde ipsa dicit. Vulnerata charitate ego sum. præ nimio amore & desiderio erat languida effecta. Cant. 2. Nunciate dilecto meo, quia amore langueo.

Tertiò habuit fidem veram per quā despexit omnia ter-

rena. Ipsa enim despexit omnia delectabilia per votum virginitatis, quod emisit: diuitias per paupertatem quam elegit: mundanos honores per humilitatem cui totaliter se subiecit.

Quartò habuit fidem firmã, quod patet in passione Christi: quia cæteris Apostolis à fide cadentibus: ipsa in fide permansit. Non enim cadere potuit quam pater sanctificauit. Psal. Sanctificauit tabernaculum suum altissimus. Quam filius inhabitauit. Eccl. 24. Qui creauit me requieuit in tabernaculo meo. Quam Spiritus sanctus confirmauit. Luc. 1. Spiritus sanctus superueniet in te, &c. Quam angelus custodiuit. Iudith 13. Viuit Dominus, quia custodiuit me angelus eius. Propter istam quadruplicem fidem dicitur Eccl. 24. Sicut Sol oriens mundo in altissimis Deo. sic mulieris bonę species in ornamẽtis domus suæ lucerna splendens super candelabrum sanctum; & species faciei super ætatem stabilem. Columnę aureæ super bases eius: & pedes firmi super plãtas stabilis mulieris. Fundamenta æterna super petram solidã: & mandata Dei in corde mulieris sanctę. Ex quibus verbis habetur, ꝙ Beata Virgo assimilatur quatuor rebus, scilicet soli: columnæ aureæ: lucernæ super candelabrum positæ, & domui super petram ædificatę. Nam inquantum ipsa habuit fidem viuam, quæ bonis operibus erat ornata assimilatur Soli. Sicut enim Sol habet illuminare, calefacere, & fructus terræ producere: sic ipsa quosdam illuminabat ad Dei cognitionem. Alios inflammabat ad Dei amorem. Alios fructus producere faciebat per bonam operationem. Inquantum habuit fidem perfectam, quæ erat charitati coniuncta, assimilatur columnę aureę super bases argenteas positę. Per aurum enim intelligitur charitas: quia sicut aurum est preciosius inter metalla: sic charitas est preciosior inter omnia Dei dona. Et ista charitas fuit in ea admodum columnę: quia eius amor non flectebatur ad mundum, sed rectè dirigebatur in Deum. Et ista charitas erat super bases argenteas: quia secum habebat omnes virtutes lucidas. Inquantum habuit fidem veram, quę facit contemnere terrena, & amare cœlestia assimilatur lucernę super candelabrum positę: quando fide terrena

desp-

deseruatur, & ad cœlestia subleuantur. Inquantum habuit fidem firmam, quæ est fortis inter aduersa assimilatur domui super petram ædificatæ, iuxta illud quod dicitur Mat. 7. Omnis qui audit uerba mea, & seruat ea assimilatur uiro qui ædificat domum suam supra firmam petram, & descendit pluuia, i. aliqua tribulatio de cœlo emissa, & uenerunt flumina, idest aliqua persecutio ab hominibus terrenis illata, & flauerunt uenti, idest aliqua tentatio à diabolo inflicta, & irruerunt in domum illam, & non cecidit, fundata enim erat supra firmam petram. In passione autem Christi quidam non habuerunt fidem, nec compassionem, sicut Iudæi infideles Christo insultantes. Quidam habuerunt compassionem, sed non fidem, sicut Apostoli à fide cadentes. Quidam fidem siue cognitionem, ut angeli qui sunt impassibiles. Sola autem Virgo beata habuit compassionem intimam, & fidem ueram.

EX FILIATIONIS BONIS LAVDABILIB.

Beata Virgo laudatur, quæ cum Deo unum eundemq; habuit filium. Sermo LIII.

FILIVS Beatæ Mariæ fuit Christus qui etiam est filius Dei. Et ideo Beata Maria unum, & eundem filium habuit cum Deo. Notandum autem, q triplex est filiatio. s. naturalis, legalis, & spiritualis. Filiatio naturalis est qua quis efficitur filius per carnalem generationem. Filiatio legalis est, quæ fit per imperialem adoptionem. Filiatio spiritualis est, quæ fit per spiritualem baptismi regenerationem. Et sm hanc triplicem filiationem, Virgo beata habuit tres filios.

Primus fuit Christus quem naturali generatione habuit, qa eum de suis uisceribus protulit, Gal. 4. Misit Deus filium suũ factum ex muliere. Ro. 1. Qui factus est ei ex semine Dauid secundùm carnem, ex hoc enim habetur, q Beata Virgo ex progenie Dauid produxit originem. Si enim Christus ex semine Dauid sm carnem natus est, & in carne Christus non fuit nisi semẽ Virginis, Manifestum est ipsam ex semine Dauid descendisse. Non solum hoc ostenditur Apostolica auctoritate, sed etiã ex testificatione Ecclesiæ, Ait enim. Natiuitas gloriosę

gloriosæ Virginis Mariæ ex semine Abrahæ orta de tribu Iuda clara ex stirpe Dauid. Ostenditur hoc ex uoce ipsius Dauid Prophetę ipsam exorantis, ut Gabrieli assentiat dicentis. Audi filia, & uide, & inclina aurem tuam. Ostenditur etiam hoc ex Mosayca lege, secundùm q; omnes mulieres nubere debebant hominibus tribus suæ. Quia igitur Beata Virgo fratres non habebat, ideo alicui de tribu sua eam nubere oportebat. Et ideo cum Ioseph de tribu Dauid fuerit ipsam similiter de eadē tribu manifestū est. Quia igitur B Virgo fuit mater Christi, & Christus fuit filius eius, ideo ex tali maternitate tria sequuntur. Primum est, quia habet super ipsum maternę auctoritatis imperiū, unde dr̄ Luc. 3. q; ipse erat subditus illis. Aug. Hoc singulariter illa fęmina habuit, ut sibi habeat nascendi humanitate subditum, q; non solum humana, uerum etiam angelica natura ueneratur, & adorat altissimum Secundum est, quia habet super nos maternę compassionis affectū, unde sibi sæpe debemus dicere. Monstra te esse matrem. Ber. Quoniam uiscera illa uirtus pietatis affecit in quibus nouem mensibus pietas requieuit. Nam & ante mentem, quàm uentrem repleuit, & cū ex utero processit, ab animo non récessit. Tertium est, quia decuit sublimari ad filium .. Damascenus. Decuit matrem ad filium sublimari, ut ad ipsum ascendat, sicut ad ipsam descenderat, ut quæ in partu seruauit integritatem, post mortem non uideret corruptionem. Secundus filius fuit Ioannes Euangelista, qui fuit filius eius per imperialem adoptionem. Imperator enim cœlestis in tribunali crucis existens publico edicto, Ioannem suæ matri in filium adoptauit dicens. Mulier ecce filius tuus. Ex ista autem tali adoptione Ioannes promeruit habere tria priuilegia. Primum est, quia factus est archangeli Gabriel socius. Petrus Damianus. Ioannes archangelo Gabrieli ad custodiam matris Dei est datus socius, ut & ille integram uirginitatem custodiret inuisibiliter, & iste forinsecus fragilitatis fœmineæ obedientiæ suæ ministerium exhiberet. Secundum est, quia factus est uerbo Dei magis uicinus. Idem. Quanto Ioannes familiarior tum matre uerbi consolabatur, tanto intimior uerbo inuenitur.

Tertium

Tertium est, quia factus est quadam prerogatiua spirituali frater Christi adoptiuus. Idem. Quoniam ab ipsa veritate Ioannes Marię dictus est, filius: quadam speciali gracia frater est Saluatoris. Idem. Sicut Dominus dixit matri: hic est filius tuus. Ita dixit discipulis. Hoc est corpus meum, &c. tantus fuit in illis verbis effectus, vt illico panis ille dominicum fieret corpus. Ex quadam itaque similitudine si dicere audeamus Beatus Ioannes non solum potitus est filij nomine, sed propter illa verba: dominica quoddam maius necessitatis sacramentum apud Beatam Virginē meruit obtinere.

Tertius filius fuit Ioannes Baptista, qui fuit eius filius per spiritualem baptismi regenerationem. Ipsa enim baptizauit eum non baptismo fluminis, sed flaminis sicut dicit Chrysost. Cum enim Maria salutauit Helisabet: vox salutationis per eius aures ingrediens ad puerum descendit: virtute cuius salutationis puer Spiritum sanctum accepit. vnde dixit Helisabeth, Ecce enim, vt facta est vox salutationis tuæ in auribus meis exultauit in gaudio infans in vtero meo. Illa enim talis exultatio fuit Spiritus sancti repletio prout angelus prædixit dicens. Spiritu sancto replebitur adhuc ex vtero matris suę. Per illam autem Spiritus sancti repletionem meruit à peccato originali mundationem. Si igitur ad salutationem Mariæ puer Spiritu sancto est repletus, & ex tali repletione à peccato originali mundatus fuit, satis videtur, quòd Beatæ Mariæ fuerit spiritualis filius effectus, quia per Spiritum sanctum fuit baptizatus. Ex his patet, quòd Ioannes in vtero existens virtute salutationis Beatæ Mariæ quatuor prærogatiuas accepit. Primò exultationem. Secundò à peccato originali mundationem. Tertiò spiritus prophetiæ repletionem: quia per Spiritum sanctum cognouit Dominum. Ideo dixit angelus. Spiritu sancto replebitur adhuc ex vtero matris suæ. Quartò prophetiæ collationem: quia patri, & matri gratiam dedit, per quam matrem Dei cognouerunt.

SPIRITVS SANCTVS TANQVAM FLVVIVS in Virginem Beatam, & per eam in nos emanauit.
Sermo LIIII.

FLVVIVS cœlestis est abundans emanatio spiritus.s. Iste fluuius est duplex. Vnus qui manauit in Beatã Virginem Mariam. Alius qui emanat ab ipsa in nos. Primus igitur fluuius qui emanat in ipsam describitur Ezech. 47. cap. Vbi dicitur, quòd vir qui habebat funiculum mensus est in fluuio mille cubitos,& traduxit eum vsque ad talos. Et rursus est mensus mille & traduxit eum vsque ad renes. Et rursus mensus est mille, & traduxit eum vsque ad torrentem: qui non potuit transuadere. In talis autem est omnis inchoatio, in genibus est deambulatio, in responsionibus est generatio. Per millenarium autem perfectio designatur. Fluuius igitur, idest abundantia spiritus.s. emanauit in Mariam in suo initio, quando quasi in suo talo fuit traducta. Et rursus mensus est mille & traduxit eum vsque ad genua, quia fuit in vtero sanctificata, & ibi habuit millenarium maioris perfectionis. Emanauit in ipsa quasi in renibus quando Dei filium generauit; quia fuit lumine diuinitatis illustrata, & tunc habuit alium millenarium Mariæ perfectionis. Et emanauit in ipsam quando ad cœlestem gloriam fuit assumpta, & facta est quasi torrens, qui non potuit transuadari: quia fuit tunc claritate ineffabili illustrata, & tantæ gloriæ immensitate perfusa, quòd nullius intellectus angelicus, vel humanus hoc comprehendere posset, mirari quidem posset, intelligere autem minime valeret. Secundus fluuius est qui ab ipsa in nos emanat, de qua dicitur Apoc. 22. Ostendit mihi angelus fluuium aquę viuæ tanquam cristallum procedentẽ à sede Dei, & agni, in medio plateæ eius. In quibus verbis proponuntur quinque laudabiles conditiones quas habet iste fluuius, idest ista emanatio Spiritus sancti, quæ à Beata Maria fluit, & procedit. Primò habuit abundantiam adimplentem, ideo dicitur fluuius, quia semper fluit, & abundanter fluit, & nunquam desinit. ex qua emanatione oriuntur in cordibus fidelium germina uirtutum, & bonorum operum, quę

sunt

sunt cibus animarum. Psal. Flumen dei repletum est aquis. Secundò habet emanationem indeficientem, ideo dicitur aquæ viuæ. Isa. 56. Eris quasi hortus irriguus, & sicut fons perpetuus, & tanquam fluuius semper emanauit, & in perpetuum emanabit. Eccl. 24. Ab initio, & ante sæcula, &c. Emanauit quidem ante sæcula, quia ipsa Trinitas, quæ ipsam nascituram præuidit, & præordinauit de ipsa producenda gaudium habuit. Angeli etiam quibus mysterium Christi reuelatum erat de ipsa producenda gaudium habuerunt. Ipsa etiam emanauit à principio suæ creationis, quia mox vt nata fuit, eius merita non defuerunt. Et ideo bene dicit. Ab initio, & ante sæcula creata sum. Ipsa etiam in iudicio futuro non cessabit emanare, quia non cessabit filium suum orare, vt suam seueritatem dignetur temperare. Et ideo bene dicit, vsque ad futurum sæculum non desinam. Modo etiam in habitatione sancta consistens non cessat emanare, quia non cessat coram Deo pro nobis sua suffragia ministrare. Et ideo bene dicitur. In habitatione sancta coram ipso ministraui.

Tertiò habet claritatem refulgentem, quod notatur cum dicitur. Splendidam tanquam cristallum. Ipsa enim aqua gratiæ quam Virgo non cessat in nos fundere siue fluere dicitur splendida quasi cristallus, quia ad instar cristalli facit animam solidam per virtutem temperantiæ, frigidam refrigerando ab æstu concupiscentiæ, & lucidam per puritatem munditiæ. In aqua autem splendida facies nostras speculamur, sic in conscientia munda, & fulgida debet tria speculari quilibet, scilicet Dei gloriam, vt ipsam desideret, sui imaginem, vt ipsam reformet, cognitionem claritatis diuinæ, ad hoc vt transeat ad claritatem cognitionis Dei, quæ est per speciem. Ista triplex speculatio tangitur. 1. Cor. 3. Nos autem reuelata facie gloriam Domini speculantes, in eandem imaginē transformamur de claritate in claritatem, &c. Notandum autē, ꝙ in aqua clara, & fulgida non tantum ea videntur, quę sunt in superficie, vel in medio, sed etiam ea, quæ sunt in fundo. In corde sunt cogitationes, quæ sunt quasi in superficie cordis, sunt affectiones, quæ sunt quasi in medio cordis, sunt intentiones, q̄ sunt quasi in fundo cordis, quia intentio dēt

esse.

esse occulta. Quando igitur conscientia est munda, & clara, tunc videt cogitationes qualiter sunt sanctæ, uidet affectiones qualiter sunt mundæ, uidet intentiones qualiter sunt rectę.

Quartò habet emanationem eminentem, quod notatur cum dicitur. Procedente de sede Dei,& agni. Ipsa enim Virgo beata ab altitudine sanctę Trinitatis aquam accepit gratiæ,quam nobis infundit. Nam ab altitudine diuinæ potentiæ facit in nos effluere gratiam abundantem,qua solidamur contra aduersa. Ab altitudine diuinæ sapientiæ,facit in nos effluere gratiam refulgentem, qua illuminamur cōtra dubia. Ab altitudine diuinæ misericordiæ facit in nos effluere gratiam purificantem, qua mundamur,& abluimur contra peccata.

Quintò habet discussionem communem, & patentem, quod notatur in medio cum dicitur. Plateę eius,habet quidē duas ciuitates,scilicet,triumphantem, & militantem.In medio istarum ciuitatum est ipsa Virgo mediatrix, & media, mittens de isto fluuio Spiritus sancti ad utranque ciuitatem. Nam ciuitatem militantem potat. Triumphantem inebriat. Psalm. Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, quo ad militantem. Cant.5.Bibite amici mei, & inebriamini charissimi, quo ad triumphantem. Militantem mundat, & triumphantem lętificat. Psal. Fluminis impetus lętificat ciuitatem Dei. Ecce lętificatio. Sanctificauit tabernaculum suum altissimus. Ecce mundatio. Militantem rigat,& fœcundat, triumphantem inebriat. Eccles.vigesimoquarto. Rigabo hortum plantationum mearum, & inebriabo partus mei fructus. Hortus super corda iustorum, quæ ipsa est rigat, & fœcundat. Fructus partus sui sunt congregatio beatorū, quos ipsa inebriat, partus autem Virginis fuit Christus. Fructus istius partus sunt omnes sancti,& omnes beati,quos ipsa fecit fructificare per bona opera,& modo fructum suorum operum receperunt in cœlesti curia.

AD QVAE FONS EST IDONEVS, ad similia Beata Virgo qua fons Dei est, uim habet. Sermo LV.

FONS Dei est Maria, iuxta illud Cant.4. Fons hortorũ puteus aquarum viuentium, quæ fluunt impetu de libano. In quibus verbis notari potest, quòd ipsa habet hortum, campum & viridarium, Ita quòd hortis ipsa est fons. Campis est puteus aquarum, In viridario, siue pomerio ipsa est fluuius, qui uadit cum impetu. Videamus igitur qui significantur per hortum, qui per campum, & qui per viridarium.

Per hortum significantur boni, & beatæ Mariæ deuoti, qui sensus suos clauserunt, ideo dicitur de qualibet spõsa Dei Cant.4. Hortus conclusus es soror mea, hortus cõclusus fons significatur. Ipsa enim debet esse conclusus, quia debet claudere os à uanis uerbis; Debet etiam esse hortus conclusus, quia debet claudere manus suas ab operibus, & debet esse fons signficatus, quia debet cor suum sigillare à cogitationibus immundis. In isto horto sunt herbæ uirentes, & redolentes, idest virtutes, & sanctæ meditationes. Sunt etiam flores, idest mundæ affectiones. Ibi etiam crescunt arbores, folia virentia, & suaues fructus habentes, idest fideles, qui habent folia sanctorum verborum, & fructus bonorum operum. Sed tamen nec istę herbę redolentes, nec isti flores uirentes, nec istę arbores fructificantes, possunt crescere, nec fructus facere nisi iste fons mittat aquam eis suæ gratiæ. Adueniente autem aqua istius fontis herbæ virtutum, & desideriorum crescunt, quia benedictionem ab isto fonte recipiunt. Hebr. 6. Terra sæpe ueniente super se bibens imbrem, & generans herbam oportunam illis, à quibus colitur accipit benedictionem à domino. Flores etiam crescunt, quia mundæ affectiones redolent coram Deo Cant. 2. Flores apparuerunt, vineę florentes odorem dederunt. Arbores ẽt producunt folia verborum sanctorum, & fructus bonorum operum. Hiere.7. Erit foliũ eius viride, & in tempore siccitatis non erit sollicitum, nec aliquãdo desinet facere fructum. Et ideo bene dicitur, quòd ipsa est fons hortorum,

Per

Per campos intelliguntur mali,& peccatores,qui non habent aliquam clausuram in ore suo, sed illud laxant ad detractionem,nec in manibus suis,quia illas extendunt ad illicitas operationes,nec in corde suo, quia recipiunt ibi immundas cogitationes. De talibus dicitur Prouerb.36.Per agrum hominis pigri transiui , & per uineam viri stulti. Et postea subditur. Materia lapidum destructa est, quia non habent aliquam clausuram, nec materiam, ideo malæ bestię, idest dæmones uadunt in cor eius.Iob.20.Vadent,& uenient super eum horribiles. Et quoniam malæ bestiæ uadunt, & ueniunt,ideo herbas conculcant, flores dissipant, fructus deuorant, quia omnes virtutes,affectiones & desideria,& omnia opera bona destruunt, & consumunt, ita quòd omnia efficiuntur arida , & mortua . Beata Virgo est sæpe puteus aquarum uiuentium. Aquæ enim suæ sunt uirentes,quia reuiuiscere faciunt in corde omnes mortuas uoluntates, faciunt uiuere ómnes aridas affectiones, faciunt germinare bonas operationes, ita quòd potest dici illud Psal. Campi tui replebuntur bonitate, ideo bene dicitur puteus aquarum uiuentium. Iste sunt illę aquæ uiuentes,de quibus dicitur Eze.47.Omnis anima uiuens,quę serpit quocunque uenerit torrens uiuet, & omnia uiuent, ad quæ uenerit torrens.

Per uiridarium siue pomerium intelligitur Paradisus, ubi sunt diuersi flores , & diuersi generis arbores. Nam ibi sunt rosæ Martyrum,violę Confessorum,lilia virginum.Ibi etiam sunt diuersæ arbores, quia ibi sunt quidam, qui fuerunt palma per victoriam. Quidam qui fuerunt cedrus per eminentem vitam. Quidam qui fuerunt cypressus per odoriferam famam, vnde potest dici illud Eccle.2. Feci hortos, & pomeria, & sæpi ea cunctis generis arboribus. In isto uiridario,siue pomerio beata Virgo spatiatur, modo inter lilia virginū, modo inter rosas martyrum,modo inter violas confessorum, modo inter oliuas patriarcharum, qui dediti fuerunt operibus misericordiæ, modo inter palmas Apostolorum, qui totum mundum superauerunt, modo inter cedros prælatorum, qui fuerunt eminentes in dignitate, modo inter cypressos religiosorum, qui odore suæ puritatis serpentes, idest dæmo-

nes à se fugauerunt. In istud pomerium, siue uiridarium iste fons mittit aquas suas cum impetu, idest largiter, & abundanter. Ad hoc autem, ut fluant cum impetu tria requiruntur. s. ꝙ de alto ueniant, ꝙ in abundantia fluant, & ꝙ nullam resistentiam inueniant. Istás igitur aquas iste fons cœlestis effluere facit in uiridarium Paradisi à monte altissimo Trinitatis, & facit eas effluere in abundantiam maximè plenitudinis, & nullius peccati obstaculum inueniunt in beatis. Et ideo bene dicitur. Quæ fluunt cum impetu de libano. De istis aquis dicitur in Psalm. Fluminis impetus lętificat ciuitatem Dei.

CVM DICATVR FONS BEATA VIRGO, ex tribus ad eum proportionibus prædicatur. Sermo LVI.

FONS dicitur Virgo Maria, de quo sunt tria uidenda: Primò qualis est iste fons. Secundò quales aquas habet. Tertiò qualiter iste fons diuiditur.

Circa primum notandum est, quòd iste fons est significatus. Est fons apud Deum positus. Est fons in flumen conuersus. Est fons perpetuus. Et est fons dulcis, & amęnus. Primò igitur est fons significatus. Cant. 4. Hortus conclusus fons significatus soror mea sponsa. Hortus conclusus fons significatus, bis dicit. Hortus conclusus, & semel fons significatus. Intellectus quidem Virginis fuit hortus Dei, quia plenus erat fide, & Dei cognitione. Affectus eius fuit hortus Dei, quia plenus erat Dei amore. Vterus eius fuit hortus Dei, quia plenus est aqua cœlestis gratiæ. Deus igitur clausit eius intellectum, ut nihil in ipsum intrare possit ignorantiæ, uel erroris. Clausit eius affectum, ut nihil in ipsum intrare possit mũdani amoris. Significauit eius uterum sigillo uirginalis pudoris. Secundò fuit fons apud Deum positus. Psalm. Quoniam apud te est fons uitæ. Est igitur fons, quia refrigerat ab ęstu concupiscentiæ. Et est fons uitæ, quia uiuificat à morte lętalis culpæ. Et est luminosus, quia infundit nobis lumen cognitionis diuinæ. Et est apud Deum positus, ideo potest copiosè

piosè effluere. Tertiò est fons in flumē conuersus. Hester. 11. Paruus fons creuit in flumen maximum, & in aquas plurimas redundauit. Ipsa enim fuit fons paruus in sua humili conuersatione, sed creuit in flumen maximum in filij Dei conceptione, & redundauit in aquas plurimas in sua assumptione, ubi intantum redundat, quòd de eius plenitudine non cessat effluere, & illis qui sunt foris, idest illis qui adhuc sunt in exilio, & illis qui sunt in plateis cœlestis Hierusalem, iuxta illud Prouer. 5. Deriuentur fontes tui foris, & in plateis aquas tuas diuide. Quartò est fons perpetuus. Isa. 56. Quasi hortus irriguus, & sicut fons aquarum cuius non deficiunt aquæ. Amor mundi non est perpetuus, sed citò labitur, quia est sicut aqua cisternæ. Hierem. 2. Ne derelinquerunt fontem aquæ uiuæ, & foderunt sibi cisternas dissipatas, quæ continere non ualent aquas. Mundus est sicut cisterna dissipata, quia non habet consolationem ueram, sed fictam, nec permanentem, sed citò effluentem, nec plenam, sed uacuam 1. Ioan. 2. Mundus transit, & concupiscentia eius. Quintò est fons dulcis, & amęnus. Sed notandum quòd fons de mari oritur, sed per meatus subterraneos dulcoratur, & sic ipsa aqua dulcoranti fonti immittitur, & potabilis redditur, sicut patet quòd fons in principio habet amaritudinem, in medio dulcorationem, tandem habet dulcem, & emanabilem potationem. Sic beata Virgo de amaro populo Iudæorum fuit cùm peccati originalis amaritudine generata, sed tamen à Spiritu sancto fuit sanctificata, & totaliter dulcorata, ita quòd postmodum semper emisit aquas dulcissimas gratiarū, iuxta illud Iudith. 5. Fontes amari dulcorati sunt ad bibendum.

Secundò uidendum est quales aquas habet iste fons. Aquæ enim istius fontis sunt ualde virtuosę. Nam multiplicem habent virtutem.

Primò nanque habent virtutem refrigeratiuam, & ideo ualde sunt gratæ animæ sitienti. Sed notandum quòd aqua fontis est in ęstate frigida, in hyeme calida, quia beata Virgo in ęstate prosperitatis dat aquam frigidam, idest gratiam refrigerantem, ne mens nimis terrenorum affectibus inardescat, in hyeme verò aduersitatis dat aquam calidam, idest gra-

tiam inflammãtem, ne mens aduersitatibus præssa à Dei amore tepescat. Sic etiam in aduersitate ipsa fuit feruentior, quia iuxta crucem stabat. In prosperitate humilior fuit, quia ancillam se nominabat. Secundò habet virtutem eleuatiuam. Ioan 4. Aqua quam ego dabo ei fiet in eo fons aquæ salientis in uitam æternam. Sed notandũ, quòd aqua tantum ascẽdit, quantum descendit. Sic & aqua gratiæ tantum eleuat hominem ad cœlestia quantum ipse descendit despiciendo infima, & terrena. Sunt quidam qui retinent necessaria, & superflua, & nihil pauperibus largiuntur. Talis erat ille diues, qui induebatur purpura, & bysso. Isti tales nihil descendunt, & ideo nihil ascendunt. Alij sunt qui retinent necessaria sibi, & partem superfluorum dant pauperibus, de quibus dicitur Luc. 11. Quòd superfluum est date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt uobis. Isti parum descendunt, & ideo parum ascẽdent. Alij sunt qui dant omnia superflua, & retinent sibi tantum necessaria, de quibus dicitur Luc. 3. Qui habet duas tunicas det vnam nõ habenti. Vna tunica est necessitatis, alia superfluitatis. Tunica ergo necessitatis est retinenda, superfluitatis vero est eroganda. Isti multum descendunt, & ideo multum ascendunt. Nam ascendent usque ad Christi societatẽ, & usque ad iudiciariam potestatem. Matth. 14. Amen dico uobis, quòd uos qui secuti estis me in regeneratione, &c. usque iudicantes duodecim tribus Israel. Tertiò habet virtutẽ viuificatiuam. Nume. 14. Exaudi clamorem populi huius, & aperi eis thesaurum fontem aquæ uiuæ. Et dicit aperi, quia desup; & à Deo est huius aquæ effusio, & emanatio. Secus est de fonte materiali, & cœlesti. Nam in fonte materiali aqua scaturit, & fluit ab inferiori, & communicat se superioribus. Isto modo aqua gratiæ fluit in hunc fontem cœlestem, idest in beatam Virginem. In fonte autem cœlesti aqua fluit à superiori, & communicat se inferioribus. Nam fluxit à superiori, vnde dixit ei angelus. Spiritus sanctus superueniet in te. Communicat autem se nobis inferioribus ipsam aquam gratiæ nobis de cœlo infundendo. Quartò habet virtutem irrigatiuam, & germinatiuã. De irrigatione dicitur Gen. 2. Fons ascendebant de terra irrigans uniuersam superficiem terræ

De

De germinatione terræ dicitur Isa. 55. Quõ descendit imber & nix de cœlo, & illuc vltra non reuertitur, sed inebriat terrã, & infundit eam, & germinare eam facit, &c. Dicitur autẽ ꝙ terra primo germinat herbam, deinde spicam, deinde plenũ fructum in spica. Iste enim fons cœlestis terram animæ nostræ primo facit germinare herbam .i. Dei timorem, qui est principium nouæ uitæ, deinde spicã .i. pœnitentiam asperã, deinde plenum fructum in spica .i. charitatem, quia sicut dr̃ Ro. 13. Plenitudo legis est dilectio. Quintò habet virtutẽ mũdatiuam. Nam in isto fonte lauantur, & mundantur actiui, & contemplatiui, & etiam ipsi peccatores immundi. Zach. 13. Erat fons patens domui Dauid, & habitantibus Hierusalem in ablutionem peccatoris, & menstruatę. Per Dauid qui interpretatur manu fortis intelliguntur actiui, per Hierusalem quę interpretatur uisio pacis intelliguntur contemplatiui. Nomine peccatoris intelliguntur illi qui committunt peccata spiritualia. Nomine menstruatę intelliguntur illi qui committunt peccata carnalia. Omnes isti in isto fonte cœlesti debent lauari. Nam actiui aliquando committunt aliquam negligẽtiam. Contemplatiui vero aliquando habent aliquam inanẽ gloriam, seu ineptam lętitiam. Et peccatores tam illi qui habent peccata carnalia, quàm illi qui habent spiritualia habẽt in anima multiplicem maculam, & ideo in isto fonte cœlesti omnes laudandi sunt.

Tertiò videndum est qualiter iste fons diuiditur. Nam sicut dicitur Gen. 2. diuiditur in quatuor capita, quia de Virgine beata effusus est Christus, qui in nos quatuor beneficia maxima influxit. s. beneficium creationis, recreationis, iustificationis, & glorificationis. Et ista dicuntur flumina, quia flumen ciuitati, in quam fluit, quatuor beneficia maxima inferre consueuit. Nam necessaria apportat, superflua asportat, sordes abluit, & sitim extinguit. Beneficium igitur creationis omnia necessaria humano generi deportauit, beneficium recreationis omnia superflua exportauit, omnia. s. peccata, & opera diaboli, beneficium iustificationis omnia immunda abluit, beneficium glorificationis sitim extinguit. Psal. Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ.

ARDVVM QVID ET FORTE IN BEATA *Virgine sit, ostenditur.* Sermo LVII.

FORTIS mulier fuit Virgo Maria. Cuius fortitudinẽ ponit Salomon dicens Prouer. vlt. Mulierem fortẽ quis inueniet. Vbi dicit Beda. Ne Salomon hoc quæsisse putetur desperando, subdit prophetando, procul & de vltimis finibus pretium eius, hoc est non uile, non mediocre, non denique de terra, nec saltem de cœlo terris proximam, preciũ mulieris huius fortis, sed à summo cœlo egressio eius. Fortitudo autem eius in tribus apparet. Primò igitur cõsistit in aggrediendo ardua, q̃ quidem fuerunt quatuor maximè. Primũ arduum fuit, quia virginitatem nouit, tunc enim naturã suã vicit, & naturę angelicę se sociauit. Iõ dr̃ Prou. vlt. Accinxit fortitudine lũbos suos. Tunc. n. fortitudine lũbos suos accinxit, quando perpetuam virginitatem seruauit. Ibidem. Fortitudo & decor indumentum eius. Virginitas enim est uestis fortis & decora. Fortis quia naturam humanam deuincit. Decora quia animam facit pulchram. Ibidem. Manum suam misit ad fortia. Tunc enim manum ad fortia misit, quãdo ad seruãdum virginitatem fortiter se accinxit. Secundum arduũ fuit. quia per suam virginitatem, & humilitatem Deum de cęlo ad terram traxit, Cant. 1. Cum esset rex in accubitu suo nardus mea dedit odorem suum. Nardus est herba odorifera, & humilis, & significat eius virtutem, quæ tam magnum odorẽ Deo fecit, ꝙ cum esset in accubitu. i. in sinu patris, delectatus, & recreatus magnitudine tanti odoris, descendit in thalamũ vteri virginalis. Eccl. 26. Mulier fortis oblectat virum suum. Intantum ista mulier oblectauit Deum sua humilitate, virginitate, & mansuetudine, ꝙ ipsum inclusit in suo uentre. Ideo sibi potest conuenire illud Gen. 32. Si contra Deum fortis fuisti, quanto magis contra homines præualebis. Si. n. intm̃ fuit fortis, ꝙ Deũ trahere potuit in uterũ suũ, manifestũ est, ꝙ ipsa trahere nos poterit in cœlũ. Tertiũ arduũ fuit, quia oĩum sanctorũ merita acquisiuit. Oẽs. n. virtutes, & gratias, & oĩa merita quæ alij sancti habuerunt particulariter, ipsa habuit & acq̃siuit uniuersaliter. Prou. 4. Egestate operata est manus remissa, manus aũt fortiũ diuitias parat. Manus remissa fuit

manus Euæ,quæ se & nos meritis spoliauit.Sed manus fortis fuit manus virginis,quæ omnes spirituales diuitias congregauit.Ideo ipsa dicit Eccl.24.In plenitudine sanctorum detẽtio mea. Vbi dicit Ber. Verè in plenitudine sanctorum detentio sua, cui non defuit fides patriarcharum, nec spiritus prophetarum, nec zelus Apostolorum,nec constantia Martyrũ, nec sobrietas Confessorum, nec munditia, & puritas Virginum. Quartũ arduũ fuit, quia precium totius mundi.Ipsa sola inuenit. Vnde postq̃ Salomon dixit. Mulier est fortẽ quis inueniet, statim subiunxit. Et de vltimis finibus precium eius.i de extrema paupertate virginis,uel de ultimis finibus.i.de coniunctione Dei, & hominis, qui sunt duo vltimi fines.Sap. 8. Attingit ergo à fine usque ad finem fortiter. Istud precium à Iudæis fuit per ignem passionis examinatum. psal.Igne me examinasti. i.examinari permisisti, & tamen ibi nullam scoriam inuenerunt. Vnde sequitur. Et non est inuenta in me iniquitas. Deinde istud precium dinumerauerunt. Psalm. Dinumerauerunt omnia ossa mea,& tñ ibi nullam diminutionẽ inuenerunt. Sed uniuersaliter omnia ossa eius fuerunt igne passionis adusta. psal. Ossa mea sicut cremium aruerunt. Postremò in statera crucis ipsum precium ponderauerunt. Vnde cantatur de cruce. Statera facta corporis, sed inuenerunt, ꝙ nulla commisit peccata, & tamen grauissima fuit pœna. Vnde Iob in persona Christi conqueritur dicens.Vtinam appenderentur peccata mea. Et sequitur. Quasi arena maris hæc grauior apparet. Et quamuis istud precium fuerit sic examinatum,sic numeratum, sic ponderatum,tamen à Iudæis nihilominus fuit reprobatum. Psalm. Precium meum cogitauerant repellere.

Secundò eius fortitudo fuit in sustinendo fortiter aduersa. Istud patuit maximè tempore passionis Christi.Vnde Apostoli Christum reliquerunt, & fidem perdiderunt.Ipsa autem immobilis stetit,& fidem incõcussam seruauit.Vnde Iob in persona Christi dixit. Pelli meæ consumptis carnibus,&c. usque dentes meos. Per os significatur Christus qui intantum fuit fortis, ꝙ potius potuit frangi per mortem,quàm per timorem inclinari. Istud os habuit pellem, dentes & carnem.

Dentes

Dentes eius fuerunt Apostoli, qui doctrinam Christi ruminabant. Cant. 7. Dignum dilecto meo ad potandum, labijsq; & dentibus illius ad ruminandum. Carnes fuerunt sanctæ mulieres, quæ erant molles, & fragiles. Pellis eius fuit Virgo Maria, quæ ipsum os carne uestiuit, quæ multis tribulationibus exposita fuit. Dicit ergo Christus. Pelli meæ consumptis carnibus. Nam circa dentes, idest, Apostolos non remanserunt nisi labia, idest, amoris uerba. Quia enim ipsum mortuum adhuc diligebant, ideo loquebantur libenter de ipso, sicut patet Lucæ 24. de duobus discipulis eius euntibus in Emaus, qui de ipso ibant loquendo. Quia sicut dicit Greg. Amabãt, & dubitabant. Carnes uerò, idest, ipse sanctæ mulieres fuerunt consumptæ, idest, à fide extinctæ. Os uerò solummodo adhæsit pelli, & pellis ossi, quia Christus adhæsit matri, ipsã de cruce cognoscendo, & eam discipulo commendando. Mater uerò adhæsit filio ipsum amando, ipsum in cruce associando, eius fidem illibatam seruando, & pro eius amore mori desiderando.

Tertiò fuit eius fortitudo in perseueranter fortia agendo. De cuius perseuerantia dicitur Act. 1. Ascenderet ubi manebant Petrus, & Ioannes, &c. usque Maria matre Iesu. Ex quibus uerbis habetur, quòd ad perseuerantiam habendam quattuor sunt necessaria. Primum est sanctorum uirorum societas. Vnde dicitur, quòd erant ibi Petrus, & Andreas, & cæteri Apostoli. Prou. 27. Ferrum ferro acuitur, & homo exacuit faciem amici sui. Tunc ferrum ferro acuitur, quando unus ab alio ad bonum faciendum acutior redditur. Tunc homo faciem amici sui exacuit, quando ipsum in Dei amorem feruentem facit. Eccles. 4. Melius est duo esse simul, quàm unum, habent enim emolimentum societatis suæ. Secundum est orationum assiduitas. Ideo dicitur, quòd erant perseuerantes in oratione. Oratio enim assidua impetrat omnia, sicut habetur Luc. 11. De illo qui sua assiduitate, & improbitate tres panes obtinuit. Tres panes sunt refectio trium personarum. Nam in præsenti memoria reficitur continua Dei recordatio, intelligentia uera fide, & Dei cognitione, uoluntas Dei amore. Tertium est cordis unanimitas, vnde dicitur, quod erant

erant unanimiter perseuerantes in oratione. Tunc autem homo habet cordis unitatem, quando est unitus cum proximo, amorem fraternitatis habendo. Heb. 4. Charitas fraternitatis maneat in uobis, quando est unitus cum Deo in ipsum per desideria quiescendo. Psal. In pace in idipsum dormiam, & requiescam, quando est unitus cum seipso unum solummodo appetendo. Ps. Vnam petij à Domino hanc requiram. Quartum est matris Dei familiaritas, ideo subdit. Cum Maria matre Iesu. Qui enim se sibi familiares exhibent per specialem deuotionem, quattuor bona ab ipsa accipiunt. Primò enim communicat eis Dei beneficia. Sap. 8. c. Proposui hanc mihi adducere ad conuiuandum sciens quoniam communicabit mihi de bonis. Secundò dat eis consolationem contra aduersa, unde subditur. Et eris socia allocutionis, cogitationis, & tædij mei. Tertiò dat gaudium, & lætitiam subleuando spem animæ ad superna. Ibidem. Intrans in domum meam conquiescam cum illa. Non enim habet amaritudinẽ conuersatio illius, nec tædium conuinctus illius, sed lætitiam, & gaudium. Quarto præuenit nostra desideria. Eccle. 15. Obuiabit illi quasi mater hono.

DVO CONSIDERANTVR, PER QVAE *fructus Beatæ Virginis qui est Christus, celebratur.* Sermo LVIII.

FRVCTVS Beatę Virginis fuit Christus, de quo duo sunt videnda, scilicet, qualis est quantum ad se. secundo qualis est quantum ad suum effectum.

Quantum ad se autem iste fructus est trium substãtiarum, scilicet, carnis, animæ, & deitatis. De quo dicitur in Psal. A fructu frumenti, uini, & olei. Per frumentum significat caro Christi, quæ mortua fuit in passione, sed germinauit, & pullulauit in resurrectione, multum autem fructum in ascensione, & spiritus sancti missione. Ioan. 12. cap. Nisi granum frumenti cadẽs, &c. Per oleum intelligitur eius anima, quę fuit oleo Spiritus sancti plena. Ps. Vnxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ. Per uinum, ꝙ lætificat cor hominis intelligitur eius

diui-

diuinitas, in cuius visione consistit gaudium, & lætitia omnium beatorum. Iob. 33. Videbis faciem eius in iubilo.

Secundò qualis sit iste fructus in suo effectu. Nam satiat, & reficit nos in præsenti, & in futuro, de satietate in præsenti dicitur Ecclesiast. 24. Ego quasi vitis fructificaui. In præsenti quidem est triplex fames, delitiarum, diuitiarum, & honorum. Iste igitur fructus sedat famen delitiarum, præ sua odorifera suauitate. Ideo dicit. Fructificaui suauitatem odoris. Eius enim suauitas, & dulcedo, omnem suauitatem, & dulcedinem carnalem reddit insipidam, & amaram. Greg. Gustato spiritu desipit omnis caro. Sedat famen mundanorum honorum, præ sui honoris sublimitate, & ideo dicit Flores mei fructus honoris. Tanta enim est honoris cœlestis sublimitas, quòd omnem mundanum honorem contemptibilem facit, & vilem. Gregorius. Terrena altitudo confunditur, quando celsitudo cœlestis aperitur. Sedat famem diuitiarum præ sui affluentia, & honestate, ideo subditur. Et honestatis. Diuitiæ enim interdum sunt inhonestę, quia sæpe inhonesto modo sunt acquisitæ. Diuitiæ autem cœlestes sunt honestæ, quia honestatem diligunt, & honestum faciunt Sap. 6. Innumerabilis honestas per manus illius. Primò iste fructus reficit, & satiat in futuro de quo dicitur in Psalm. Cum dederit dilectis suis somnum, &c. Secundo dat eis fruitionem suæ diuinitatis, ideo dicitur filij merces. Nam secundùm Augustinum visio est tota merces. Tertiò dat eis visionem suæ humanitatis quàm accepit in Virginis ventre, ideo dicitur Fructus ventris. Quartò dat eis desideriorum adimpletionem. Ideo subiungitur. Beatus vir qui adimpleuit desiderium suum. Iste autem fructus non dabitur omnibus, sed tantum illis qui potenter hostem feriunt. Ideo subditur. Sicut sagittæ in manu potentis. Qui omnia terrena à se excutiunt, ita filij excussorum. Qui hostem intra portam suorum sensuum non admittunt, sed extra cum eo colloquium faciunt. Ideo subditur. Non confundetur cum loquetur inimicis suis in porta.

PERSE-

PERSEQVITVR EIVSDEM FRVCTVS MI*ras proprietates.* *Sermo* LIX.

FRVCTVS benedictus uentris B. Mariç est ille de quo dicitur in Luc. 1. Benedictus fructus uentris tui. Est autẽ benedictus sicut dicit Ber. in odore, in sapore, & in specie siue decore. Est etiam benedictus ex plenitudine gratiæ, Eius autem tantus odor fuit, quòd patrem reconciliauit. Genes. 27. Ecce odor filij mei sicut odor agri pleni. Bene dr̃ ager Virgo Maria de cuius utero uitæ fructus effulsit credentibus, & nos omnes de plenitudine eius accepimus. Secundo tantus fuit, q; dęmones cõturbauit. Ideo assimilatur odori uitis, qui homines delectat, & buffones conturbat. Eccles. 24. Ego quasi uitis fructificaui suauitatem odoris. Assimilatur etiam odori myrrhæ. Ibidem. Quasi myrrha electa dedi suauitatem odoris. Sicut enim myrrha expellit uermes, sic odor istius fructus conturbauit, & expulit dęmones. Tertiò eius odor fuit tantus, quòd totum mundum repleuit suauitate, ita ut quilibet clamet, & dicat Cant. 1. Trahe me post te in odorem unguentorum tuorum currimus. Iob. 9. Dies mei transierunt quasi naues poma portantes. Sicut enim in nauibus post poma remanet odor, sic completa uita mortali Christi, qui per mare huius mundi nauigauit, odor sanctissimę suę conuersationis nobiscum remansit.

Secundò iste fructus fuit benedictus in sapore. Qui quidem sapor animam nostram delectat. Cantic. 2. Fructus eius dulcis gutturi meo. Vnde Petrus in Christi transfiguratione, tanta istius fructus dulcedine fuit plenus, quòd semper ibi uoluit manere. Psal. Gustate, & uidete quoniam suauis est Dominus. Item. Quam magna multitudo dulcedinis tuę Domine. Secundò appetitum prouocat. Ber. Fructus iste semel gustatus, dulcedine sua magis excitat appetitum, nosque ad se inuitat dicens. Qui edunt me adhuc esurient, & qui bibunt me adhuc sitient. Tertiò omnia amara dulcorat. Deuteronom. 33. Inundationes maris quasi lac sugit, illę inundationes maris quasi lac sugit, qui mundanas amaritudines

dies delectabiliter recipit. Iudith 5. Fontes amari dulcorati sunt eis ad bibendum. Vnde Paulus in suo raptu dulcedinem istius fructus gustauit, quia omnia aduersa postmodum gaudenter sustinuit. Quartò omnia alia dulcia in amaritudinem in insipiditatem commutat. Prouer. 27. Anima saturata, idest, Dei amore repleta, calcabit fauum, idest, despiciet omnem dulcedinem mundanam, humanam, & terrenam.

Tertiò iste fructus est benedictus in specie siue decore. Ps. Speciosus forma præ filijs hominum. Item. Ex Syon species decoris eius. Eius enim species est tam pulchra, & tam decora quòd requirit à nobis magnam purificationem. Matt. 5. Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Est tam gratiosa, quòd ibi habemus nostram delectationem. 1. Pet. 1. In quem desiderant Angeli prospicere. Hester 5. Facies tua est plena gratiarum. Est tam gloriosa, quòd ibi habemus nostram delectationem, & beatitudinem. Ps. Cum dederit dilectis suis somnum, idest, mortem, ecce hæreditas, &c. Ioan. 17. Hæc est vita æterna, vt cognoscant te, &c.

Quartò iste fructus est benedictus propter triplicem benedictionem gratiæ, quæ in ipso fuit. Prima est gratiæ vnionis de qua dicitur Ioan. 1. Verbum caro factum est. Secunda est gratiæ capitis, quæ est influentiæ per quam in corpus ecclesiæ influit sensum fidei rectę, & motum operationis bonæ, de qua dicitur Ioan. 1. De plenitudine eius nos omnes accepimus, gratiam pro gratia. De ista plenitudine capitis dicitur in Psal. Impinguasti in oleo caput meum. Tertia est gratiæ plenitudinis singularis. Cæteri enim sancti habuerũt gratiam ad mensuram, Christus autem sine mensura. Io. 3. Non enim ad mensuram dat Deus spiritum, Christo. s. Ista triplex benedictio gratiæ significata est Deuter. 33. Benedictus sit in filijs aser placens in fratribus suis, tingat in oleo pedem suum, ferrum, & æs calciamentum eius. Per aser qui interpretatur beatus intelligitur Christus, qui veram, & sempiternam beatitudinem habet. Iste habet benedictionem gratiæ capitis, per quam influit in membra fidelium, & ideo est eis placens, & gratus, ideo dicitur. Placens sit fratribus suis. Habet gratiam plenitudinis singularis, ideo dicitur. Tingat in oleo pedem

suum.

um. Cæteri enim sancti uix in oleo tingunt digitum suum hristus autem à capite usque ad pedes totus in oleo tinctus it. Habet etiã gratiam unionis, pp quod dicitur. Ferrum, & s calciamentum eius. Per ferrum, quòd omnia domat intelli tur potentia Dei. Per æs, quod est impuribile intelligi- r æternitas Dei, qui habet insuperabilem potestatem, & in- rminabilem æternitatem.

V T GALBANVS HABET ARBOREM, liquorem, & uirtutem, ita ijs refertur Beata Virgo. Sermo LX.

G A L B A N V S significat Virginem Mariam iuxta illud Eccl. 24. Quasi myrrha electa dedi suauitatem odoris, & quasi storax, & galbanus &c. Assimilatur autem Gal- ano ratione arboris, liquoris, & uirtutis. Arbor autem siue anta ex qua procedit galbanus dicitur ferula à feriendo, ia pueri, & puellæ solet de huiusmodi ramis uapulare. Bene go Maria dicitur ferula, quia diabolum feriuit. Ipsa enim abolum confudit, contriuit, & deiecit. Diabolus habebat agnam potentiam, magnam astutiam, & magnam malitiã, sa enim contriuit eius potentiam Gene. 3. Ipsa conteret ca- ut tuum. Confudit eius astutiam Iudith 14. Vna mulier He- ea fecit confusionem in domo Nabuchodonosor. Et deie- t eiusdem malitiam. Eiusdem 9. Erit enim memoriale nomi s tui, cum manus fœminæ deiecerit eum.

Secundò assimilatur galbano rõne liquoris, qui dr̃ galbanus gala, quod est lac. Est enim pigmentum, ut dicit Papias ex o suco, & diuersis speciebus confectum. Est etiam gutta ma ai odoris. Exo. 30. Sume tibi galbanum magni odoris, & oni. Signat igitur uitam Beatæ Mariæ, quę ad instar lactis it alba, pura, & munda. Can. 5. Oculi eius sicut columbæ su r riuulos aquarum, propter gratiã plenitudinem. Et fuit lo lacte, propter nimiam puritatem. Secundò instar pigmenti it diuersis aromatum uirtutibus plena Can. 3. Quæ est ista uæ ascendit per desertum sicut virgula fumi ex aromatibus ertiò fuit tota odorifera. Can. 4. Odor unguentorum tuorũ

super

no tria assumit, scilicet, compassionem, sollicitudinem, magnanimitatem, & in fouendo oua curam assiduam. Assumit enim compassionem, quæ super pullos paruulos, & infirmos intantum compatitur, quòd videtur simul infirmari. Et istam compassionem ostendit in plumis, siue in alis, quia tota efficitur hispida, & in voce, quia tota efficitur rauca. Assumit etiam sollicitudinem, & in hoc in duobus, scilicet in pascendo, quia vndique grana quærit, & cum inuenerit, pullos vociferando illuc venire facit. Secundò in custodiendo, quia eos sub alis custodit, & eos ab insidijs milui protegit, vnde Dominus Matth. 23. Quotiens uolui congregare filios tuos quemadmodum, &c. Assumit etiam magnanimitatem, quia cùm naturaliter gallinæ, & aliæ aues homines insequentes fugiant, ipsa tamen homines insequentes pullos non solum non fugit, sed etiam ipsum insurgit, & ipsa rostro, & alijs clamoribus inuadit. Assumit etiam diligentiam magnam, scilicet, in fouendo oua, quia seipsam negligit, & super oua se incumbit semper. Propter ista igitur Virgo Maria tali gallinæ meritò comparatur. Primò per compassionem, quam ipsa ostendit. Fecit enim se hispidam, idest, uilem, & abiectam propter nimiam sui corporis afflictionem, ideo poterat dicere illud Can. 1. Nolite me considerare, eo quòd fusca sim, decolorauit autem me Sol. Ac si dicat, postquam Sol, idest, Christus se decolorauit sustinendo vilissimam passionem, & ego me decoloraui propter nimiam cordis abiectionem. Intantum etiam compassa est filio patienti, quòd quodammodo facta est rauca. Raucedo autem, uel ex nimio clamore, uel ex nimio labore causat. Ista igitur filio existente in cruce tantum clamauit eiulando tantum membra sua fatigauerat pectus contundendo, brachia constringendo, manus allidendo, caput ad crucem feriendo, quòd tota fuerat languida, & tota rauca. Tantum etiam fleuerat, quod oculi eius quodammodo defecerant. Ideo meritò poterat dicere cum Propheta. Laboraui clamãs raucæ factæ sunt fauces meæ.

Secundò assimilatur huiusmodi gallinæ propter nimiam sollicitudinem quam de nobis habet in pascendo, & cu-

gaudium causabatur ex quattuor. Primò ex eo quòd filius suus immortalitatem induit. Ro.6. Christus resurgens ex mortui iam non moritur, &c. Et Leo Papa Post passionem ruptis uinculis mortis, infirmitas in uirtutem, mortalitas in æternitatem, contumelia transit in gloriam. Secundò ex eo ꝙ sanctos patres de limbo eduxit. Zacha.9. Tu quoque in sanguine testamenti tui eduxisti uinctos tuos de lacu, in quo non erat aqua. Tertiò ex eo quòd resurrectionis nostræ spem dabat 2. Cor.4 Qui suscitauit Iesum, & nos cum Iesu suscitabit. Habemus spem resurrectionis nostræ considerata gloria capitis nostri. Quartò ex eo ꝙ angelorum numerum restaurauit. Ps. Iudicabit in nationibus dæmonum. s. implebit ruinas. s. angelorum. Ideo secundum Greg. Angelus qui annunciauit Christi resurrectionem in ueste alba apparuit, ut de sua apparitione gaudium demonstraret.

Quartum gaudium habuit in Christi ascensione. Et illud gaudium causabatur ex quatuor. Primò, quia filius suus ad patris dexteram sedere debebat. Marci vlt. Dominus quidem Iesus postquam locutus est eis assumptus est in cœlum, & sedet à dextris Dei. Secundò ex eo, quòd animas sanctorum omnium ducebat in cœlum. Psal. Ascendens Christus in altum captiuam duxit captiuitatem. Mich.2. Ascendit iter pandens ante eos. Tertiò ex eo, ꝙ cœlestem ianuam aperiebat. Heb. 4. Habentes pontificem, qui penetrauit cœlos Iesum. Modò æternitatis nobis aditum deuicta morte reseruauit, vnde cantat ecclesia. Tu deuicto mortis aculeo aperuisti credentibus regna cœlorum. Quartò ex eo ꝙ filius suus aduocatus humani generis constitutus erat 1. Ioan.3. Aduocatum habemus apud patrem Dominum Iesum Christum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris, Heb.7. Semper uiuens ad interpellandum pro nobis.

Quintum gaudium habuit in sua assumptione. Et illud causabatur ex quatuor. Primò ex eo ꝙ ascendebat in cœlum cū anima & corpore glorificato. Aug. in sermo. de assump. Lętatur Maria lętitia inenarrabili corpore, & anima in proprio filio, per proprium filium quem in vtero suo gessit, quē genuit, quē fouit, quē aluit, Dei genitrix, Dei ministratrix, Deiq; ser-

nitrix, de qua quoniam aliter sentire non audeo aliter dicere non præsumo. Secundò ex eo, quòd à tota cœlesti curia fuit associata, Hieronymus in sermone de assumptione. Ad eius exequias angeli famulabantur, & vniuersè cœlorum curiæ congratulabantur, nec mirum, quia maternus illius honor est qui ex ea natus est. Idem ibidem. Creditur, quòd ipse saluator totus festiuus occurrerit, & eam cum gaudio secum in throno collocauerit, alioquin quo modo impleslet, quod præcepit. Honora patrem tuum, & matrem tuam. Tertiò ex eo, quòd ad dexteram filij sui erat collocanda. Idem ibidem. Credendum est cœlorum militiam cum virginibus festiue sibi obuiam aduenisse eamq; in ingenti lumine circumfulsisse, & vsque ad thronum ante mundi constitutionem sibi paratum cum canticis, & laudibus spiritualibus eam perduxisse, hoc significatum est 3. Reg. 2. vbi dicitur. Positus est thronus matris Regis, quæ sedet ad deteram eius. Quartò ex eo, quòd debebat esse humani generis aduocata. Ber. Ipsa est apud Deum aduocata nostra, quæ non potest sustinere repulsam, quoniam apud eum inuenit gratiam. Prudens quippe Virgo non sapientiam, vt Salomon, non diuitias non honore quærebat, sed gratiam requirebat. Quæramus igitur gratiam, sed per inuentricem gratiarum. Cæterum quicquid est, quod Deo offerre paras Mariæ commendare memento, vt eodem alueo ad gratiæ largitorem gratia redeat quo influxit. Non solum autem Virgo Beata propter caussas supradictas est gauisa, sed etiam gaudium magnum, in cœlo fecit quando ipsa concepit, & assumpta fuit. August. in sermone de annunc. Egerunt in cœlo festa Dei cum Gabriel redijt, & Virgo concepit. Agantur in terris gaudia noua, quia Virgo concepit, & peperit. Hieronymus. Sicut in comparatione Dei nemo bonus est, sic in comparatione matris Dei nulla perfecta inuenitur, etiam si virtutibus eximia probetur. Denique si gaudium fit in cœlo de vno peccatore pœnitentiam agente multo magis extimandum est pro tantæ Virginis exaltatione.

insuper, & in peccatis inueterascunt, nonnulli etiam claudicare volunt, volentes seruire sibi, & diabolo. Ideo bene dicitur. Filij alieni mentiti sunt mihi.

DVM VIVERET QVINQVE GAVDIIS B Virgo fruebatur. Ser. LXII.

GAVDIVM quintuplex habuit V. Maria in præsenti uita. Primum fuit in filij Dei conceptione. Et istud gaudium ex quatuor causabatur. Primò ex eo, quòd efficiebatur mater Dei. August. in ser de assumpt. Va de inquit Deus Gabrieli, cõsilium defer Virgini Mariæ. huic ergo vnicum meum quo charior fuit alter nemo, & vt plenius dicam alterum me donare volo, ut illa sit mater cujus ego sum pater. Virgo Maria te matrem præstitit gratia non natura genitricem te voluit dici pietas, quam non sinebat integritas. Secundò, ꝙ concipiebat ex operatione Spiritus sancti non ex semine materiali. August. ubi supra. Exiet de sancta sanctum per illatum uterum, eritq; sine marito mater, cuius ego sine coniuge sum pater. Beda super Luc. Spiritus sanctus in virginem superueniet, & qui & mentem eius ab omni sorde uitiorum emundauit, & in eius vtero redemptoris corpus spiritus sancti operatione, & sine virili semine, de ipsius virginis carne creauit. Hiero. in ser. de assumpt. Cũ ad Mariã accessit Spiritus sanctus sicut lana cum inficit sanguine conchilij, vel muricis vertit in purpuram, sic ipsa sine coitu versa est in matrem, ut iam non sit, quod fuerat, sed puipura verissima ad induendũ indumentum summi regis diuinitus aptissime dedicata. Tertiò ex eo ꝙ fuit visitata, & salutata à tam nobili paranympho, & cœlesti nuncio, scilicet, Angelo Gabriele. August. ubi supra. Secreta coniugia celebratur sunt in Mariæ thalamo, quibus Gabriel paranymphus interfuit. Vade inquit Gabriel, & æthereas sedes rumpe, & antiquum consilium virgini defer Mariæ, hæc incolit parua mœnia Nazareth, sed sibi patent cœli palatia. Quartò ex eo, quòd per eam debebat fieri salus generis humani, Augustin. in quodam sermone. Maria impleta est gratia, Eua euacuata

APVD DEVM INVENIT GRATIAM
Beata Virgo, sed qualem, qualiter, & propter quid, hic disce. Sermo LXIII.

GRATIAM Dei inuenitur Virgo Maria iuxta illud, Inuenisti gratiam apud Deum. Videndum est igitur qualem gratiam inuenit, qualiter, & propter quid. Inuenitur quidem secundùm Ber. gratias corporales, mentales, & cœlestes. Gratiæ autem corporales fuerunt quatuor, quæ fulserunt in eius carne. Quia fuit virginitatis primiceria, sine corruptione fecunda, sine grauedine grauida, & sine dolore puerpera. Gratiæ autem cœlestes fuerunt quatuor, quæ fluxerunt sibi de cœlo, scilicet in eius vtero sanctificatio, angelica salutatio, Spiritus sancti superuentio, & filij Dei conceptio. Gratiæ mentales siue spirituales fuerunt quatuor, quæ fluxerunt in eius mentem, scilicet deuotio humilitatis, reuerentia pudoris, magnitudo credulitatis, & matrimonium cordis. Circa secundum, scilicet, qualiter gratiam inuenit. Notandum, quòd Eua per tria amisit gratiam Dei, scilicet per superbiam, inobedientiam, & curiositatem vanam. Econtra Maria gratiam Dei inuenit merito humilitatis quam habuit quãdo, scilicet se ancillam vocauit, super quem locum dicit Ber. Semper solet esse gratiæ diuinæ familiaris humilitas, quæ cedere non nouit honoribus insolescere gloria nescit, mater Dei eligitur, & ancillã se nominat. Non est magnum in abiectione esse humilem, magna, & rara est virtus honorata virginitas. Secundò inuenit gratiam merito obedientiæ, quam Deo exhibuit quando dixit. Ecce ancilla Domini. Aug. Eua occidendo obfuit, Maria viuificãdo profuit, pro inobedientia obedientià commutatur, fides pro perfidia compensatur. Tertiò inuenit gratiam merito solitudinis. Non enim fuit curiosa, sed Deo, & sibi vacauit, vnde Angelus nõ inuenit eam in foro tanquam mundanis curis intendentem, sed in thalamo tanquam soli Deo, & sibi vacantem. Amb. in lib. de Virginibus. Non debet esse virgo vulgaris, idest de vulgo, nõ in platea, nec in voce querula, & gestu

K 4 lubrica,

lubrica, facilis auditu, vel affatu. Quicunque igitur habet hæc tria, scilicet humilitatem, obedientiæ promptitudinem, & mentis vacationem, Dei gratias poterit inuenire. Isa. 66. Super quem requiescet spiritus meus, nisi super humilem. Ecce humilitas. Et quietum. Ecce mentis tranquillitas. Et trementem sermones meos, & ex hoc adimplentem. Ecce obedientiæ velocitas. Circa tertium, scilicet propter quid inuenit gratiam, sciendum, quod non tantum propter se inuenit, sed propter nos, vt de eius plenitudine nos omnes accipiamus. Ber. copiosissima charitate B. Virgo sapientibus, & insipientibus debitricē se fecit, omnibus sinum misericordiæ aperuit, vt de eius plenitudine accipiant vniuersi, captiuus redemptionem, ęger curationem, tristis consolationem, peccator veniā, iustus gratiam, angelus lætitiam, denique tota trinitas gloriam, filij per carnis substantiam, ita vt non sit qui se abscondat à calore eius.

SEPTEM MODIS HABVISSE GRATIAM *dicitur Beata Virgo.* Sermo LXIIII.

GRATIAM Dei habuit Maria. Ipsa quidem habuit gratiæ inuentionem, vnde dixit sibi angelus. Inuenisti gratiam quam quærebas. Inuenisti quod ante te nemo inuenire potuit gratiam, videlicet apud Deum, quam gratiā? Dei & hominum pacem, mortis destructionem, vitæ reparationem. Possunt igitur sibi dicere peccatores secure. Redde nobis gratiam quam pro nobis inuenisti, quia nisi peccatores fuissemus, non fuisses mater Dei, & ideo talem gratiam non inuenisses. Secundò habuit gratiæ inuentæ repletionē. Ideo Angelus vocat eam gratia plenam. Est autē triplex plenitudo. Quędam est ad instar fluminis, & ista fuit in Christo. Psal. Flumen Dei repletum est aquis. Quędam est ad instar riui decurrentis, & ista fuit in Stephano, & in Apostolis cæteris, & alijs Sanctis. Psal. Riuos eius inebrians, &c. Quędam est media inter has duas, quę est ad instar fontis, & ista fuit in Maria, quia semper plena fuit, & nunquam in aliquo diminuta, & eius plenitudo fuit mediá inter plenitudinem diuinam, & humanam,

nam, ita quòd eius plenitudo fuit minor, quàm diuina, sed maior quàm omnis alia plenitudo humana. Ber. Legimus Stephanum plenũ gratia, & Apostolos plenos Spiritu sancto, sed longè dissimiliter à Maria, quia nec in illo habitauit corporaliter diuinitatis plenitudo, nec illi conceperunt de Spiritu sancto. Hieron. super illud Aue gratia plena. Talibus decebat Virginem oppignorari virtutibus, vt esset gratia plena, quæ cœlis dedit gloriam, terris Deum: pacemq; refudit, gentibus fidem, vitijs finem, vitæ ordinem, moribus disciplinam. Tertiò habuit gratiæ accumulationem, quia ea, quæ alij Sancti particulariter habuerunt, ista habuit vniuersaliter. Hierony. in sermone de assump. Bene Maria gratia plena, quæ cæteris quidem per partẽ præstatur, Marię vero se infudit tota gratię plenitudo. Descendit quippe sicut pluuia in vellus, & sicut stillicidia stillantia super terram. Planè cœlestis imber lapsu placido virgineũ vellus infudit, & tota diuinitas in eius carne cõtulit, ac demum per crucis patibulum expressum oĩbus terris pluuiã salutis effudit, & humanis mentibus stillicidia gratiæ præstitit. Verè gr̃a plena per quã largo Spiritus sancti imbre superessusa est oĩs creatura. Qđ ipsa vniuersaliter habuit oẽs gr̃as quas cæteri Sancti habuerunt particulariter, patet. Abraham quidem habuit fidem, sed ista est fidelior. Moyses mansuetudinẽ, sed ista mansuetior. Dauid humilitatẽ, sed ista humilior. Ioannes virginitatem, sed ista purior. Martha hospitalitatẽ, sed ista liberalior, quia nouem mensibus Christũ hospitata fuit. Magdalena cõtemplationem, sed ista contẽplatione sublimior. Nicolaus misericordiam, sed ista clementior, quia mater misericordiæ vocatur. Quartò habuit gr̃æ accumulatę impermixtionẽ. Alij quidem Sancti habent gratiã, sed cum permixtione venialiũ peccatorũ. In hac aũt nulla fuit peccati permixtio, nec originalis, nec actualis, nec venialis. Cant. 4. Tota pulchra es amica mea, & & macula non est in te. Ipsa enim fuit pulchra, & tota pulchra, & sine macula, & sine peccato veniali, quia nõ habuit aliquam peccati admixtionem. Ideo dicitur Sapien. 7. Nihil inquinatum in illam introiuit. Candor est enim lucis æternæ, & speculum sine macula. Ecclesiast. 24. Quasi balsamum non mixtum odor meus.

Quintò

erant in limbo, quia fuerunt erecti. Senserunt peccatores, q̃a fuerunt iustificati. Senserunt iusti, quia fuerunt beatificati. Bern. Beata Virgo pręciosum illud balsamum tantá tibi copia tantaq́ue infudit plenitudine, ut copiosissimè effluat circunquaque. Deinde subdit. Quanto ergo deuotionis affectu à nobis Mariá honorari uoluit, qui totius boni plenitudinem in ea posuit, ut quid in nobis est spei, siquid gratiæ, uel salutis ab ea nouimus redundare, quę ascendit affluens delitijs. Totis ergo medulis cordis ueneremur Mariam, quia sic est uolũtas eius qui, totum nos per illam habere uoluit.

DECLARATVR QVALIS HABITATIO fuerit Dei Beata Virgo. Sermo LXVI.

HABITATIO Dei fuit Virgo Maria, in qua ipse nouem mensibus habitauit. Isa. 62. Habitauit iuuenis cũ virgine. De ista habitatione dicitur Eccl. 24. In habitatione sancta coram ipso ministraui. Ista autem habitatio sancta, uel potest intelligi de seipsa, uel de habitatione cœlesti, ipsa enim inquantum fuit habitatio Dei, fuit sãncta secundũ quadruplicem significationem huius nominis sanctum. Nã sanctum idem est, quòd mundum, quòd firmum, q̃ sanguine tinctum, & quòd sacro usui deputatum. Ipsa igitur fuit sancta, idest pura, & munda. Anselmus, decebat quippe, vt Virgo beata ea puritate niteret, qua sub Deo maior nequit intelligi. Secundò fuit sancta, idest firma, quia super altitudinem diuinitatis fuit fundata. Psal. Fundamenta eius in montibus sanctis. Tertiò fuit sancta, idest sanguine tincta, quia memoria sanguinis, & passionis Iesu Christi filij sui semper fuit iugiter in eius mente affixa, ut posset dicere illud Exod. quarto. Sponsus sanguinum tu mihi es. Quartò fuit sancta, idest sancto usui deputata. Eius enim uterus fuit deputatus ad suscipiendum, & recipiendum Dei filium, vnde ipsa dicit Eccl vigesimoquarto. Qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo. In ipsa igitur habitatione sic sancta, idest in seipsa, quæ fuit habitatio Dei, ipsa coram Deo ministrauit. Nam ministrauit sibi in utero existenti, Egresso ex utero, & ui-

uenti

uenti in mundo. In utero quidem sibi ministrauit, substantiã suæ carnis. Cāt 3. Egredimini filiæ Syon, id est fideles animę, & videte regem Salomonem, id est Christum pacificum, id est, diademate, id est in carne humana, quæ coronauit eum mater sua. Et dicitur caro Christi diadema, quia cæteræ figuræ diuersis lineis perficiūtur. Sola autem figura sphęrica una tantum linea clauditur. Nam corpora cætera aliorum hominū sancta sunt saltem duabus lineis, id est commixtione utriusque parentis Corpus autem Christi compositum fuit tantum vna linea, id est carne virginea. Secundò ministrauit sibi egresso ex vtero, nutrimentum virginei lactis, vnde cātat ecclesia. Ipsum regem angelorum sola Virgo lactabat ubere de cœlo pleno, ubi tria notantur. Primò quòd lactabat, & pascebat illum, qui pascit omnia, vnde dicit. Ipsum regem angelorum. Secundò qui non dedit eum ad nutriendum, sed ipsa solā nutriuit. Ideo dicit, Sola virgo lactabat. Tertiò quòd illud lac non fuit à natura productum, sed de cœlo ministratum, quia virgines naturaliter nō habent lac. Ideo dicitur. Vbere de cęlo pleno. Tertiò ministrauit sibi uiuenti in mundo necessaria uitæ corporalis, quia cum Christus pauper esset, mater eius acu & colo, sicut dicit B. Hieronymus acquirebat sibi, unde sibi & filio necessaria procurabat. Vnde dicitur in laudē mulieris fortis Prou. vlt. Quæsiuit lanam, & linum, & operata est consilio manuum suarum, Et infra. Manum suam misit ad fortia, & digiti sui apprehenderunt fusum.

Secundò ista habitatio sancta potest de habitatione cœlesti intelligi, id est qua Virgo Maria Deo similiter administrat. Dicitur autem illa habitatio sancta iuxta quadruplicem supradictam huius acceptionem nominis sanctum. Et hoc ad differentiam habitationis terrenæ, quæ non est sancta. Primò igitur habitatio cœlestis est sancta, id est munda, & quantum ad se. Apoc. 21. Ipsa ciuitas aurum mundum simile vitro mūdo. Et quantum ad habitatorem, Ibidem. Non intrabit per illam aliquid coinquinatum, & faciens abhominationem. Habitatio uero terrena est immunda, & quantum ad se. Hiere. 3. Polluisti terrā cum fornicationibus tuis, & in malitijs tuis. Et quantum ad habitatorem Hiere. 2. Non sum polluta ui-

de

BEATA VIRGO QVOMODO HABVIT GRAtiam puram, plenam, & superplenam. Sermo LXV.

GRATIAM habuit Virgo Mariam.s.puram,plenam, & superplenam. Habuit gratiam puram sine alicuius contradictione,aut cōtrarij admiratione. Sancti enim viri in vita præsenti, & si habeant gratiam habent tñ eam cū admixtione,vel timoris, vel laboris, vel doloris. Timent autem ne sint in gratia. Eccles.9. Nescit homo vtrum odio, vel amore sit dignus. Aut ne cadat à gratia. 1.Cor.4. Qui se existimat stare videat ne cadat. Istam autem gratiam admirationis Virgo non habuit, quia erat certa se habere gratiam, quia angelus qui non poterat mentiri hic sibi dixerat Luc.1. Aue gratia plena. Sciebat etiam à gratia se cadere non posse. Eccles.24. Vsque ad futurum sæculum non desinam. Secundò serui Dei habent admirationem laboris, quia oportet eos multum laborare ad sensualitatem ordinandam,& rationi subijciendam iuxta illud.1.Cor.9. Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo. Istam autem talem admixtionem laboris non habuit Virgo Beata, quia nullos motus vnquam rationi contrarios persensit. Ber. Beata Virgo ictus impugnationis nunquam pertulit,impetum carnis nō tolerauit,caput serpentis contriuit. Tertiò sancti viri habent permixtionem doloris, ex eo, ꝙ multos defectus se habere vident. Et si aliquis de se defectum habere non crederet,ipse tunc omnes haberet. Ber. Oīa ille desunt qui sibi nihil deesse putat. Istā aūt admixtionem doloris talem Virgo non habuit, quia nullus defectus gratiæ in eā vnquam fuit, sed omnes gratias, & virtutes semper habuit. Eccles.24. In me omnis gratia vitæ, & veritatis, &c. Secundò habuit gratiā sine aliquo defectu, vel diminutione,quia oībus gratijs vniuersaliter plena fuit. Magnū quippe est habere potentiā receptiuam gratię quā habēt peccatores dum sunt in mundo, sed ea carent dānati qui sunt in inferno. Et istud est illud magnum chaos, qđ est in inferno, impotentia.s.ad gratiam recipiendam.Luc.16. Inter nos, & vos

de uias tuas scito quid feceris. Secundò habitatio cœlestis est sancta, id est firma, & quantùm ad se, quia Deus ipsam fixit. Hebr. 9. Tabernaculi velum quod fixit Deus, & non homo. Et quantum ad habitatorem, quia inde amplius non exhibit. Apoc. 3. Qui vicerit faciam illum columnā in templo Dei mei, & foras non egredietur amplius. Habitatio autem terrena non est firma, nec quantum ad se. 1. Ioan. 2. Mundus transit, & concupiscentia eius, nec quantum ad habitatorem eius. Iob. 13. Homo natus de muliere breui viuens tempore. Tertiò habitatio cœlestis est sancta, id est sacro vsui deputata, & hoc quantum ad se, quia est ad productum rosas martyrum, & libanum odoriferum Cōfessorum, & lilia Virginum. Eccles. 39. Quasi rosa plantata super riuum aquarum fructificatæ, quasi libanus odorem suauitatis habete, florete flores quasi lilium. Et quantum ad habitatorem, quia deputatus est ibi ad laudandum Deum. Psal. Beati qui habitant in domo tua Domine, &c. Habitatio autem terrena, deputata est malo vsui, & quantum ad se, quia producit spinas, & tribulos, & vrticas, id est homines auaros, & luxuriosos. Et quantum ad habitatorem, quia deputauit se ad mentiendum occidendum furandum, & adulterandum. Oseæ 4. Non est veritas Dei in terra, maledictum & mendacium, & furtum, & adulterium inundauerunt. Quartò habitatio cœlestis est facta, id est sanguine tincta, & quantum ad se, quia fuit Christi sanguine respersa. Hebr. 9. Per proprium sanguinem introiuit semel in sancta. Hieronym. Sanguinis Christi clauis est Paradisi. Et quantū ad habitatorem, quia Christi sanguine fuit redēptus. Apoc. 1. Lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo. Habitatio vero terrena tincta est in malo sanguine, & quantum ad se, scilicet sanguine homicidij. Psal. Interfecta est terra in sanguinibus. Et quantum ad habitatorem, scilicet sanguine peccati. Isa. 59. Manus vestræ sanguine plenę sunt. In sancta igitur habitatione cœlesti Maria coram Deo ministrauit, quia Deus sibi triplex officium commisit. Primum est officium aduocandi Ber. Aduocatum præmisit peregrinatio nostra, quæ tanquam mater, & iudicis mater fideliter, & efficaciter nostra negocia pertractabit. Secundùm est officium ad-

iuuandi.

iuuandi. Nam ficut dicit Ber. Ipsa poteſt nos adiuuare, quia eſt mater omnipotentiæ. Ipsa ſcit nos adiuuare, quia ipſa eſt mater ſapiētiæ. Ipſa vult nos adiuuare, quia ipſa eſt mater miſericordiæ. Tertium officium eſt miſerandi. Commiſit ſibi Deus, ut cœleſtes eleemoſynas, & Dei miſericordias nobis tribuat. Ideo dicitur de muliere forti Prou. vlt. Manum ſuā aperuit inopi, & palmas ſuas extendit ad pauperes. Ex quo eius magna liberalitas deſignatur. Et quia nō habet manum clauſam, ſed apertam, & quia non habet manum uacuam, ſed plenam, & quia non habet brachium contractum, ſed ad pauperes extenſum.

QVIBVS HONORIBVS CHRISTVS BEATAM Virginem dignatus eſt in uita, in morte, & poſt. Sermo LXVII.

HONORAVIT Chriſtus matrem ſuam in uita, in morte, & poſt mortem. Nam in uita ipſius ſuæ matris quatuor honores ſibi fecit. Primus honor fuit, quia magis famam matris ſuæ quàm propriam zelauit, & hoc quando ipſam ſponſum habere uoluit. Maluit enim quòd ad tempus crederetur, quòd ipſe natus fuerit de matrimonio quā ꝙ mater infamaretur de adulterio. Vnde dicit Amb. Idcirco Chriſtus matrem deſponſari uoluit ne tantæ virginis infamia ureretur. Qui grauis aluus inſignæ corruptelæ præferre videretur. Maluit igitur aliquos de ſuo ortu, quàm de matris pudore dubitare. Sciebat enim teneram eſſe virginis uerecundiam, & lubricam famam pudoris, nec putauit ortus ſui fidē matris iniurijs aſtruendam. Secundus honor fuit quando præ cæteris mulieribus, quæ fuerunt ante eam cum ea, & poſt eā in matrem elegit, vnde dicit ſedulius. Nec primam ſimilem viſa eſt, nec habere ſequentem. Elegit autem ipſam merito virginitatis, & humilitatis. Vnde Hugo de ſancto Victo. O virginitas humilis, & humilitas virginis, quo in vnum conuenistis, ſic & ſublimaſtis humilem, ſicut fęcundaſtis virginem, vt virgo pariat Dei filium, & humilis habeat ſponſum Deū, nec aliqua talis inueniri poterat. Tertius honor fuit quando digna-

dignatus est filius eius nominari, & sibi subijci. Ber. sup missus est. Maria Deum, & dominum angelorum suum audacter appellauit filium dicens. Fili quid fecisti nobis sic. Ecce Mariæ priuilegium. Quis enim hoc audeat angelorum? Deniq; descendit cũ illis, & uenit in Nazareth, & subditus erat illis. Quis? qbus? Deus hominibus. Deinde subdit. Mirare ergo utrunque, uel elige quid amplius mireris, siue filij benignissimam dilectionem siue matris excellentissimam dignitatem. Vtrunque miraculum, & quòd Deus obtemperet fœminæ, & humilitas absque exemplo, & quòd fœmina Deo principetur sublimitas sine socio. Quartus honor fuit quando in cruce existens, eam discipulo commendauit. Petrus Dam. Commisit Deus Petro claues ecclesiæ, uoluit & Beato Ioanni Mariæ custodiam delegare. Mater Maria, mater ecclesia, sed Maria mater Christi, ecclesia verò mater Christianorum. De Maria Christus carnem suscepit, ecclesiam uero de lateris sui carne produxit. Ex ista prodijt secundum carnem natus. Illam protulit iam carne mortuus. Ex ista uoluit nasci pro illa dignatus est mori. Ex vna natus est semel in persona sua, ex altera quotidie nascuntur membra sua. Deinde subdit. Dixit dominus Petro. Tibi dabo claues regni cœlorum. Nunquid & beata Maria cœlum non fuit in cuius utero virginali nouẽ mensibus diuinitatis plenitudo permansit?

Secundò honorauit eam in morte sua, quia ad eius obitum ipse filius Dei cum tota cœlesti curia aduenit, & eam de mundo uocauit dicens sicut ostendit Hieronymus in sermone de assumptio. Veni, inquit, columba mea immaculata mea, ueni de libano ueni. Non immerito, inquit, de libano uenire iubetur, quia libanus candidatio interpretatur. Erat enim candida omnium meritorum, ac virtutum dealbata, niue candidior Spiritus sancti muneribus, & in omnibus columbæ simplicitatem præsentauit, quia quicquid in ea gestum est totum puritas, & simplicitas, totum gratia, & veritas fuit, totum misericordia, & iustitia, quæ de cœlo prospexit. Sequitur. Iam enim hyems transijt, imber abijt, & recessit. Vbi dicit Hugo de sancto Victore, quòd hyems, & imber est uita mortalis, quæ tanquam hyems ad aggrediendum bonum est

pigra, ad perseuerandum est nubila, & tanquam imber est lasciua. Nam hyems constringit interius supernam charitatē, exterius dissoluit ad mundi uanitatem. Idem. Hyems quidē transijt quælibet anima sancta, age quod uis, quia mundus transit & concupiscentia eius. Cur diligitur quod transit, cū diligendum non esset etiam si manent? Nam cum staret nocuit, cum pertransiret decepit. Hieronymus ubi supra. Regina mundi de præsenti sæculo nequam eripitur securaque de sua immarcessibili gloria cœli palatium ingreditur, ubi una ciuitas supernorum ciuium, ubi dulcis angelorum solennitas. Vbi post labores ærumnas fœlix, & suauis refectio animarū.

Tertiò honorauit eam post mortem, quia post tertium diē suæ transmigrationis, cum tota cœlesti curia ad eam uenit, & in corpore, & in anima eam glorificauit, & in throno gloriæ ad suam dexteram collocauit. Hieronymus ubi supra. Creditur quòd ipsa saluator omnium per se totus festiuus occurrerit, & eam cum gaudio secum in throno collocauit. Alioquin quomodo crederetur impleuisse, quòd ipse præcepit, honora patrem, & matrem, &c. Credendum est igitur cœlorum militiam festiuè sibi obuiam aduenisse, eamque ingenti lumine circumfulsisse, & usque ad thronum cum canticis, & laudibus spiritualibus produxisse, postea subdit. Nulli dubium est totam illam cœlestem curiam, tunc ineffabili lętitia exultasse, tunc iocundata fuisse, tunc cum gratulatione iubilasse.

COMMENDATVR B. VIRGO HVMILITATE in uerbo, in animo signo & facto celebrata.

Sermo LXVIII.

HVMILITATEM habuit Maria, in uerbo, in animo, in signo, & in facto, In animo quidem quia Eua habuit elationem, ista humilitatē, ideo ista gratia fuit plena, illa fuit gratia euacuata. Ber. Eua per superbiam creaturam Dei se existimans Deo parificare se uoluit, Maria uerò humiliter se subdens, factori suo ancillam se nominauit. Ideoque illa est abiecta, ista uero electa. Seruauit ergo illud

quòd

quòd dicitur Iudith. 8. Humilem illi animas nostras. Aliter enim gratia impleri non potuisset nisi humilitatem cordis habuisset 1. Petr. 5. Superbis quidem Deus resistit, humilibus autem dat gratiam. Superbus quidem accedit ad fontem gratiæ cum ore eleuato, & ideo impleri uon potest. Prou. 17. Qui exaltat os suum quærit ruinam, humilis autē accedit ad fontem gratiæ cum ore inclinato, & ideo impleri meretur Iosuę 24. Inclinate corda uestra ad dominum Deum Israel. Et quia beata Virgo non habuit cor eleuatum per superbiam, sed inclinatum per humilitatem ueram, ideo Dei gratia impleri ꝓmeruit. Psal. Audi filia, & uide, & inclina aurem tuam. Superbus autem accedit ad fontem cum corde clauso, quod significatum est Zach. 4. Misit massam plumbeam in os amphore, humilis uero accedit cum ore aperto, idest cum feruenti desiderio, & ideo implet sibi os. Prou. vlt. Os suum aperuit sapiētiæ. Superbus etiam accedit cum vase pleno, quia habet plenum cor amore mundano. Humilis autem accedit cum uase uacuo, & ideo impleri meretur. Aug. Vas es si plenus es fundē, quod habes, ut recipias, quod non habes fundè amorem sæculi, ut implearis amore Dei. Beata autem Virgo accessit cū uase uacuo, quia omnia mundana despexit, & ideo impleri meruit, vnde ipsa dicit. Esurientes impleuit bonis, &c.

Secundò habuit humilitatem in verbo, quando dixit. Respexit humilitatem ancillæ suæ. Magna humilitas, quia dicit se respectam, ac si diceret. Non eram digna, ut me aspiceret, & tamē non aspexit, sed respexit. Aspexit gratiam infundēdo, respexit in meum uterum descendendo. Maior humilitas quia dicit se ancillam, non enim uocat se matrem Dei, nec dominam mundi, neç reginam cœli, sed ancillam Christi. Petrus Rauennas super missus est. Ecce quam uocauit angelus dominam ipsa se recognoscit, & uocat ancillam, quia deuotus animus infusis beneficijs ad obsequium crescit, auget ad gratiam non ad superbiam pertimescit, non ad arrogantiam prosilijt. Maxima humilitas, quia dicit se humillimam. Non enim dixit nobilitatem, uel sanctitatem, sed humilitatem ancillæ suæ. Illa est ancilla humillima, quæ non reputat se dignam, ut etiam sit ancilla, ac si dicat. Non tātum me respectā,

non tantum me ancillam, sed etiam dico me esse indignam, ut sim ancilla.

Tertiò habuit humilitatem in signo. Signum magnæ humilitatis fuit in ea, quia nunquam se alteri præferebat, sed aut se adequabat, aut sibi cæteros præponebat. Nam cæteris fœminis se æqualem, & communem exhibebat, quia & filiū noluit circuncidi, & ipsa uoluit purificari, & legem parturientium obseruabat, & festa uisitabat. Aliquando sibi minores præponebat, sicut Ioseph quando dixit Lucæ 2. Ecce pater tuus, & ego dolentes, &c. Apostolos etiam sibi præponebat, ut habetur Act. 1 Cæteris Apostolis nominatis ipsa in fine omnium poni uoluit. Nunquam enim uoluit stare in monte elationis, sed in ualle humilitatis. Et ideo in ualle fluxit fons Spiritus sancti, creuit lilium Paradisi, & accensus est calor amoris igniti, ꝓpter primum dicitur in Psal. Qui emittis fontes in conuallibus. Vnā uallem circunstabant duo mōtes, q̄ humilitatis duæ circunstāt, species superbiæ. Vnā q̄ nascit̃ ex parte temporali. Beata autem Virgo habuit occasionem superbiendi ex re temporali, quia fuit de stirpe regali progenita. Et ex gratia speciali, quia fuit in matrem Dei assumpta. Secundam quando ancillā se nominauit Dei. Et quia in ualle semper, stetit ideo in eam aqua diuinæ gratiæ pertransijt. Secundò in hac ualle suæ humilitatis natum est lilium Paradisi. Cant. 2. Ego flos campi, & lilium conuallium. Christus non fuit flos horti, sed campi, quia à terra, idest Virgo beata si inde nasceretur non fuisset scissa, sed permansit integra. Lilium conuallium similiter est ipse Christus natus est humili matre, quæ fuit conuallis. Dicitur autem conuallium in plurali, quia omnes species humilitatis in ea fuerunt. Tertiò in hac ualle suæ humilitatis accensus fuit calor igniti amoris. In ualle quidem solet esse lux cœli feruentior, quàm in montibus tribus de causis. Prima est, quia ignis non accenditur nisi in spisso, & humido aere. In monte autem non est aer subtilis, in ualle uero spissus, & humidus. Secunda est, quia in montibus aer subtilis ex sua cuitate huc atque illuc impellitur, & sic frigus inuenitur. Tertia est, quia radij solis ad latera montium descendentes sese resiliendo percutiunt, & ca-

lorem

lorem multiplicant. In hac igitur alle humilitatis virgineæ fuit intensus ardor amoris, qui causabatur ex humido suæ pietatis, ex tranquillitate, & immobilitate mentis, & exagitatione diuersæ virtutis.

Quartò habuit humilitatem in sancto, scilicet, quando Elisabeth grandæue, & grauidè in partu humiliter deseruiuit. Ber. In montana Maria cum festinatione abijt, & Elisabeth salutata in eius ministerio quasi tribus mensibus humiliter stetit. Et subdit idem. Tertius hic ascensus Virginis fuit ut difficiliter rumperetur triplex funiculus. Feruebat siquidem in quærenda gratia charitas, splendebat in carne virginitas, & in obsequio eminebat humilitas. Amb. super Lucam. Abijt in Maria in montana, non quasi incredula de oraculo, nec quasi incerta de nuncio, nec quasi dubitans de exemplo, sed quasi læta pro uoto, religiosa pro officio, festiua pro gaudio, & hæc cum festinatione, quia nescit tarda molimina spiritus sancti gratia, sed nec gaudebat virgo diu videri in publico. Discite uos mulieres non per domos alienas cursitare, non in plateis morari, non aliquos in publico miscere sermones. Maria in domo sera in publico festina. Item ibidem. Mansit Maria cum Elisabeth quasi mensibus tribus. Quæ.n. uenerat propter officium, officio inhærebat, nec sola familiaritatis causa remansit ibi diutius, sed ut tanto tempore cresceret profectus Elisabeth. Si enim in primo ingressu Mariæ tãtus illi profectus extitit, ut ad eius salutationem infans in utero illius exultauerit ipsa mater Spiritu sancto repleta fuerit, quantum putamus, quòd ipsius Mariæ præsentia tanti temporis, idest trium mensium usa addiderit.

HVMILITAS BEATAE VIRGINIS, QVAM profunda, quam honorata, & quam uirtuosa iudicetur. Sermo LXIX.

HVMILITAS B. Mariæ fuit profunda, honorata, & uirtuosa. Tã profundè quidem se humiliauit, q dixit se esse ancillã, q fecit se seruã, & q fecit se infimã. Dixit q se esse ancillã qñ dixit, Respexit humilitatẽ ancillæ

suæ. Super hoc uerbo dicit Ber. humilitas sui contemptu ancilla uero suum commendat deuotione famulatum. Respiciẽdo me, inquit, per gratiam suam, & humilitatem fecit me ancillam suam, quia de me opus suum spirituale fecit. Secũdò fecit se seruam, quando. s. tribus mensibus Elisabeth grauidẽ & grandẹque seruiuit. Beda super Lucam. Discite mulieres sanctę sedulitatis, quam debetis cognatis prægnantibus exhibere. Maria nempe, quæ prius sola impenetralibus uersabat, nõ publico uirginitatis pudore, non studio montium grauitate, nõ ab officio itineris grauitate, uel asperitate retardabat. Tertiò se fecit omnium infirmam sicut patet. Act. 1. Vbi recitatis Apostolis ipsa in fine omnium tanquam infima ex humilitate poni uoluit. Nam uolebat seruare, quod dixerat filius suus Luc. 13. Recumbe in nouissimo locò. Et qa in nouissimo locò recubuit ideo super omnes exaltari promeruit. Ber. Ita se exhibebat ultimam etiam inter mulieres, ut omnium nouissima poneretur infra, scilicet, uiduas, & pœnitentes, infra etiã de qua dominus eiecerat septem dæmones. Meritò igitur est sancta omnium domina, quæ se omnium exhibebat ancillã. Vt autem melius uidere possimus, quàm profundè se humiliauerit, uideamus, quam sublimitur Eua se erexit. Nam secũdũ Io. Dam. Eua se erexit supra Deum. s. qñ uoluntatem suã uoluntati diuinæ præposuit. Vsque ad Deum, qñ eius diuinitatem appetere ausa fuit. Contra Deum. s. quando contra eius præceptum uenire præsumpsit. Beata autem Maria humiliauit se infra cæteras mulieres, & usque ad mulieres, & pp mulieres Nam Eua erexit se supra Deum. Ista se humiliauit et infra consortia mulierum. Quælibet enim mulier vult habere sponsum diuitem, & in partu pulchrum thalamum mollẽ lectum, obsequium ancillarum, abundantiam pannorum, & cunas ad reponendum puerum, post partum vult habere quietem, & ocium. Sed beata Virgo habuit pauperem sponsum, pro thalamo habuit stabulum, pro lecto habuit fęnum, pro ancillis habuit bouem, & asinum, pro pannis habuit uilitatem pannorum, pro cunis habuit præsepium, pro quiete, & ocio oportuit eam fugere in Ægyptum. Ecce quomodo infra mulieres uoluit se humiliare. Secundò se humiliauit usque ad

mulieres,

mulieres. Eua se erexit usque ad Deum, ista se humilia-ni vsque ad mulierum commune consortium. Nunquam enim alicui se prætulit, sed communem, & tanquam vna illarum semper se exhibuit, sicut patet in filij circuncisione, & in sui purificatione, & in festiuitatum visitatione, & in legalium obseruatione. Ber Beata Virgo non indigebat purificatione, sed nunquid filius eius indigebat circuncisione, Esto inter illas sicut una illarum. Nam sic est filius tuus in medio paruulorum. Tertiò humiliauit se propter mulieres. Eua se erexerat contra Deum. Ista se humiliauit non contra, sed propter mulierum vtilitatem, & fructum. Non tantum uoluit esse uirgo, sed etiam humiliauit se, ut esset coniugata, & uidua derelicta. Ideò autem sic se humiliare uoluit, vt omnibus mulieribus daret spem, & fiduciam salutis, quòd scilicet, qualibet saluari possit, non solum quæ est in virginitate prædita, sed etiam quæ est coniugio copulata, & quæ est uidua derelicta.

Secundò eius humilitas fuit honorata. Est enim humilitas coacta, spontanea, & honorata. Humilitas coacta, & si de se non sit meritoria, habet tamen intra se causam unde generetur. Mich. 6. Humiliatio tua in medio tui. Humilitas uerò honorata est, quæ nullam habet coactionem, nec humiliandi occasionem, sed quanto plus talis extollitur, tanto magis ad humiliora uocatur. Talis fuit Dauid, qui in sublimitate regia constitutus dicebat. 2. Reg. 6. Ludam, & uilior fiam plusquam factus sim, & ero humilis in oculis meis. Talis fuit humilitas Mariæ, quæ honorata ab angelo, qui eam salutauit. A patre cœlesti, qui eam ab æterno elegit. A Spiritu sancto, qui in eam superuenit. A filio. qui eam imprægnauit. A toto mundo, qui eam beatam protestatur, & dicit. Ipsa tamen de se humilia sentiens ait. Respexit humilitatem ancillæ suæ. Bern. super missus est. Quæ est ista tam sublimis humilitas, quæ honori cedere non nouit, insolescere gloria nescit, Dei mater eligitur, & se ancillam nominat. Non est magnum esse humilem in abiectione, Magna verò, & rara prorsus est honorata humilitas.

Tertiò eius humilitas fuit valde virtuosa, quia ipsa humilitas fecit eam sponsam Dei, thalamum Christi, habitaculū Spiritus sancti, Deus enim ipsam concupiuit, & eam in sponsam elegit. Ps. Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, & concupiscet rex decorem tuum. Triplicem decorem in eam Deus aspexit, s. humilitatis, virginitatis, & magnæ crudelitatis. De hoc triplici decore dicit Ber. s. per missus est. Pulchra virginitatis, & humilitatis permixtio, nec illa mediocriter alia placet Deo, in qua, & humilitas virginitatem commendat, & virginitas humilitatem exornat. Sed quanta putas veneratione digna est in qua fœcunditas exaltat humilitatem, & partus consecrat virginitatem. Bern. in sermo. de assumptio. Tanta humilitas Beatæ Mariæ, & tanta fidei magnanimitas accessit, ut istæ duæ virtutes in ea fierent ex mutuo respectu clariores, quia videlicet nec tanta humilitas minuit magnanimitatem, nec econuersò, vt in sua extimatione esset humilis, & nihilominus in promissiones credulitate magnanimis. Secundò fuit facta thalamus Christi. Psal. Tanquam sponsus procedens de thalamo suo. Cant. 1. Cum esset rex in accubitu suo. Cum enim filius Dei esset in accubitu patris, idest, in sinu patris; humilitas Mariæ tanta fuit, quòd odore humilitatis suæ allectus, in thalamum sui uteri descendit. Dicitur autem eius humilitas nardus, quia nardus est herba parua, & odorifera, & pectoris purgatiua, sic eius humilitas fecit eam paruam respectu sui, quia se ancillam recognouit. Fuit odorifera respectu Dei, quia in ea fuit tantum delectatus, quòd in thalamum eius uteri descendit. Fuit pectoris purgatiua respectu nostri, quia eius humilitas nostram superbiam de nostro pectore sanauit, & omnia alia vitia resecauit. Augustinus in quodam sermone. O ueræ beatæ Mariæ humilitas, quæ Deum hominibus peperit, uitam mortalibus edidit, cœlos innouauit, mundum purificauit, paradisum aperuit, & hominum animas ab inferis liberauit. O veræ inquam, gloriosæ Mariæ humilitas, quæ porta cœli efficitur, scala cœli constituitur, facta est certè Mariæ scala cœlestis per quam Christus descendit ad terras. Facta est habitaculum Sp. Sanct. Bern.

super

super missus est. Si Maria humilis non fuisset, Spiritus sanctus super eam non requieuisset, quia scriptum est, super quē requiescit spiritus meus nisi super humilem, & quietum. Porrò si super eam non requieuisset, vtiq; eam nō impregnasset. Quomodo enim de ipso conciperet, sine ipso? patet igitur, quòd ut de Spiritu sancto conciperet humilitas fecit. Nam si ex virginitate placuit, tamen ex humilitate concepit, vnde constat etiam, quòd vt placeret virginitas, procul dubio fecit humilitas. Deinde subdit. Laudabilis uirtus virginitatis, sed necessaria magis humilitas. Illa suadetur, ista præcipitur. Denique placere potest humilitas eius, qui virginitatem deflet. Sine humilitate autem audeo dicere, nec uirginitas Mariæ placuisset. Ergo si non potes uirginitatem habere, imitare humilitatem Virginis.

OFFICIA TRIA SVNT HYDRIAE, *similibus officijs Beata Virgo fulget.* *Sermo* LXX.

HYDRIA quamuis dicatur ab ydor, quòd est aqua & dicatur esse uas aquaticum. Inuenimus tamen hydriam ad tria officia deputatam, propter quæ non immerito Beata Virgo hydriæ comparatur.

Primò deputata est ad aquam hauriendam, de qua Genes. 24. Nam cum nuncius Abrahæ dixisset ad Rebeccam. Da mihi paululum bibere, illa festinans hydriam de humero deposuit, & dixit. Et tu bibe, & camelis tuis tribuę. Secundum expositionem Bernar. Nuncius iste quem misit Abraham, ut acciperet vxorem pro filio suo, significat angelum Gabrielem, quem Deus pater misit ad Mariam, ut ipsam pro filio suo sponsam acciperet. Per Rebeccam igitur significatur Maria, cuius hydria plena est aqua, idest, eius anima est plena Dei gratia. In hac igitur hydria bibit ille nuncius Abrahæ, biberunt, & Cameli. In sua etiam hydria bibit architriclinus, vt habetur Ioan. tertio. Per nuncium Abrahæ, ut demum est intelligitur Angelus, per Camelos intelliguntur ueri pœnitentes. Cameli

enim dum grauia onera suscipiunt se humiliando genua flectunt. Sic & ueri pœnitentes grauem pœnitentiam humiliter portant, & patienter. Per architriclinum significatur Deus trinus. In hac igitur hydria Mariæ bibit angelus, delectatus in eius virginitate. Hierony. in sermone de assump. Semper est angelis cognata uirginitas, profectò in carne præter carnem uiuere non est uita terrena, sed cœlestis: Bibunt etiam pœnitentes delectati in eius misericrodia, & pietate. Bern. Nos quidem tui seruuli tibi congaudemus in uirtutibus cæteris. Nam laudamus virginitatem, & miramur humilitatem, sed misericordia miseris sapit dulcius, hanc amplectimur, sæpius recordamur, & crebrius inuocamur. Bibit insuper architriclinus, idest, Deus trinus delectatus in eius humilitate. Bern. Superbiam Euæ Deus despexit, sed humilitatem Mariæ respexit, humilem remunerans, humiliatam exaltans. In utroque ergo à Deo se esse respectam testatur, quoniam apud Deum eius humilitas acceptatur, & eius humiliatio est in gloriam commutata. Sed dicitur de illa hydria in qua biberat architriclinus, quæ capiebant singulæ metretas binas, uel ternas. In ista enim hydria Mariæ fuerunt metretæ binæ, idest, gemina dilectio Dei, scilicet, & proximi, uel duo testamenta, quorum cognitionem, & scientiam ipsa habuit. Fuerunt etiam metretæ tres, quia in eius utero fuit Christus in quo fuerunt tres metretæ, idest, tres substantiæ, scilicet, eius anima, caro, & deitas.

Secundò hydria deputata est ad conseruandum farinam, de qua legitur 3. Reg. 3. Viuit Dominus dixit uidua, quia non habeo panem nisi quantum pugillus potest capere farinæ in hydria, & parum olei in lechito. Cui Helias. Fac mihi de ipsa farinula panem paruulum, & affer ad me. Hæc dicit Dominus, hydria farinæ non deficiet, nec lechitus olei minuetur. Ista hydria plena farina fuit Maria, omni munditia, & omni puritate plena. Aliquando tamen in ista farina fuit fermentum, idest, originale peccatum, sed tamen Spiritus sanctus in utero matris aduenit, & ipsam ab oī originali purgauit. Ber. Est itaque virgo regia veris honorum titulis cumulata, quæ procul dubio sancta fuit ante quam nata,

Postea

Postea purgata fuit in Spiritus sancti superuentione. Adhuc magis in filij Dei prægnatione, vnde dixit ei angelus. Spiritus sanctus superueniet in te. Veruntamen quia adhuc in ea remanserant aliqua pœnalitates, ideo in sui assumptione fuit ab omni pœnalitate purgata. Hierony. in sermo. de assumpt. Regina mundi de terris, ac de præsenti sæculo nequam eripitur, securamque de sua immarcessibili gloria, cœli palatium ingreditur, ubi vna supernorum ciuium societas, vbi dulcis solemnitas angelorum, ubi post labores, & ærumnas fœlix ac suauis refectio animarum. Ecce quàm verè fuit in hac hydria farina candida, quæ sic fuit purificata, & mundata. De ista autem farina iussit sibi fieri subcinericium panem paruulum, quia de eius purissima carne Deus præcepit generari filium suum, qui fuit panis subcineritius, & paruulus. Panis fuit quantum ad deitatem in qua est suauitas, & refectio beatorum. Ioan. 6. Ego sum panis uiuus, qui de cœlo descendi, subcineritius fuit quantum ad carnem quam de nostra mortalitate accepit. 4. Reg. 19. Ecce ad caput eius subcineritius panis. Caput Christi est deitas. Tunc autem ad caput eius subcineritium panem habuit, quando naturam nostram suæ diuinitati vniuit. Fuit etiam iste panis paruulus, non solum in infantili ætate, sed maxime in excellenti humilitate, Isa. 4. Paruulus natus est nobis. Et bene coniunxit Helias oleum cum farina dicens, Hydria farinæ non deficiet, nec lechitus olei minuetur, quia sicut Maria habet perpetuam uirginitatem, sic & habet perpetuam pietatem, quæ nunquam deficiet. Ecclesiast. 24. Ab initio, & ante sæcula creata sum, & usque ad futurum sæculum non desinam.

Tertiò hydria deputata est ad conseruandum lumina, vnde dicitur Iudicum 7. Cumque per gitum castrorum in tribus persarum locis, & hydrias confregisset, tenuerunt in sinistris manibus lampades, & dextris sonantes tubas. Ista hydria conseruans lumina fuit Virgo Maria, & in qua tria lumina conseruata fuerunt. Primum lumen fuit eius corpus virgineum, de cuius claritate dicitur Sapient. 4. O quàm pulchra est casta generatio cum claritate. Secundum fuit

eius

eius anima luminosa, quæ tota ruit diuinæ gratiæ splendore illustrata. Isa. 58. Implebit Dominus splendoribus animam tuam. Tertium fuit eius merita, & opera gloriosa. Sap. 3.c. Bonorum laborum gloriosus est fructus. Ista tamen tria lumina erant in ista hydria occultata, ut possit dici de ea Eze. 32. Solem nube tegam. Nam eius corpus virgineum fuit occultatum nube immortalitatis. Eius anima luminosa fuit occultata nube impassibilitatis. Eius merita gloriosa ipsa occultabat nube humilitatis. Sed quando ista hydria fuit fracta, idest, eius anima fuit à corpore separata, tunc apparuerunt ista lumina. Et potest dici de ea, quòd dicitur 2. Mach. 1. Tempus affuit quo sol refulsit, qui prius erat in nubilo. Nam refulsit corpus eius, quia fuit vestitum dote immortalitatis. Refulsit eius anima, quia fuit uestita gloria impassibilitatis. Refulserunt eius merita, quia modò patent oībus per opera pietatis. Ista est enim illa mulier, de qua dicitur Apoc. 12. quòd erat amicta Sole, & Luna sub pedibus eius & in capite eius corona stellarum duodecim. Tunc eius anima fuit vestita sole, quando uestita fuit impassibilitate, & omnimoda claritate. Lux enim solis est impassibilis, & clara. Tunc enim habuit Lunam sub pedibus, quando omnem mutabilitatem, & corruptibilitatem corporis subiugauit. Habet etiam stellas in capite, quia eius uirtutes, & merita diffundūtur, & coruscant in uniuerso orbe.

TRIA CONSIDERANTVR, EO QVOD B. *Virgo ignem Spiritus Sancti recepit. Ser. LXXI.*

IGNIS Sp. Sanct. beatam Mariam præ cæteris inflammauit. Nam sicut dicit sanctus Odilo. Credimus ipsam interfuisse gaudijs dominicæ Ascensionis, & in die sancto Pēthecosten sancti. s. gratiam recepisse quam constat eam à conceptione Christi plenissimè habuisse. Ipsa enim ad receptionem Sp. Sanct. cæteris amplius se disposuit, & cæteris sollicitius custodiuit. Et ideo Sp. Sanct. in ea maiorem operationē, & uirtutem habuit. Circa receptionem istius ignis Sp. Sanct. tria sunt uidenda. Primò qualiter ipsa se disposuit. Secundò qua-

qualiter custodiuit. Tertiò qualem in ea Spir. Sanct. operationem habuit, & virtutem. Circa primum notandum, quod quatuor sunt, quæ disponunt ad recipiendum Spiritum sanctum. Primum dispositiuum est deuota oratio. Ad quod innuendum Christus dixit Io. 14. Rogabo patrem meum, & alium paraclytum dabit vobis, vnde cantat Ecclesia. Orantibus Apostolis Deum venisse nunciat. Istud dispositiuum Maria habuit, de qua dicitur Actuum 1. Hij omnes erant perseuerantes vnanimiter in oratione cum Maria matre Iesu. Ber. super missus est. Ingressus angelus ad eam. Quo ingressus? puto, quòd in sacrarium pudici cubiculi, vbi fortassis illa clauso super se ostiolo orabat patrem in abscondito.

Solent nimirum angeli adstare orantibus, & in eis delectari, quos vident in oratione puras manus leuare. Secundum dispositiuum est profunda humiliatio. Psalm. Qui emittis fontes in conuallibus, idest, gratiam suam præstat humilibus, vnde dicitur Isai. Super quem requiescet spiritus meus, nisi super humilem, & quietum? Istud dispositiuum similiter ipsa habuit quando dixit. Respexit humilitatem ancillæ suæ. Petrus Rauennas super missus est. Ecce quam vocauit angelus dominam ipsa se recognoscit, & confitetur ancillam, quia deuotus animus infusis beneficijs, crescit ad obsequium, augetur ad gratiam, non ad superbiam pertumescit, non ad arrogantiam prosilit. Tertium dispositiuum est cordis purificatio, vnde Propheta volens petere Spiritus sancti infusionem, primo petit mundationem dicens. Cor mundum crea in me Deus, & cætera. Istam purificationem habuit Virgo Maria quam Deus pater sanctificauit. Psalm. Sanctificauit tabernaculum suum altissimus. Quam filius Dei qui est splendor patris illustrauit. Ideo Apoc. 12. Vocatur mulier amicta sole. Quam Spiritus sanctus purificauit. Ideo dixit angelus. Spiritus sanctus superueniet in te. Propter hoc dicit Anselmus. Decebat, & omnino decebat, vt Virgo Beata ea puritate niteret, quæ sub Deo maior nequit loqui, vel intelligi. Quartum dispositiuum est tranquilla mentis vacatio, vnde dixit discipulis, Luc. vltimo. Sedete in ciuitate

quoadusque induamini virtute ex alto. Sedete, ideſt à superfluis curis ſæcularium requieſcite. Iſtam vacationem Maria habebat, quæ in ſuo thalamo clauſa manebat. Bet. ſuper miſſus eſt. Non eſt ſuſpicandum, quòd angelus inuenerit apertū Mariæ oſtiolum, cui nimirum etiam propoſito erat frequentias hominum fugere colloquia vitare, ne vel orantis ſilentiū turbaretur, vel continentis caſtitas obfuſcaretur. Clauſerat igitur illa ſuum habitaculum, ſed hominibus non angelis.

Secundò videndum eſt, quæ ſunt illa, quę Spiritum ſanctū receptum in ea cuſtodiunt, quæ quidem ſunt quatuor. Primum eſt, quòd habebat ignem perpetuum, & diuinum qui nunquam extingui poterat, ſcilicet Dei filium qui nouē men ſibus in ea habitauit, & de ea ortus fuit Eccl. 24. Ego feci in cœlis, vt oriretur lumē indeficiens, qui licet receſſerit ab eius ventre, non tamen receſſit ab eius mente. De quo igne dicitur Hebr. 12. Deus noſter ignis conſumens eſt. Secundum eſt, quia habebat pabulum continuum, ideſt bona opera, quæ ipſa ſemper faciebat, nunquam ocioſa erat Prouer. vlt. Panem ocioſa non comedit. Leuitici 6. Ignis in altari meo, ideſt in Beata Virgine, quæ fuit altare Dei ſemper ardebit, quem nutriet Sacerdos, ideſt ſummus Pontifex, ideſt Chriſtus ſubijciens ligna, ideſt bona opera per ſingulos dies. Tertium eſt, quòd habebat ſufflatorium aſſiduum, ideſt Spiritum ſanctū, qui in eius cor ſemper inſufflabat, & amorem accendebat. Sed multi ſunt in quorum cordibus illud ſufflatoriū deficit, nec gratia Spiritus ſancti in eis proficit Hiere. 5. Deficit ſufflatorium in igne. Quartum eſt, quòd habebat feruorem deſideriorum, quæ ſe mutuo inflammabant. Sicut enim ex colliſione lapidum ignis excutitur, ſic ex agitatione ſanctorum deſideriorum calor Spiritus ſancti in ea inflammabatur. Hieronymus in ſermone de aſſumptio. Quantis putas Virgo doloribus filij afficiebatur, quo amore cruciabatur, quo deſiderio extuabat dum in animo reuolueret cuncta, quæ audierat, & viderat, puto, quòd quicquid humanæ virtutis eſt cogitare non ſufficiat.

Tertiò videndum eſt qualem operationem, & virtutē iſte ignis habuit in ipſa. Ad quod ſciendum, quòd ignis habet inflam-

inflammare, purgare, & illuminare, & vnire, ficut patet in duobus ferris, quæ vniri non possunt nisi per ignem. Beata autem Virgo non tantum recepit Spiritum sanctum, sed etiã ipsum plenissimè habuit in sui sanctificatione, in Spiritus S. superuentione in filij Dei incarnatione, & nihilominus ipsum Spiritum sanctum cum Apostolis in Pentecosten recepit in visibili ostensione. Et ideo ille ignis diuinus totam eam inflammauit, totam purificauit, totam illuminauit, & totam cum Deo vniuit, ita quòd ipsa inflammabat frigidos, purgabat immundos, illuminabat tenebrosos, & vniebat cum Deo diuisos. Et propter ista quatuor ipsa dicit. Ecclesiast. 24. Ego mater pulchrę dilectionis, &c. Ipsa enim est mater pulchrę dilectionis, inquantum ad Dei dilectionem, & amorem frigidos inflammat. Ipsa est mater timoris inquantum à culpa immundos purificat, quia sicut dicitur Prouerb. 15. Per timorem Domini declinat omnis à malo. Ipsa est mater agnitionis inquantum ad Dei agnitionem tenebrosos illuminat. Ipsa est mater sanctæ spei inquantũ homines elongatos à Deo, & diuisos ipsa venit, & copulat.

QVAE CONCVRRERINT, CVM BEATA *Virgo concepit.* *Sermo* LXXII.

IMPRAEGNATIO Mariæ facta fuit mediante cœlesti nuncio, operante Spiritu sancto, filio carnem assumente, & Virgine Maria ministrante. Primò igitur facta est mediante cœlesti nuncio, quia missus est angelus Gabriel à Deo in ciuitatem Galileæ, &c. De tali nuncio dicitur Prouerb. 25. Aqua frigida animæ sitienti, & nuncius bonus de terra longinqua. Aqua frigida sitim sedat, æstum temperat, & quadam iucunditate in bibendo delectat. Beata igitur Maria valdè sitiebat aquam diuinæ gratiæ, habebat magnũ æstum, idest magnum desiderium de humani generis salute, habebat magnam iocunditatem de promissa virginitate. Et ideo Gabriel angelus fuit sibi sicut aqua frigida, quia de plenitudine gratię sibi prędixit dicens, Aue gratia plena. Salutem generis humani per eam fieri asseruit dicens, Et vocabis

nomen eius Iesum, id est Saluatorem, & virginitatem illibatam seruanda prædixit, quia concipiet de Spiritu sancto, non de semine humano dicens. Spiritus sanctus superueniet in te. Secundò eius impraegnatio facta fuit operante Spiritu sancto. Beda super Lucam. Spiritus sanctus in Virginem superuenit, qui & mentem eius ab omni sorde vitiorum emundauit, & in eius vtero corpus redemptoris operatione sua sine virili semine, de ipsius Virginis carne creauit. Aug. in sermone de annuncia. Dixit angelus O Maria Virgo Dei, sponsa Dei, dilecta Dei, filia Dei, si à me requiris quomodo Virgo pariat, & quomodo post partum Virgo permaneat, vel quomodo fiat in te qui fecit te, audi & non perturberis in te. Spiritus sanctus superueniet in te, ita vt nec æstum patiaris libidinis, & mater sis creatoris. Ber. Ecce concipies, & paries filium. Concipies quod caro nescit, non habet conditio, natura non amittit. Quis enim ad fructum peruenit antequam suæ plantæ industriam impendat? Quis præter viã ad mansionem peruenit? Quis præter naturam incrementum naturæ suscepit? Beata ergo, & verè Beata Maria, quę præter generandi curas, præter materna fastidia ad tantam gloriam germinis peruenit. Tertiò eius impraegnatio facta fuit filio carnem assumente. Quamuis enim Pater, & Filius, & Spiritus sanctus sint vnus Deus, & sit vna diuinitas, filius tamen non pater, nec Spiritus sanctus carnem suscepit, sicut ostendit August. tribus exemplis in sermone de natiuitate Domini. De primo exemplo sic dicit. In anima est ratio, & vna est anima & ratio, sed anima agit aliud, & aliud agit ratio. Anima viuit, & ratio sapit. Ad animam pertinet vita, ad rationem sapientia, & tamen anima sine ratione, nec ratio sine anima. Et cum vnum sint tamen anima sola suscepit. Ratio vero sola suscepit sapientiam, sic & Pater, & Filius licet vnum sint, tamen ad solum Christum pertinet caro, sicut ad solam rationem pertinet sapientia. De secundo exemplo sic dicit. In sole splendor, & calor in vno radio sunt, sed calor exiccat, splendor illuminat. Aliud suscipit calor, aliud splendor, sed calor & splendor abinuicem nequeunt separari. Suscipit splendor illuminationem non feruorem, suscipit calor

feruorem

feruorem non illuminationem. Aliud simul, aliud singulariter agunt, non tamen abinuicem separantur. Sic & filius suscepit carnem, & non deseruit patrem, nec se diuisit à patre in diuinitate æqualitas, in carne sola filij proprietas. Non autem ab eo per patris aut Spiritus sancti aliquando recessit diuinitas. De tertiò exemplo sic dicit, vt cithara musicum, melos: sonis dulcibus reddat, tria pariter adesse videntur, scilicet ars, manus, & chorda, & tamen vnus, scilicet sonus auditur. Ars dictat, manus tangit, chorda resonat, tria pariter operantur, sed sola chorda personat, quod auditur, nec ars nec manus sonum reddunt, sed ea cum chorda pariter operantur. Sic nec pater, nec Spiritus sanctus suscipiunt carnem, & tamen cum filio operantur. Et sicut sola chorda excutit sonum, sic Christus solus carnem suscepit. Operatio in tribus consistit. Sed quomodo pertinet ad solam chordam soni redditio, sic pertinet ad solum Christum humanæ carnis susceptio.

Quartò eius impragnatio facta est Maria materiam ministrante, quam tamen materiam Spiritus sanctus sic sanctificauit, quòd nulli vsui nisi diuino postmodum accepta fuit sicut ostendit Hieronymus in sermone de Assumptione exemplo lanę dicens. Ante quidem aduentum Spiritus sancti in vtero Virginis, vterus eius quamuis impollutus, & sanctus adhuc tamen vilitate humanitatis erat indutus tanquam lana candidissima, ad quam cum accessit Spiritus sanctus, velut eadem lana cum inficitur sanguine conchilij, vel mericis vtitur in purpuram, sic & ipsa versa est sine coitu in matrem Dei, vt iam non sit quod fuerat, sed purpura verissima ad indumentum summi Regis diuinitus aptissimè dedicata: De hoc etiam sic dicit Alcuinus in libro de Tri. Beata Maria lana mundissima fuit, & virginitate clarissima, quæ cum sola digna esset in se filij Dei recipere dignitatem sicut lana conchilij sanguinem, vt ex eadem fieret purpura Imperiali maiestate tantummodo digna, quam nullus esset dignus induere nisi augusta pręditus dignitate.

CONCVRRERVNT QVATVOR, CVM FIlius Dei incarnatus est. Sermo LXXIII.

INCARNATIO filij Dei facta fuit in vtero Virginali temporis plenitudine adueniente angelo nunciante Spiritu sancto operante, & consensu Virginis accedente.

Primò igitur facta fuit temporis plenitudine adueniente. Gal. 5. At vbi venit plenitudo temporis misit Deus filium suum factum ex muliere factum sub lege. Vbi notandum est, quòd est tempus vacuum, semiplenum, & plenum. Tempus vacuum fuit sub lege, vbi homines vacui erant Dei cognitione, & ideo creaturas, & multa alia adorabant Eph.4. Tenebris habentes obscuratum intellectum, alienati à via Dei per ignorantiam, quæ est in illis. Tempus verò semiplenum fuit sub lege, vbi data est cognitio vnius Dei, sed non gratia per quam possent impleri mandata Dei. Tempus autem modernum est plenum, quia modo est vera cognitio Dei, & modo datur gratia per quam implentur mandata Dei.

Secundò facta fuit angelo nunciante. Aug. in sermone de Annunciat. Secreta coniugia celebrata sunt in Mariæ thalamo, quibus Gabriel paranymphus interuenit ne abnueret deuota Virgo, dum Spiritus permittebatur esse maritus, vt nasceretur filius, & pudor maneret illæsus. Petitur ergo Maria, cœlestibus Regnis, mittitur angelus Rex ipse stellato micans solio mandata dirigit. Concionante igitur Deo mirantur sedes, throni stupent, ac diuinus silet exercitus. Vade inquit Gabriel, & ethereas sedes rumpe, & concilium nostrum defer Mariæ. Hæc incolit parua Nazareth mœnia, sed sibi patent cœli palatia. Huic ergo vnicum meum immo alterum me donare volo, vt sit illa mater, cuius sum ego pater. Deindde subdit August. Profectò igitur cuncto cœlitus adueniente Senatu, mandato Gabriel accepto fulmineos obrutus, oraque tonantia pauet archano tremefactus Imperio. Mox igitur astriferum volatu rapido secauit aerem, percussit lumine noctem, ac flammeos arcus vibrans velut pauo vniuersi color radijs solis obtectus, per medios

dios cœli sinus ferebatur, donec Mariæ extrema tecta corruscus ingreditur dicens ei. Aue gratia plena.

Tertiò ipsa incarnatio facta fuit operante Spiritu sancto. Non enim Virgo concepit ex semine, sed mystico spiramine sicut dicit Augustinus in sermone de Nat. exemplo Virgine Aaron dicens. Virga Aaron subito produxit flores, & frondes, & nuces. Virga protulit, quod ante non habuit, non radicata plantatione, non defossa sarculo, non arata sulco, non fœcundata seminario. Virga potuit contra naturam nuces producere. Virgo non potuit contra naturam filium Dei generare? Et dicit ibi Augustin. quòd nux habet trinam substantiam, scilicet corium testam, & nucleum. In corio caro, in testa ossa, in nucleo inferior anima intelligitur. Secundò hoc ostendit exemplo speculi, & radij solis dicens. Solis radius speculum penetrat, & soliditates eius insensibili velocitate pertransit, & talis videtur extrinsecus, qualis existit intrinsecus. Itaque cum nec ingreditur violat, nec cum ægreditur dissipat. Speculum ergo non rumpit radius solis, sic integritatem virginitatis ingressus, & egressus violare non potuit Deitatis.

Quartò ipsa incarnatio facta est consensu Virginis accedente. Bern. Da Virgo responsum, responde verbum, & suscipe verbum, profer tuum, & suscipe diuinum. Emitte transitorium, & amplectere sempiternum. Et tunc illa dixit. Ecce ancilla Domini fiat mihi secundùm verbum tuum. Ber. Verbum quod erat apud Deum, fiat caro de carne mea, nolo vt mihi fiat, aut declamatoriæ prædicatum, aut singulariter significatum, aut imaginatione somniatum, sed silenter inspiratum, personaliter incarnatum, corporaliter inuisceratum.

PIA CONSIDERATIO CIRCA LAC BEATA Virginis. Sermo LXXIIII.

LAC Beatæ Mariæ dupliciter consideratur. Primò quale in se est. Secundo qualiter ipsa lac nobis effudit.

Circa primum notandum, quòd lac est sanguis excoctus. Nam primo excoquitur in venis, secundo in mamillis, & ex tali decoctione sanguis trahit albedinem, saporositatem, & vbertatem. Lac igitur Beatæ Mariæ habuit albedinem, quam traxit ex duplici decoctione. Secundò habuit saporositatem, quam traxit à Spiritus sancti depuratione. Tertiò habuit vbertatem quam traxit à duplici decoctione.

Prima decoctio facta fuit ab igne Spiritus sancti in vtero matris suæ, quando Spiritus sanctus eam sanctificauit. Secunda facta fuit in filij incarnatione, quando Spiritus sanctus in eam superuenit.

Secundò eius lac habuit saporositatem quam traxit à Spiritus sancti depuratione. Nunquam fuit aliqua mater, quæ habuerit ita saporosum lac, sicut fuit lac Virgineum. Et ratio est, quia lac aliarum mulierum multum habet impuritatis, & ideo non potest esse multum magni saporis. Lac autem Beatæ Virginis sic fuit à Spiritu sancto depuratum, & purificatum, quòd factum est dulcissimum, & nimium saporosum. Et quia fuit optimi saporis, ideo fuit optimi nutrimenti. De isto lacte Virgineo dicit Augustin. in sermone de Annunciatione. Lacta Maria Creatorem tuum, panem cœli, precium mundi, præbe labenti mamillam, ut ille pro te percutienti præbeat maxillam. Lacta qui fecit te, qui talem fecit te, vt ipse fieret in te.

Tertiò habuit vbertatem à cœlesti subministratione. Non enim fuit lac suum à natura propinatum, sed de cœlo largiter subministratum. Vnde cantat Ecclesia. Ipsum Regem angelorum sola Virgo lactabat vbere de cœlo pleno.

Circa secundum notandum est, quòd ipsa dat nobis triplex lac spirituale. Primum est cœlestis doctrinæ. Sicut enim nutrix grossa cibaria comedit, & sibi incorporat, & sic digesta in lac conuersa puero effundit, sic Beata Maria magnas, & difficiles sententias memoriæ recondebat iuxta illud Lucæ 2. capit. Maria conseruabat omnia uerba hæc conferens in corde suo, & illa postmodum sic digesta discipulis effundebat. Beda super Lucam. Maria omnia verba, quæ de Domino, vel à Domino dicta, vel facta cognouerat

gnouerat

gnouerat diligenter in corde retinebat, sollicitè cuncta memoriæ commendabat, vt cum tempus prædicandi, uel scribendi incarnationis eius adueniret, singula prout essent gesta quærentibus explicare posset.

Secundò dat nobis lac pietatis, & misericordiæ. Sanguis enim in nobis sæpe accenditur, & sic cor ad iracundiam concitatur, Sed in Beata Maria totus sanguis iracundiæ conuersus fuerat in lac pietatis, & misericordiæ, quia nihil in ea seuerum, nihil austerum remansit, sed tota fuit lactea, & mellea, idest, dulcis & pijssima. Cantic. 4. Mel & lac sub lingua eius. Bernard. Reuolue totam scripturæ seriem, & si quid austerum in Maria inueneris deceætero eam suspectam habeas, & ad ipsam accedere verearis.

Tertiò dat nobis lac spiritualis gratiæ, unde ipsa potest dicere illud Isaiæ 55. Venite emite absque argento, & absque ulla commutatione vinum, & lac. Per istud uinum, & lac intelligimus Dei gratiam, & misericordiam, & animam lætificantem, & dulcorantem. De quo scilicet uino, & lacte ipsa plena fuit, scilicet gratia, & misericordia. Et ideo de sua plenitudine nobis effundit, unde ipsa dicit Canticorum 5. Bibi uinum meum cum lacte meo.

EX DEBITO, MERITO, ET EXEMplo laudanda est Beata Virgo. Ser. LXXV.

LAVDARE debemus Virginem Beatam propter debitum, meritum, & exemplum.

Primò propter debitum tenemur laudare ipsam, quia cum essemus perditi ipsa nobis succurrit, & recuperandi aditum adinuenit. Augustinus, O Beata Maria quis tibi digne ualeat iura gratiarum, & laudum præconia impendere, quę tuo singulari merito recuperandi aditum inuenit.

Secundò propter meritum, quod inde consequimur. Nam

ex hoc liberamur à confusione æterna, præseruamur à culpa, & digni efficimur uita æterna. Eccl. 24. Qui audit me non cõfundetur, & qui operantur in me non peccabunt, qui elucidãt me uitam æternam habebunt. Qualiter autem laudantes eã meritum consequantur dicit Hieronymus in sermone de assumptio. Si Virgo es lauda, quia meruisti esse, quod laudas. Si continens es uenerare, & lauda, quia non aliundè constat, ut possis esse casta, quàm ex gratia Christi, quæ plenissimè fuit in Maria. Quod si cõiugata es, aut certè peccatrix nihilominus confitere, & lauda, quia misericordia omnibus profuit, & gratia. Quamuis non sit speciosa laus in ore peccatoris tamen noli cessare, quia tibi promittitur uenia, vnde merearis, ut laudes.

Tertiò debemus ipsam laudare propter exemplum. Habemus exemplum ab angelo, qui eam reuerenter salutauit. A filio qui eam in tanta reuerentia habuit, quia sibi subditus esse uoluit. Lucæ. 2. Erat subditus illis. A Spiritu sancto, qui eam repleuit. Luc. 1. Spiritus sanctus superueniet in te. A patre æterno, qui eam sanctificauit. Psal. Sanctificauit tabernaculũ suum altissimus. A toto mundo, qui eam beatam protestatur, & dicit. Vnde ipsa dicit. Ecce enim ex hoc beatam me dicẽt omnes generationes. Non tamen eam sufficienter laudare possumus propter quatuor causas. Primò propter nostrã imbecillitatem. Aug. O fœlix puerperium, lætabile angelis, optabile sanctis, necessarium perditis, cõgruum profugatis. Quid dicam pauper ingenio, cum de te quicquid dixero minor laus est, quàm tua dignitas mereatur. Si cœlum te uocem, altiores. Si matrem gentium dicam, præcellis. Si formam Dei appellem, digna existis. Si dominam angelorum te uocem, per omnia esse probaris. Quid ergo de te dignè dicam, quid referam, cum non sufficiat lingua carnis, tuas enarrare uirtutes. De hoc etiam sic dicit Pe. Dam. Qualiter autem eam laudare poterit, mortalis hominis uerbum, quæ de se protulit uerbum, quod manet in æternum. Quæ lingua in eius laude inueniatur idonea, quæ illum genuit cui omnia benedicunt, & cum tremore obediunt elementa? Impar igitur est illi omne linguæ humanæ præconium, quæ de te intemeratæ carnis

suæ

suæ uisceribus cibum nobis protulit animarum. Secundò propter nostram indignitatem. Istam suam indignitatem recognoscebat Hieronym. in sermone de assumptione dicens, Timeo satis, & ualde pertimesco, dum uestris cupio parere profectibus, ne fortè sicut improbus, ita & indignus laudator inueniar. Profectò cum nec sanctitas, nec facundia mihi suppetat, ut beatam, & gloriosam Virginem laudare queam, quo nlam ut uerùm fatear, quicquid humanis potest dici uerbis, minus est à laude cœli, quæ diuinis, & angelicis est laudata preconijs. A Prophetis prænunciata. A Patriarchis præfigurata. Ab Euangelistis exhibita. Ab Angelo uenerabiliter salutata. Item ibidem. De tali tantaque loqui me indignum fateor, sed & puto, quòd nemo sit qui præsumat, quæ & quanta sint, quæ panduntur ignorat, tamē non debet cessare à laudibus, si nemo etiā ad hoc idoneus inuenitur uotis omnibus, etiam quilibet peccator quāuis etiam explere nequeat, quod sentit. Tertiò propter suam dignitatem. Et de hoc etiam sic dicit Beda. Si rerum uniuersitas singulis distincta speciebus in beatæ Mariæ Dei genitricis laudem, magnis sui cordis cla met uocibus, tamen eius dignitatem intelligentibus surditas hæc uel silentium apparebit. Damas. Licet mille ora mille linguæ, uox ut ferrea sit, sed nec si omnes linguæ hominum cōuenirent, eam mirificis laudibus efferre possent. Omnis enim præconij excedit magnitudinem, & omne eloquium ad eius excellentiam insufficienter inuenitur. Quartò propter uerborum insufficientiam, & paupertatem, quia scilicet, verba ad hoc idonea nobis deficiunt. Pe. Dam. Dum cuiuslibet matris fortia facta extollere cupimus, dum eius uirtutum insignia prædicamus, etiam si ad cogitādum cardior sensus impediat, uel ad loquendum balbutiens lingua, non sufficiat uerborum tamen copiam rei ipsius materia subministrat. Cum ergo beatissimè Dei genitricis laudes scribere uolumus, nulla inuenimus uerba, quibus ad hoc exprimenda dignè sufficere ualeamus. Tollit igitur facultatem sermonis materia singularis Gerardus Episcopus, & martyr. Vtinam mihi tot essent linguæ quot sunt cœli stellæ, ut omnes illas possem conuertere in laudem Dei genitricis, nec etiam sic satiarer.

SECVNDVM LIBANI SIGNIFICATVM, *Beatæ Virginis exprimitur Christus anima, & corpus.* Sermo LXXVI.

LIBANVS significat beatam Mariam, iuxta illud Eccle.24. Quasi libanus non incisus uaporaui habitationẽ meam. Sed notandum, quòd libanus in masculino accipitur pro monte. In fœminino pro arbore. In neutro pro thure, & tamen hic pro arbore in masculino ponitur. Scriptura enim sacra aliquando transgreditur regulas donati, vt certius exprimat intellectum spiritus sancti. Dicitur ergo de arbore. Quasi libanus non incisus, &c. Ab illa enim arbore quandoque fluit thus cortice non inciso, & illud est magis lucidum, & magis electum, & tali libano non inciso beata Virgo assimilatur. In quacunque autem significatione libanus accipiatur candorem sonat. In Virgine autem fuerunt tria candida non incisa, scilicet, spiritus anima, & corpus. De quibus habetur Thes. 5. Ipse autem Deus pacis sanctificet uos per omnia ut integer spiritus uester, anima & corpus sine querela seruetur in die Aduentus Domini nostri Iesu Christi. Sicut autem dicitur, hic libanus mons, hæc libanus arbor, hoc libanũ thus, ita nunc dicitur ab Apostolo hic spiritus, hæc anima, hoc corpus. Spiritus ergo Mariæ dicatur mons libani, anima eius dicatur arbor libani. Corpus eius dicatur thus siue libanum. Ista tria. s. spiritus anima, & corpus, in Virgine non fuerunt incisa, nec diuisa. Et ideo bene dicit. Quasi libanus non incisus. Spiritus enim eius nunquam à Deo fuit diuisus, quia nunquam ab ipso per peccatum separari potuit. Anima enim eius nunquam fuit diuisa à ratione, quia ab eius dominio nunquam recessit. Corpus eius nunquem fuit diuisum, q̃a semper integrum, & illibatum permansit. Talis ergo libanus uaporauit habitationem suam. Nam illos in quibus habitat ꝑ gratiam uaporat. i. odore replet per odoriferã conscientiam. Ibidem. Sicut cinnamomum, & balsamum aromatizãs. Quosdam enim confortat, ut perseuerent in dono gratiæ. Istis est odor cinnamomi, quia odor cinnamomi habet confortare

Quosdam

Quosdam præseruat à corruptione culpæ. Istis est odor balsami, quia balsamum à corruptione præseruat. A quibusdam fugat uermes tẽtationis diabolicę. Istis est odor myrrhæ, quia odor myrrhæ fugat uermes.

AEQVIPARATVR MVLTIS LIBERALITAS Beatæ Virginis. Sermo LXXVII.

LIBERALITAS B. Mariæ multis assimilatur, quia sicut sol oritur super bonos, & malos, ut dicitur Matth. 5. Sic & eius merita lucent super bonos, ut eos in gratia custodiat. Lucet & super malos, ut eos ad bonum conuertat. Vnde dicit Ber. Virgo B. uelut alterũ solem induit, quia sicut ille super bonos, & malos indifferenter oritur, sic ipsa quoq; præterita merita non discutit, sed omnibus exorabilem, & clementissimam se exponit, omniumq; necessitates amplissimo quodam miseratur affectu, Ibidem. Copiosissima charitate Virgo Maria sapientibus, & insipientibus debitricem se fecit omnibus misericordiæ sinum aperuit, ut de plenitudine eius accipiant uniuersi, captiuus redemptionem, eger curationem, tristis consolationem, peccator ueniam, iustus gratiam, angelus lætitiam, tota denique trinitas gloriam, filij in persona carnis substantiam, ut non sit qui se abscondat à calore eius. Putasne ipsa est amicta sole?

Secundò ipsa assimilatur eleemosynariæ liberali. Prou. vlt. Manum suam aperuit inopi, & palmas suas extendit ad pauperes. Cuius liberalitas ostenditur, & quia habet manum apertã, & quia brachiũ extendit ad pauperes, & quia habet manũ eleemosynis plenam. Nulla enim esset laus eleemosynariæ liberali si manum teneret apertam, & brachium extensum, si ipsa manum uacuam haberet, Beata igitur Maria tanquam Dei eleemosynaria, intantum est liberalis, quòd dat faciliter, & ideo tenet manum apertam, quòd dat omnibus cõiter quia habet manum eleemosynis plenam,

Tertiò assimilatur mulieri forti vnde dr̃ Prou. vlt. de muliere forti, De nocte surrexit deditq; prædam domesticis suis.

Quartò assimilatur pijssimę matri, vnde ipsa dicit Eccl. 24.

Ego mater pulchræ dilectionis, &c. Ipsa præsumptuosos, & superbos ad sui recognitionem, timore diuinæ maiestatis humiliat, ideo dicit. Et timoris. Ipsa tenebrosos ad cognitionẽ Dei illuminat, ideo subditur. Et agnitionis. Ipsa in profundum peccatorum desperatos ad spem ueniç reuocat, ideo dicit. Et sanctæ spei.

Quintò assimilatur hospiti mirifico, & curiali. Vnde dicit ei Deus in Iacob inhabita, & in Israel hæreditare. Ex quibus uerbis habetur, quòd ipsa hospitatur, & habitat in tribus generibus personarum. Quidam enim sunt actiui. Quidam cõtemplatiui. Et quidam perfecti, qui scilicet, habent actiuam, & contemplatiuam. Beata igitur Virgo habitat cum actiuis dando eis gratiam, & ad operandum firmam constantiam, ideo dicitur. In Iacob inhabita, per Iacob qui interpretatur luctator intelliguntur actiui, qui sunt in multiplici luctu huius mundi. Habitat cum contemplatiuis, dando s.eis sincerã uisionem, ideo dicitur. In Israel hæreditare. Israel enim interpretatur uidens. Habitat eum electis, siue perfectis, qui habent utranque uitam dando eis firmam perseuerantiam, ideo subditur. Et in electis meis mitte radices.

POTENTIA LIBERI ARBITRII QVATVOR *modis consideratur, ex eoque Beata Virgo commendatur.* Sermo LXXVIII.

LIBERVM arbitrium habuit Virgo Maria in bono cõfirmatum, & ideo nulli uoluit consentire peccato. Potentia enim liberi arbitrij potest considerari quatuor modis.

Primò ut se habet indifferẽter ad hoc, & ad illud, idest ad peccandum, & ad bene agendum. Et hoc modo fuit in Adã in statu innocẽtiæ, unde dicitur Eccl. 45. Deus ab initio creauit hominem, & reliquit eum in manibus suis.

Secundò consideratur cum dispositione ad peccandum, & hoc modo est in regeneratonis post baptismum, quia in eis adhuc remanet fomes, qui est dispositio ad peccandum inclinans.

Tertiò

Tertiò consideratur cùm necessitate ad peccãdum, & hoc modo est in non regenerationis per baptismum, quia fomes in illis non tantum est dispositio ad peccandum, sed quædam necessitas.

Quartò consideratur cum dispositione ad non peccandũ, & hoc modo est in angelis, & beatis, & in Beata Virgine per gratiam sanctificationis ultimæ, quæ superemine omnibus alijs sanctificationibus, ita quòd post illam sanctificationem non habuit potentiam peccandi. Et quãtum ad hoc fuit instar, & angelorum, & beatorum, qui habent liberum arbitrium cõfirmatum, ideo dicit Aug. in lib. de natura, & gratia. Excepta Virgine Maria si omnes sancti, & sanctę cum adhuc uiuerẽt interrogati fuissent utrum sine peccato essent omnes una uoce clamassent. Si dixerimus quoniam peccatum non habemus ipsi nos seducimus, & ueritas in nobis non est. Excepta, inquam, hac sancta Virgine, de qua propter honorem Dei cum de peccatis agitur nullam prorsus uolo habere quæstionem. Scimus enim ꝙ plus gratiæ ei collatumꝫ fuit ad peccatum ab omni parte uincendum, quæ illum conciperẽ, & parere meruit, quem constat nullum habuisse peccatum.

QVIBVS CAVSIS BEATA VIRGO VT *lilium celebretur.* *Sermo* LXXIX.

LILIVM potest dici Maria propter multas causas. Prima causa, quia lilium est extra candidum, intus est aureum, intus & extra odoriferum. Sic beata Virgo extra in carne fuit candida per virginitatem. Cant. 7. Candor est lucis æternæ, & speculum sine macula. Secundò intus in mẽte fuit aurea per charitatem. Dicit enim Aristo. quòd aurum nunquam potest corrumpi, sic nec eius charitas nunquã potuit extingui. Cant. 8. Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem. Tertiò intus, & extra fuit odorifera per humilitatem. Habuit enim humilitatem intus in corde, & exterius in conuersatione. Et ista humilitas tantum odorem Deo fecit, quòd ipsum ad se traxit. Cant. 1. Cum esset rex in accubitu suo, &c. Nardus est herba parua, & significat eius humilitatem.

militatem. Ista sunt tria lilia, scilicet virginitas, humilitas, & charitas, quæ Beatã Mariam maximè circundederunt. De quibus sic dicit Ber. in sermone de Nati. eiusdem. Denique Christus qui nunc inter lilia pascitur vtique copiosius apud Mariam pro multitudine filiorum pascebatur. An non lilia sunt decus virginitatis insigne humilitatis, supereminentia charitatis. Secunda causa est, quia lilium habet rectum hastile sursum, sed folia dependentia deorsum, quia animus Virginis tanquam hastile semper fuit rectus ad Deum, sibi de beneficijs regatiando, & in eum semper exultando spiritualiter. Sicut enim lilium quicquid habet odoris, & candoris, totum mittitur ad summum, sic Maria quicquid habuit sanctitatis, & gratiæ totum remittebat ad Deum. Folia autem, idest eius verba habuit deorsum de se humilia proferendo. Vnde ipsa dixit. Magnificat anima mea Dominum. Ecce hastile rectum, sed audi folia deorsum. Respexit humilitatem ancillæ suæ. In huius significationem dicitur Exod. 25. Facies cãdelabrum ductile de auro mundissimo, hastile eius & folia ex ipso procedentia. Candelabrũ Dei est Maria, quæ fuit ductilis per obedientiam, & de auro mundissimo per charitatem. Cuius hastile fuit intentio eius recta, & lilia fuerunt eius verba humilia, quæ omnia procedunt de ipsa. Nos autẽ econuerso habemus hastile reflexum deorsum per obliquam intentionem iuxta illud Matth. 23. Omnia opera sua faciũt, ut uideãtur ab hominibus. Folia autem, i. uerba habemus elata sursum per blasphemiam per detractionem, & elationem. Psalm. Iniquitatem in excelso locuti sunt. Item. Posuerunt in cœlum os suum, uiris cœlestibus detrahendo, & se usque ad cœlum magnificando, sed tamen lingua eorum transiuit in terra, de terrenis loquendo, & ea diligendo.

Tertia causa est, quia lilium integrum redolet, & confractum fetet. Corpus igitur Virginis fuit tanquam lilium integrum, quia semper remansit illibatum, & ideo semper fuit odoriferum. Fuit. n. tinctum unguento odorifero, quòd ipsum seruauit integrum, & fecit odoriferum. Istud aũt unguentum fuit confectum de tribus speciebus aromatum. De quibus dĩ Eccles. 24. Sicut cinnamomum, & balsamũ aromatizans.

tizans. Fuit enim confectum de balsamo deitatis. Tūc enim Deus eius uterum imbalsamauit, quando deitatem suam ibi posuit. Fuit confectum de myrrha castitatis. Myrrha enim conseruat corpus à putredine, & significat castitatem, quæ seruat corpus à corruptione. Ex ijs enim tribus speciebus aromaticis. s. cinnamomo humilitatis, ex balsamo deitatis, & ex myrrha castitatis, confectum est illud unguentarium, ex quo corpus eius fuit inunctum, & ideo semper fuit odoriferum, & integrum. De talibus unguentis dicitur Cant. 1. Odor unguentorum tuorum super omnia aromata. Et quoniam ut dictum est lilium integrum redolet confractum fętet, ideo eius corpus virgineum semper redoluit, quia semper integrū fuit. Nostra autem corpora cum sunt corrupta sunt fętida. Isa. 34. De cadaueribus eorum ascendet fętor. Iohel. 1. Computruerunt iumenta in stercore suo.

Quarta causa est, quia lilium oritur de spinis, & moratur inter spinas, & tum propter hoc non amittit suum odorem, nec candorem, immo quāto à spinis pungitur, tanto plus eius odor sentitur. Sic beata Maria orta fuit de spinis, id est de Iudæis spinosis, & fuit ab eis puncta spina doloris. Luc. 2. Tuā ipsius animam pertransibit gladius, & tamen ipsa semper seruauit candorē suæ innocentiæ, & odorem suæ famæ, & quātò plus aduersitates eam pungebant, tanto maiorem odorem spirabat. Cant. 2. Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias, quando lilia ponuntur cum lilijs maiorem odorem reddunt, quando uero sunt cum spinis, nihilominus seruant odorem suum quando uero spinę ponuntur cum spinis, tunc dant sibi mutuas punctiones. quādo enim boni sunt cum bonis simul, tunc sunt lilia cum lilijs, & tunc tot dant odores, quot habent uirtutes. Matt. 18. Vbi duo uel tres congregati sunt in nomine meo, &c. Christus enim est lilium. Cant. 2. Ego flos campi, & lilium conuallium. Sancti uiri sunt hortus Dei, in quibus crescunt lilia uirtutum. Cant. 2. Dilectus meus descendit in hortum suum, ut pascatur in hortis & lilia colligat. Qn̄ enim serui Dei sunt insimul congregati tūc sunt lilia cū lilijs posita, & ipse Christus q̄ est amator liliorū est in medio ipsorū, & colligit lilia uirtutum. Qn̄ uero boni sunt cū ma-

lis, tunc ſunt lilia cum ſpinis, & tunc boni debent ſeruare candorem ſuæ innocentiæ, & odorem ſuæ famæ. Talis erat illud lilium cum ſpinis, qui dicebat. Cum his, qui oderunt pacem eram pacificus. Quando verò mali ſunt cum malis, ſuperbi cum ſuperbis, tunc ſunt ſpinæ cum ſpinis, & tunc mutuo ſe pungunt. Prouerb. 13. Inter ſuperbos ſemper iurgia ſunt.

Quinta cauſa eſt, quia lilium habet ſex folia, & ſex angulos in radice iuxta numerum foliorum. Sex folia ſunt ſex verba, quæ dicit Virgo beata. Sex enim vicibus legimus ipſam locutam fuiſſe, bis cum Angelo, ſcilicet, quando dixit: Quomodo fiet iſtud. Et quando dixit. Ecce ancilla Domini. Semel apud Heliſabeth, quando eam ſalutauit, & Deum benedixit. Bis cum filio, quando dixit. Fili quid feciſti nobis ſic. Et quando dixit. Vinum non habent. Semel cum miniſtris nuptiarum, quando dixit. Quodcunq; dixerit vobis facite. Iſta autem ſex folia, ſiue uerba procedebant ex radice charitatis, quia omnia fuerunt verba charitatiua, ideſt, charitate plena. Et quamuis una ſit radix charitatis, habet tamen ſex dilectionis modos, ſicut radix lilij quamuis ſit vna tamen habet ſex angulos. Primus modus fuit quo ipſa dilexit Deum ipſum ſuper omnia reuerendo. Secundus quo dilexit animã ſuam, ipſam in oĩ ſanctitate cuſtodiendo. Tertius quo dilexit corpus ſuum, ipſum in diuinitate cuſtodiendo. Quartus quo dilexit domeſticos, & propinquos ipſos moribus informando. Quintus quo dilexit amicos in Deum. Sextus quo dilexit inimicos propter Deum.

Sexta cauſa eſt, quia thalami, & cœnacula regum lilijs adornantur, ut iocundius quieſcant, & ueſcantur. Et quia vterus Virginis fuit thalamus, & cœnaculum Chriſti, ideo totus fuit lilijs adornatus, & circundatus, iuxta illud Cant. 7. Venter tuus ſicut aceruus tritici, uallatus lilijs. Tota enim fuit lilijs uallata. Nam à ſuperiori fuit vallata lilio eminentis charitatis. Ab inferiori lilio profundæ humilitatis. Ab interiori lilio internæ puritatis. Ab exteriori lilio virginitatis. A dextris lilio temperantiæ in proſperis. A ſiniſtris lilio patientiæ in aduerſis. Ab anteriori lilio prouidentiæ in futuris. A poſteriori lilio iuſtitiæ in præteritis, quia pro præteritis beneficijs

ſemper Deo gratias referebat. Et hoc debitum iuſtitiæ requi rebat. Et quia fuit lilijs uallata,& circundata, ideo de ea cantat eccleſia. Et ſicut dies uerni circundabant eam flores roſarum. Inter iſta lilia dilectus, ideſt, Chriſtus pſcebatur. Can. 2. Dilectus meus mihi,& ego illi, qui paſcitur inter lilia. Nam modo paſcebatur lilio ſuperiori, quia delectabatur in eius charitate. Modo lilio inferiori, quia delectabatur in eius humilitate. Modo lilio interiori, quia delectabatur in eius puritate. Modo lilio exteriori, quia delectabatur in eius uirginitate. Modo lilio à dextris, quia delectabatur in eius temperantia. Modo lilio à ſiniſtris, quia delectabatur in eius patientia. Modo lilio anteriori, quia delectabatur in eius prudentia. Modo lilio poſteriori, quia delectabatur in eius iuſtitia. Et quoniam ſic tota fuit florida, ideo omnia, quæ per ipſam offerimus ſunt Deo accepta. Ber. in ſermone de nati. Virginis. Quicquid illud eſt, quod Deo offerre paras, gratiſſimis manibus Mariæ trade. Nimirum cādidiſſima lilia ſunt, nec cauſabitur ille liliorū amator, inter lilia inueniam, quic quid ſit, quod inter Mariæ manus interuenerit.

Septima cauſa eſt, quia lilium habet multiplicem uirtutē. Nam tumorem ſedat, ſaniē purgat, morſum ſerpentis purgat. Eodem modo Virgo Maria ſanat tumorem ſuperbiæ exemplo ſuæ humilitatis, purgat ſaniem luxuriæ, exemplo ſuæ vir ginitatis, curat morſum ſerpentinę auaritiæ, exemplo ſuę pau pertatis. Auarus enim eſt morſus, ſiue cibus ſerpentis, quia auarus terram diligendo terra efficitur, & terra ſit cibus ſerpentis, iuxta illud Geneſ. 3. Terram comedes cunctis die bus uitæ tuæ. Ideo auarus datus eſt ſerpenti infernali in cibum.

LVX, ET LVMEN TRIBVITVR BEATAE *Virgini varijs reſpectibus.* *Sermo LXXX.*

LVCIDA, & luminoſa tota eſt Maria. De cuius luce, & luminoſitate dicitur Can. 6. Quæ eſt iſta quæ progreditur quaſi aurora conſurgens, pulchra ut Luna, electa ut Sol, terribilis ut caſtrorum acies ordinata. Iſta autem luminoſi-

luminositas potest attendi ex parte sui, & ex parte nostri. Nam inquantum attenditur ex parte nostri, ipsa quibusdam lucet ad instar auroræ, s. quando tenebras culpæ fugat, & lucem gratiæ donat. Quibusdam ad instar Lunæ, quando eos ab æstu uitiorum refrigerat. Quibusdam ad instar Solis, quando eos ad amorem Dei inflammat, & accendit. Quibusdam ad instar aciei armatæ, quando ex refulgentia suorum meritorum dæmones terret, & fugat.

Secundò ista luminositas potest attendi ex parte sui, & tunc dicendum, quòd in ea fulsit lux auroræ in sui sanctificatione. Tunc enim Spiritus sanctus omnem nubem peccati originali abstulit, & ideo tota clara fuit, & refulsit. 2. Reg. 23. Lux auroræ oriente sole in mane absque nubibus rutilat. Aurora aūt mox vt incipit semper crescit, donec diem perfectū facit. Sic beata Virgo post sui sanctificationem in utero semper creuit, donec perfectionis cumulū apprehendit. Prouer. 4. Semita iustorum quasi lux splendens procedit, & crescit usq; ad perfectum diem. Ipsa enim fuit lux splendens in sanctificatione, & processit in Spiritus sancti superuentione, & facta est perfecta dies in sui Assumptione. Secundò in ea fuit lux Lunæ, & hoc in filij Dei conceptione. Eccl. 43. A luna ostensio temporis, & in signum eui. A luna signum diei festi. Ipsa enim sapientia diuina incarnata tunc ostendit suam temporalitatem, & festiuitatem, & æternitatem. Suam temporalitatem quantum ad naturam humanam, quam in tempore assūpsit, ideo dicitur. Ostensio luna temporis. Suam æternitatem quantum ad naturam diuinam, ideo subditur. Et signum eui. Suam festiuitatem, quando naturæ humanæ naturam diuinam uniuit, unde subditur. A luna signum diei festi. Tunc enim magnum festum fecerunt pater, qui ipsum filium incarnatum constituit. Filius qui ipsam naturam humanam sibi vniuit. Spiritus sanctus qui in Virgine superuenit Virgoque suæ carnis materiam ministrauit. Et ipse Angelus, qui hæc omnia nunciauit. Omnes isti in coniunctione naturæ humanæ cum diuina magnum festum fecerunt in utero Virginis. Tertiò fulsit in ea lux solis, & hoc in sui Assumptione. De sole dicit Aug. Videmus solem fulgentem, calentem, & urentem,

Ipsa

Ipsa quidem est modo tota fulgida præ ineffabili claritate; tota ignita præ indicibili charitate, tota uelox & prōpta præ viscerosa pietate. Quartò. fulsit in eâ lux castrorum, ut acies ordinata, & hoc in omnium sanctorum, & angelorum ueneratione. Acies castrorum uno modo appellatur dispositiones stellarum, idest angelorum, & sanctorum, qui eam circundāt uenerantur & ornant. Ista est illa mulier, de qua dicitur Apocal. 12. quòd in capite eius erat corona stellarum duodecim. Duodenarius numerus ex duplici senario perficitur. Senarius autem est perfectus numerus. Per primum igitur senarium intelliguntur omnes de ecclesia militanti, qui habent perfectionem gratiæ. Per secundum senarium intelliguntur omnes sācti de ecclesia triumphanti, qui habent perfectionem gloriæ, Omnes isti sunt Beatæ Mariæ fulgens corona, quia ipsa est omnium regina.

BEATA VIRGO PIE CONSIDERATVR, cur dicatur Luna. Sermo LXXXI.

LVNA dicitur Maria propter quatuor causas. Primò propter humilitatem suā. Sicut enim luna omnibus planetis est inferior, sic & Maria fuit oībus sanctis humilior. Vnde & cum Lucas oēs Apostolos connumerasset ipsa in fine omnium connumerari uoluit tāquam quæ inferiorem se reputauit, ut hr̄ Act. 1. Hoc autem habet Luna proprium, quia crescit usque ad quartumdecimū, uel quintūdecimū diem, quousque. s. ipsa imago cuiusdā hoīs integræ videatur, & vltra crescere non pōt, & postea decrescit. Eodem modo Mariæ usq; ad ætatis suæ quartumdecimū annum, & ultra amplius non potuit crescere, quia tunc in illa ætate creditur Christum concepisse, & tunc ipse qui est imago inuisibilis Dei, in eius utero uir perfectus extitit, non quantum ad ætatē, sed quātum ad sapientiā, & oīum gratiarū plenitudinē. Hier. 31. Nouū faciet Deus super terrā, mulier circundabit virū. Postq̄ in tantum creuit statim in sua reputatione decrescere cæpit, quia non matrē Dei non reginam cœli, sed ancillam Dei se reputauit dicēs, Respexit humilitatē ancillæ suæ,

Ideo dicitur Eccl. 43. Luna quod est luminare, quod minuit in consumatione, quia beata Virgo se humiliauit multum in filij Dei conceptione, sed postmodum decreuit præ tristitia, & dolore in sui passione. Luna autem crescens habet cornua uersus solis ortum, decrescens verò uersus Solis occasum, quæ habuit Maria, quæ ipsam disposuerunt ad Christi ortum, s. humilitatem, & virginitatem, cum quibus quasi cum duobus cornibus circunrespiciebant eius ortum. Eius autem occasum, idest, passionem respexit cum alijs duobus cornibus, cũ dolore quem habuit in filij morte, & cum gaudio quem habuit de humani generis redemptione.

Secundò dicitur Luna propter pietatem. Ipsa autem pietatem ostendit maximè super tria genera hominum. Primò super illos, qui sunt in deuotione aridi. Sicut enim Luna est magis propinqua terræ cæteris planetis, sic & ipsa vicina est illis, qui se reputant aridos sicut terra, qui suam ariditatem cognoscentes dicunt cum Ps. Anima mea sicut terra sine aqua tibi. Et sicut crescente Luna crescunt medullæ, sic & adueniẽte auxilio Virginis crescit medulla deuotionis. Deuotio enim est medulla, & irrigatio ossium. Prouer. 3. Sanitas quippe erit in vmbilico tuo, & irrigatio ossium tuorum. Secundò ostendit super illos, qui sunt amaricati. Sicut enim Luna mari dominatur, sic & ipsa tribulatis auxiliatur, vnde ipsa uocatur stella maris. Tertiò ostendit super illos, qui sunt in tenebris peccatorum inuoluti. Sicut enim Luna lucet in nocte, sic Maria lucet peccatoribus, , qui sunt in obscuritate culpæ. Nam sicut dicitur Gene. 1. Fecit Deus duo magna luminaria & posuit in firmamento cœli, luminare maius, idest, Christus, ut preæsset diei, & luminare minus, idest, Maria, ut præesset nocti, idest, peccatoribns, qui sunt in obscuritate culpæ. Et sicut Luna præ cæteris planetis perficit cursum suum, sic Maria prę cæteris sanctis peccatoribus citius præbet auxilium suum.

Tertiò dicitur Luna propter suam vicinitatem, unde dicitur de Luna secundum unam literam Eccl. 43. Vas castorum in excelsis. Vas in firmamento cœli resplendens gloriosæ. Luna enim dicitur uas castorum, quia ad literam olim mulieres castæ, & casti uiri ipsam uocabant Lunam lucinam, sed mo-

do

do per syncopam dicitur Luna. Vnde dicit de ea Virgilius. Casta fame lucina tuis. Habebat enim uirgines duas deas, scilicet, ipsam Lunam, & unam aliam quam uocabant Vestem. Vnde & deæ Vestę fecerunt templum, & ibi in virginitate suis obsequijs insistebant. Istud uas castorum fuit beata Virgo quæ intra sua uiscera pietatis, recipit omnes qui habent munditiam castitatis, & resplendet in firmamento cœli gloriosè, quia in ecclesia militanti omnibus dat exemplum virginitatis perpetuæ.

QVAE LVCIS DISCRIMINA HABET Luna, æqualia habet & Beata Virgo.

Sermo LXXXII.

LVNA est beata Maria. Ipsa enim est Luna pulchra. Can. 6. Pulchra ut Luna. Eccl. 53. Quasi Luna plena in diebus suis. Et Luna perfecta. ps. Thronus eius sicut sol in conspectu meo, & sicut Luna perfecta in æternum, &c. Est igitur Luna immo pulchrior, quàm Luna. Luna enim habet lucem mutuatam, eclypsatam, uariatam, & maculis respersam. Habet quidem lucem mutuatam, quia non lucet luce propria, sed à sole mutuata. Tales sunt hypocrite, qui habent lucem mutuatam, non à uero sole iustitiæ, sed ab humano fauore. Ioan. 5. Quomodo potestis uos credere, qui ab inuicem gloriam quæritis, & gloriam quæ à solo Deo est non quæritis? Virgo quidem beata habet lucem mutuatam, sed à sole iustitiæ, non ab humano fauore. Psalm. Omnis gloria eius filiæ regis, &c. Secundò Luna habet lucem eclypsatam, sic & beata Virgo uisa est eclypsari propter doloris uehementiam, sed eclypsari no potuit quo ad fidei constantiam. Eccle. 24. Vsque ad futurum sæculum non desinam. Fides quidem Apostolorum in passione desijt, sed fides Mariæ desinere non potuit. Tertiò Luna habet lucem uariatam, quia sæpe in luce uariatur, & mutatur. Vnde dicitur Eccle. 22. Stultus, ut Luna mutatur. Est autem quadruplex mutabilitas. Prima est in mente, quæ per diuersas affectiones sæpe mouetur. Secunda est in corpore, quę multiplici mutabilitati, & corruptioni subijci-

perdidit suum. Spiritus enim Mariæ magis erat in filio, quã in corpore proprio. Ber. Tuam Virgo Beata pertransiuit animam uis doloris, vt te plusquam matrem non immerito prę dicemus, in qua nimirum corporeæ sensum passionis, excessit affectus compassionis. Nihilominus tamen etiam tunc lucebat, quia lumen fidei inextinguibiliter conseruabat. Sapient. 7. Inextinguibile est lumen illius. Prouer. vlt. Non extinguetur in nocte lucerna eius. Eccles. 24. Ego feci in cœlis, ut oriretur lumen indeficiens. Duo quidem sunt cęli, qui nunquam lumẽ suum amiserunt, scilicet, Christus, qui etiam in morte non perdidit lumen suæ deitatis, sed etiam eius deitas fuit cum corpore in tumulo, & cum anima in limbo. Aliud cœlum fuit mater sua, quæ lumen fidei, & gratiæ nunquam amisit. Quando Luna est super terram, & sol recto diametro in opposito subtus terram, tunc Luna obscuratur, uel obfuscatur, siue eclypsatur, sed non sic est de Luna nostra, quia quando sol Christus fuit subtus terram in inferno Luna nostra super terram remansit, & tamen lumen fidei amittere non potuit, quia vmbra terræ, idest infidelitas terrenorum ad eam ascendere nequiuit, & tenebra infidelitatis eam non comprehendit. Vnde quod dicitur de filio potest dici de ipsa lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt, cæteræ autem stellæ, i. Apostoli obscurati fuerunt, quia lucem fidei perdiderunt. Iob 3. Obtenebrentur stellæ calligine eius.

A PROPRIETATIBVS LVCIS DICITVR lux meritò Beata Virgo. Sermo LXXXIIII.

LVx dicitur beata Maria propter multas ipsius lucis proprietates. Lux enim primo habet in situ sublimitatem, quia oritur de cœlo, & in cœlo. Eccle. 24. Ego feci in cęlis, vt oriretur lumen indeficiens. Istam sublimitatem habet Virgo Maria, quæ est sublimior uniuersis Eccl. 25. Quare dies diem superat, quia dies ęstiualis superat diem hyemalẽ, & lux Solis lucẽ Lunæ, & annus annum, & Sol Solẽ, ad literam ẽm dies superat diem, quia dies æstiualis superat diẽ hyemalẽ, & lux Solis lucẽ Lunæ, & annus solaris annũ solarẽ,

quia solaris habet 365. lunaris vero 354. Sol etiam superat solem non alium, sed seipsum in calore, & in mora. Nunc enim calidior nunc minus calidus sentitur. Nunc plus moratur, nunc modo emisperior, nunc vero minus. Possunt tamẽ ista verba exponi de Beata Virgine. Sancti enim sunt dies. 1. Thessal. 5. Omnes vos filij lucis, & filij Dei. Angeli vero sunt lux. Genes. 1. Fiat lux, & facta est lux. Beata autem Maria in præsenti vita etiam fuit dies propter claritatem, & & sanctitatem suæ vitæ, & fuit lux propter puritatem uirginalis munditiæ. Dies ergo superat diem, quia eius sanctitas superabat omnem sanctitatem humanam, & lux superabat lucem, quia eius puritas superat omnem puritatem angelicam. Non tantum superabat sanctos, & angelos dum esset in hac vita, sed etiã superabat omnes qui sunt in gloria. Et ideo subditur. Et annus annum, & sol solem. Est enim quidam annus qui est æternitatis qui est in gloria, & est annus temporalis, qui est in præsenti uita. Sancti igitur qui sunt in gloria, sunt in anno æternitatis quantum ad animam, sed in anno temporalitatis quantum ad corpus, quia eorum corpora adhuc corruptioni subijciuntur. Beata autem Virgo est in anno æternitatis, & quantum ad animam, & quantum ad corpus, & ideo eius annus alios annos superat, similiter & sol solem superat. Animæ enim Beatorum ad instar solis splendent Dei claritate, & calent Dei amore. Sed tamen anima B. Virginis omnibus alijs plena est maiori Dei cognitione, & fulget magis Dei amore. Et ideo sol superat solem. Secundò lux habet in substantia puritatem. Sic & Virgo Beata omnimoda habuit puritatem. Non.n. est aliquis ita sanctus in cuius cor aliquando non intret aliqua uana cogitatio, uel sinistra intẽtio, uel aliqua carnalis affectio. De ista autem dicitur Sap. 7. Vapor eius uirtutis Dei, & emanatio quædam claritatis Dei sincera, & ideo nihil inquinatum in illã incurrit. Ipsa.n. habuit cogitationes odoriferas. Ideo dicitur, ꝙ sit uapor Dei. Habuit intentiones sinceras. Ideo dicitur ꝙ sit sincera emanatio Dei. Habuit affectiones mũdas. Ideo dicitur, ꝙ nihil inquinatum in illa incurrit. Tertiò lux habet in aspectu delectabilitatem. Eccl. 11. Dulce lumen, & delectabile est oculis uidere solem.

Tria sunt in Beata Virgine, quæ faciunt Dei magnam delectabilitatem, scilicet decora facies eius. Dulcedo vocis eius. Et pulchritudo eius. De duobus primis dicitur Cant. 2. Ostende mihi faciem tuam sonet vox tua in auribus meis. Vox enim tua dulcis, & facies tua decora. Pulchritudo vero eius tanta est, quòd vincit omnem aliam pulchritudinem. Sap. 7. Speciosior est sole. Vincit pulchritudinem intellectualem, & super omnem dispositionem stellarum luci comparata inuenitur prior. Vincit pulchritudinem rationalem. Illi enim succedit nox. Sapientia autem vincit malitiam. Ex quibus verbis habetur, quòd eius pulchritudo vincit pulchritudinem corporalem, scilicet solis. Ideo dicitur. Speciosior est sole. Vincit pulchritudinem intellectualem. Ideo subditur. Super omnem dispositionem stellarum, idest angelorum luci comparata inuenitur prior. Vincit pulchritudinem rationalē, quia nō est aliquis in hac vita in cuius intellectu nō sit aliqua nox ignorantiæ, & in affectu aliqua macula affectionis terrenæ. Sed Beata Virgo habuit intellectum clarissimum sine nocte alicuius ignorantiæ. Ideo subditur. Illi enim, scilicet luci rationali succedit nox. Habuit enim affectum sine macula alicuius affectionis terrenæ. Ideo subditur. Sapientia aūt vincit malitiam. Propter ista tria tam Deo delectabilia. s. faciē eius, vocem eius, & pulchritudinem eius, dicitur Iudith 11. Non est talis mulier super terram in aspectu, in pulchritudine, in sensu verborum. Quartò lux habet in motu velocitatē, quia sine temporis spatio replet omnia in momento. Sic B. Virgo est velocissima ad nobis subueniendū. Sap. 7. Omnibus mobilibus mobilior est sapientia. Ipsa enim desiderantes præoccupat Sap. 6. Præoccupat qui se concupiscunt, vt se illis prior ostendat. Ipsa circuit, vt inueniat seipsa dignos existentes. Dignos seipsa circuit quærēs, & in vijs suis ostendet se illis hilariter, ipsa obuiat quærentibus. Eccle. 16. Obuiabit illi quasi mater honorificata. Ipsa assistit inuenientibus. Sap. 6. Qui de luce vigilauerit ad illam non laborabit. Assistente. n. illam foribus suis inueniet. Quintò lux habet in affectu vtilitatē, quia dirigit itinerantes, excitat dormientes, calefacit frigidos, & assecurat timidos. Sic lux grāæ Dei, q̄ hr̄ per Mariā, itinerātes

per viam huius mundi dirigit. Io. 12. Qui ambulat in tenebris nescit quo vadat, quia lucem huius mundi non videt. Secundò dormientes in peccatis surgere facit. Ephes. 5. Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus, id est gratia Christi, quæ habetur per Mariam. Ipsa frigidos in Dei amore calefacit. Vbi enim minus est de luce, ibi minus de calore. Sed Beata Virgo lucem suæ gratiæ spargit, & sic æstum diuini amoris in cordibus nostris accendit. Iob. 37. Per quam viam spargitur lux, diuiditur æstus super terram. Ipsa timidos securos reddit. Multi enim timent in tenebris, qui in luce sunt securi. Et ista securitas de æterna beatitudine non habetur nisi per spem. Dominus illum. natio mea, & salus mea quem timebo. Et infra. Si consistant aduersum me castra in hoc ego sperabo. Propter ista quatuor ipsa dicit Ecclesiast. 24. Ego mater pulchræ dilectionis, &c. Ipsa enim frigidos in Dei amore calefacit. Ideo dicitur. Mater pulchræ dilectionis. Ipsa dormientes in peccatis surgere facit. Ideo dicitur. Timoris, quia sicut dicitur Prouer. 15. Per timorem Domini declinat omnis à malo. Ipsa errantes in via salutis sapienter dirigit. Ideo dicitur. Et agnitionis. Ipsa timidos ad spem salutis reducit. Ideo dicitur. Et sanctæ spei.

DIGNITAS BEATAE VIRGINIS PVLchritudo, & bonitas facit vt dicatur lux.
Sermo LXXXV.

LVx Beata Maria merito dici potest. Lux enim omnia corpora excellit sua dignitate, vnde dicit Augustinus, quòd inter corpora lux primum locum tenet. Omnia clarificat sua pulchritudine. Vnde dicit Ambrosius, quòd lux facit vt cætera mundi membra sint pulchra & laudibus digna, omnibus se communicat ex sua bonitate, quia bonum est sui communicatiuum. Ideo lux est tantæ bonitatis, quia mox, vt ipsa oritur per totum orbem diffunditur. Beata igitur Maria dicitur lux propter suam dignitatem pulchritudinem, & bonitatem. Sicut enim lux excedit omnia corpora, sic

Tertiò dicitur Luna perfecta. Tunc autem Luna est perfecta quando habet lucem perfectam, & illuminat noctem totam. Sunt quidam qui habent lucem plenam, quia habent actiuam, & contemplatiuam uitam. Alij semiplenam, quia habent tantum alteram illarum. Alij vacuam, quia carent utraque. Virgo autem Maria semper fuit Luna perfecta, quia semper utraque uita refulsit. Luna etiam tunc est perfecta, quando lucet in principio noctis, in medio, & in fine. Sunt quidam qui fulgent in principio, sicut bene incipientes. Alij in medio, sicut bene proficientes. Alij in fine, sicut bene finientes. Virgo autem beata fulsit in principio suo, quia in utero fuit sanctificata. In medio, quia fuit à filio Dei impregnata. In fine, qa fuit ad Christi dexterã gloriosè assumpta. Psal. Astitit regina à dextris tuis. Item. Thronus eius sicut Sol in conspectu meo. Vel potest dici, quòd ipsa est thronus Dei inquantum in ipsa Deus sedit, & requieuit. Et sicut Sol, inquantum dat iustis lucem sapientiæ, & calorem diuinæ iustitiæ. Et sicut Luna, inquantum lucet peccatoribus, qui sunt in nocte culpæ. Vel inquantum lucet in tribulatione. Et est sicut testis fidelis, inquantum dicit ueritatem coram Deo pro utriusq;, scilicet, iustis, & peccatoribus, quia sicut dicitur Prouer. 14. Testis fidelis non mentietur.

APTE REFERVNTVR AD B. VIRGINEM accidentia Lunæ circa lumen. Sermo LXXXIII.

LVNA aliquando ex toto est tota obscura. Aliquando ex to est lucida. Aliquando ex parte obscura. Aliquando ex parte lucida. Et significat Virginem Mariam, quæ aliquando fuit obscura, aliquando lucida. Aliquando ex parte obscura, aliquando ex parte lucida. Luna autem tripliciter obscuratur sicut dicit Aug. Aut quando nubibus obumbrat. Aut quando eclypsatur. Aut qñ renouatur sicut patet in noui lunio. Sic B. Virgo in hoc mundo fuit tripliciter obscurata. Primò propter nimiam humilitatem, quę fuit quasi quędam nubes obscura, quæ suam claritatem obumbrauit. Can. 1. Nigra sum, sed formosa. Ac si dicat. Nigra sum exterius per humilitatem, sed formosa interius per maiestatem.

sic Virgo excedit omnia creata tam angelos, quàm alios Sanctos. Sap. 7. Super omnem dispositionem stellarum, id est angelorum, & sanctorum luci comparata prior inuenitur. In hoc etiam ostenditur eius magna dignitas, quia sicut de luce primaria lucida nubecula Sol fuit factus, sic de Virgine lucida Sol iustitiæ fuit natus. In hoc etiam apparet eius dignitas, quia cæteri Sancti vocantur luminaria, vt habetur Phil. 2. Ipsa vero dicitur sole amicta, vt habetur Apoc. 12. Bernar. Iure Maria sola perhibetur amicta, quia diuinę sapientiæ profundissimam penetrauit abyssum, vt quantum creaturæ conditio sicut personali vnione patitur illi luci inaccessibili videatur immensa.

Secundò dicitur lux propter suam pulchritudinem de cuius pulchritudine dicitur Sap. 7. cap. Candor est enim lucis æternæ, & speculum sine macula, & nihil inquantum in ea incurrit. Habuit enim corpus candidum & Virgineū. Habuit spiritum tanquā speculum, quia clarè speculabatur Deum. Habuit aīam incoinquinatam, quia nullum habuit peccatū.

Tertiò dicitur lux propter suam bonitatem qua omnibus beneficia sua communicat, vnde potest dici illud de ea illud Isa. 49. Dedi te in lucem gentium, vt sis salus mea vsque ad extremum terræ. Nam secundùm capacitatem recipientium infundit lucem suam gratiarum. Prouer. 4. Iustorum semita quasi lux splendens procedit, & crescit vsque ad perfectum diem. Quibusdam se infundit in modū aurore siue lucis splendentis sicut incipientibus quibus dat gratiam pręeminentem. Alijs in modum lucis crescentis sicut proficientibus quibus dat gratiam proficiētem. Alijs in modum diei perfectę sicut ipsis perfectis quibus dat gratiam perficientem. Vel potest dici ꝙ lux habet multiplicē virtutem propter quas Virgo Beata luci assimilatur. Primò enim habet virtutem lætificatiuam. Prouer. 15. Lux oculorum lætificat oculos. Sic Beata Virgo lętificauit Deum propter suam humilitatem. Hester. 8. Iudęis noua lux oriri visa est, gaudium honor, & tripudium. Ipsa.n. fecit gaudium Deo, honorem generi humano, & tripudium angelo. Secundò lux habet virtutem conuersiuam. Nam in visceribus terræ argentum viuum conuertit in aurum. Sic

etiam

etiam Virgo beata homines instabiles, & fluxibiles sæpe facit perfectos, & perseuerantes dum eorum uiscera penetrat; & ea illustrat. Eccle. 24. Penetrabo inferiores partes terræ. Iob 22. Dabit pro terra scilicem, & pro scilice torrentes aureos. Sunt quidam terreni .i. fragiles, & infirmi. Alij sunt sicut silex, idest, constantes, & fortes, sicut boni actiui. Alij sunt aurei .i. charitate pleni sicut contemplatiui. Beata igitur Virgo dat pro terra scilicem, q̃ñ actiuos debiles facit ẽt contemplatiuos, & in Dei amore deuotos. Tertiò lux habet virtutem maturatiuã. Fructus enim acerbos fouet, & nutrit, & ad maturitatem, atq; ad dulcedinem perducit. Nam ſm Philosoph. Sol est pater planetarum, & Luna mater. Sic etiam Maria affectiones immaturas .i. indeuotas perducit ad maturitatem, hoc est ad internæ deuotionis suauitatẽ. Et sic Christus omnium affectionũ sanctarũ est pater, ita Maria est mater, vnde dr̃ Deut. 33. De pomis fructuum Solis, & Lunæ .i. generatis, & maturatis beneficio Solis, idest, Christi, & Lunæ .i. Virg. Mariæ. Fructus etiam acerbos .i. tribulationes amaras conuertit in dulcedinem, qđ significatum est Io. 2. Vbi Christus ad preces matris aquam conuertit in uinum, quia Deus ad preces Virginis aquas tribulationis conuertit in uinum internæ consolationis.

QVIA B. VIRGO QVINQVE EFFECTVS *habet gratiarum, manus Dei dici potest.*

Sermo LXXXVI.

MANVS Dei est Virgo Maria, de qua dicitur Can. 5. Manus eius tornatilis aureæ plenæ hiacinthinis. Vbi quattuor dicuntur secundùm ꝙ ipsa est manus, & manus tornatilis, & aurea, & hiacinthina. Dr̃ aũt manus, quia sicut in manu sunt quinque distinctiones digitorum, sic in ipsa sunt quinque effectus gratiarum. Primus nanq; digitus pollex dicitur à polendo, eò ꝙ præ cæteris poleat virtute, & potestate. Secundus dicitur index, quia per illum omnia indicamus. Tertius dicitur medius, siue medianus, quia medius est hinc, & idem. Quartus dicitur medicinalis, quia eo à medicis tota collilia colliguntur. Quintus dicitur auricularis, quia per

eum

dum aures sculpimus, ut dicit Isido. Ita igitur B. Maria est nobis tanquam polex; quando potenter nos in ciuitatem cœlestem introducit. Eccl. 24. In Hierusalem potestas mea. Tunc est sicut index, quia sapienter uiã quæ ducit ad ciuitatem cœlestem nobis ostendit. Ipsa.n. ambulantib. obuiat, & per viã deducit. Eccl. 15. Obuiabit illi quasi mater honorificata. Prou. 4. c. Ducam te per semitas æquitatis, &c. Tunc est nobis sicut digitus medius, quando tanquam mediatrix Deo nos reconciliat. Tunc est nobis sicut digitus medicinalis, quando vulnera peccatorum nostrorum sanat. Eccl. 24. Medicina omnium in festinatione nebulæ. i. infestina subuentione Mariç, quæ dicitur nebula, quia fuit à terrenis eleuata. Tunc est sicut digitus auricularis, quando aurem cordis nostri aperit, vt Dei verba audiamus dicens Eccl. 39. Obaudite me diuini fructus. Eccl. 24 Qui audit me non confundetur.

Secundò ista manus fuit tornatilis, vas tornatile, quod à torno efficitur. Accipit autem ab ipso torno rotunditatem. A rotunditate mobilitatem. A mobilitate uelocitatem. Manus igitur B. Mariæ factæ sunt à torno, idest, ab opifice Deo, & ex hoc habent rotunditatem. Vas autem rotundum nullum habet angulum, quia ubi angulus ibi impuritas, ibi obscuritas, ibi obliquitas, sed ipsa ad tornum facta est, quia in ipsa nulla fuit impuritas culpæ, nulla obscuritas ignorantiæ, nulla obliquitas intentionis obliquæ. Secundò habet mobilitatem, uas quadrum ad mouendum est tardum, sed res rotunda ad mouendum est apta, sic & ipsa leui motu nostri desiderij cito mouetur. Sap. 6. c. Omnibus mobilibus mobilior est sapientia. Tertiò habet uelocitatem, quia uelociter ad auxilium nostrum uenit. Sapien. 7. Præoccupat qui se concupiscunt, ut eis se prior ostendat. Vnde ipsa dicere potest illud quod dicitur Isa. 65. Antequam clament ego exaudiam, & adhuc illis loquentibus ego audiam.

Tertiò ista manus fuit sicut aurum. Aurum est pulchrum, incorruptibile, & lucidum, siue clarum, sic & ipsa fuit pulchra in mente per puritatem, fuit clara in conuersatione per honestatem, fuit incorrupta in corpore & in mente per castitatem, & virginitatem. De his tri-

bus

bus dr Sap. 4. O q̃ pulchra est casta generatio cum claritate.
Quartò ista manus fuit hiacinthina. Assimilatur autẽ Virgo hiacintho, ratione nominis, coloris, & uirtutis. Ratione nominis, quia hiacinthus dicitur esse quidam flos colorem habens purpureum. Dicitur etiam esse lapis preciosus. Dicitur etiam esse nomen cuiusdam pueri famosi, qui inter illos flores mortuus est inuentus, & ab eius nomine flores illi uocati sunt hiacinthi, versus. Flos est hiacinthus lapis est hiacinthus homoque. Cum sit uterque bonus melior est tamen vir vtroque, per quod datur intelligi, quòd ipsa fuit tãquam flos.i. florida per uirtutum amenitatem. Vnde cantat ecclesia. Sicut dies uerni circundabant eam flores rosarum. Ipsa fuit sicut lapis preciosus propter Dei, & proximi charitatem. Isa. 28. Ponam in syon, idest in ecclesia militanti lapidem preciosum. De isto lapide precioso charitatis dicit Augnst. in lib. de doctrina Christiana, Thesaurus est magnus diuinarum scripturarum. Si piger eras ad perscrutandum thesaurum, non sis piger unam margaritam ferre sub lingua, & quouis securus ambula. Ipsa etiam fuit uirilis propter constantiam, & magnanimitatem. Prouer. vlti. Accinxit fortitudine lumbos suos, & roborauit brachium suum. Secundò dicitur hiacinthus ratione coloris. Nam sicut dicit Isidorus. Eius color nec nimis est clarus nec nimis obscurus, sed ex utroque temperatus. Deus habet infinitam claritatem. Homo uero respectu Dei habet quandam obscuritatem. Claritas autem beatæ Mariæ Virginis nec est clara sicut diuina, nec obscura sicut humana, sed est in medio constituta. Est quidem minor, quàm diuina, sed maior, q̃ angelica, uel humana. Iõ assimilatur Lunæ Can. 6. Pulchra ut luna. Sicut enim claritas Lunæ minor est, quàm claritas solis, sed maior, quàm claritas stellarum, sic claritas beatæ Virginis est minor, quã clarita Dei, sed maior, quàm claritas sanctorum, uel etiam angelorum.
Tertiò dicitur hiacinthus ratione virtutis. Sicut enim dicitur de proprietatibus lapidum, hiacinthus habet cor confortare, tristitiam expellere, inter inimicos tutum seruare. Sic ipsa confortat cor dans cibum gratiæ. Eccl. 15. Cibauit illum pane uitæ, & intellectus. Expellit tristitiam dans lætitiam iocũditatis

ditatis internæ. Ibidem. Iocunditatem,& exultationem thesaurizauit super eum. Et custodit ab insidijs fraudis diaboli. Sap. 4. Custodiuit illum dominus ab inimcis, & à seductoribus tutauit illum.

GRATIARVM GRADVS, QVI FVERVNT *in Beata Virgine, eam dici Mare approbant.* *Sermo* LXXXVII.

MARE dicitur Beata Maria, vnde etiam interpretatur amarũ mare. Sicut.n.in mare est congregatio oĩum aquarum,sic in ipsa est congregatio omnium gratiarum uocatur Maria, ut dicitur Gene. 1. sic congregatio omnium aquarum,idest omnium gratiarum uocatur Maria. In mari autem tria considerantur. Est enim origo fontium, ibi est plenitudo aquarum,ibi est amatitudo saporum. Sicut igitur Mariæ est origo omnium fontium, & fluuiorum, sic beata Virgo est origo,& principium omnium gratiarum. Et sicut à mari fluunt diuersæ aquæ,sic à Maria fluunt,& manant diuersæ gratiæ. A mari quidem fluunt aquæ puteales,fontales & fluminales. Istæ aquæ similiter fluunt ab ipsa. Canticorum 4. Fons hortorum,puteus aquarum uiuentium,quæ fluunt impetu de libano. Per istas tres differentias aquarum intelligun tur tres gradus gratiarum,quę omnes à Maria in nos fluunt, quæ sunt gratia incipiens, siue præueniens,proficiens,& perfecta. Gratia incipiens significatur per aquam putealem, de qua dicitur. Puteus aquarum uiuentium. Puteus habet aquã occultam, quia gratia præueniẽs peccatorum ex meritis suis non datur, sed quadam Dei occulta inspiratione infunditur. Et dicitur aqua uiua ex eo, quòd peccatorem, qui erat mortuus per culpam uiuificat per gratiam. Ista est aqua quæ egreditur à templo, idest à Maria, quæ est templum Dei,quæ uiuificat oĩa, ad q̃ uadit, ut habetur Eccl. 47. Per aquã fontalẽ intelligitur aqua perficiens, de qua dicitur fons hortorum,q hortus Dei sunt ipsi proficientes, in quibus sunt herbæ,& plãtæ diuersarum uirtutum. Sed nec ipse herbæ,& plantę possẽt germinare, nec crescere, nec proficere nisi sint ab ipsa aqua

gratiæ

gratiæ irrigatæ. Gen. 2. Fons ascendebat de terra, idest de Virgine Maria irrigans uniuersam superficiem terræ. Per aquam fluuialem, quæ fluuit cum impetu intelligitur gratia perfecta, de qua subditur. Quæ fluunt cum impetu, quia illos quos replet facit esse, sollicitos, & feruentes, propter quod dicitur Ezech. 1. Vbi erat impetus spiritus illuc gradiebantur. Impetus enim accipitur ibi in bonam significationem, scilicet, pro desiderio, & feruore. Talis impetus aquarū, idest talis feruor, & desiderium gratiarum facit magnā lætitiam animarum. Ps. Fluminis impetus lętificat ciuitatem Dei. Sunt enim quædā aquæ stantiuæ, quæ putrescunt, & significant peccatores, qui stant, & requiescunt in fęcibus peccatorum. Hier. 48. Requieuit in fęcibus suis. Aquæ quæ lentè fluunt significant tepidos qui lentè, & tepidè operantur. De quibus dicitur Apoc. 3. Vtinam frigidus esses, aut calidus, sed quia tepidus es, incipiam te euomere ex ore meo. Aquæ impetuosæ, quæ cum impetu fluunt significant uiros perfectos, qui sunt spiritu feruentes, & sollicitè operantes. Ro. 12. Spiritu feruentes. Ab isto etiā mari, idest Virgine Maria continuè in nos fluunt quatuor flumina, de quibus ipsa dicit Eccl. 24. Ego mater pulchræ, & dilectionis, &c. Olim totus mundus erat uacuus, amore Dei, timore Dei, fidei Dei, & spe Dei, sed uenit Maria, per quā inflāmemur, ut Deum diligamus. Influxit & timorem filialem, per quem incitemur, ut ipsum filialiter timeamus. Influxit cognitionem Dei, per quam ipsum ueraciter credamus. Influxit spē Dei, per quam in ipsum fiducialiter speremus.

Secundò in mari est magna plenitudo aquarum, sic in B. Maria fuit plenitudo maxima gratiarum. Bernar. tractans illud. Aue gratia plena sic dicit. Ipsa quidem plena fuit in ore gratia affabilitatis, in uentre gratia deitatis, in corde gratia charitatis, in manu, siue in opere gratia misericordiæ & largitatis. Propter istas quatuor plenitudines gratiarum ipsa dicit Eccl. 24. In me omnis gratia uitæ, & ueritatis, &c. In ipsa quidem fuit gratia uitæ inquantum, scilicet, illum qui est uera uita gestauit in uentre. In ipsa fuit gratia ueritatis, inquātum ueritatem & affabilitatem habuit in ore. In ipsa fuit gratia spei, inquantum misericordiā, & largitatem habet in ope-

te, quapropter omnes in eam, & de ea sperabant. In ipsa fuit gratia virtutis, inquantum habuit charitatem in corde. Ipsa enim charitas antonomaticæ dicitur virtus, ex eo quòd est forma, & perfectio omnium uirtutum.

Tertiò in mari est amaritudo aquæ, sic in B. Maria fuit quadruplex amaritudo. Prima causata fuit ex filij sui amissione. Vnde amaritudinem sui doloris ipsa expressit dicēs Luc. 2. Fili quid fecisti nobis sic. Ecce ego & pater tuus dolētes quærebamus te. Dolebat enim, quia timebat, q; in manus filiorū Herodis deuenisset, uel q; ad gentes longinquas prædicandas profectus fuisset, uel q; dimissa redemptione generis humani redemisset ad patrem. Secunda amaritudo fuit causata in ea ex intima compassione. Ipsa enim compassa fuit uerecundiæ sponsi, cui uinum in nuptijs defecerat. Fuit compassa populo suo, qui à Deo reprobatus erat. Quia enim nemo unquam carnem suam odio habuit, sed nutrit, & fouet eam, ut dicitur Ephe. 5. Ideo gentem suam, de qua descenderat, & quæ caro sua erat odire non poterat, sed ex sua excęcatione magnam compassionem habebat. Ipsa compassa fuit Apostolis qui in passione Christi fuerant dispersi, erant tribulati, erāt etiam à fide Christi separati. Tertia amaritudo fuit causata in ea ex dolorosa filij passione. Ille enim dolor in ea magnus fuit tripliciter, scilicet, intensiuè, quia usque ad animam penetrauit. Lucæ. 2. Tuam ipsius animam pertransibit gladius. Fuit magnus extensiuè, quia per dies quatuor se extendit continuos. Nam incępit eius dolor feria quarta, quia tunc mors Christi fuit firmata, & tractata. Continuatus fuit in feria quinta, quia tunc in sero fuit captus, colaphizatus, & delusus. Continuatus etiam fuit usque in feria sexta, quia tunc filius suus in sepulchro fuit clausus. Fuit magnus ostensiuè, quia dolorem suum ostendebat singultu cordium, abundantia lachrymarum, uocis clamosæ, conquæstione, pectoris tonsione, & manuum alllusione. Vnde poterat dicere illud Ruth. primo capitulo. Nolite me uocari noemi, idest pulchra, sed uocatæ me amara, quia amaritudine repleuit me dominus.

Quarta amaritudo causabatur ex sua in hoc mūdo pere-

grinatio. Et istā peregrinationem moleste ferebat quatuor de causis. Primò quia nimis lōgè erāt. Secūdò quia inter malos habitabat. Propter ista duo dicere poterat cum Propheta. Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est habitaui cum habitantibus cædar, multum incola fuit anima mea. Cedar interpretatur, tenebra, & significat Iudæos tenebrosos inter quos habitabat. Tertiò ex eo, quòd tota curia cœlestis ipsam cum desiderio expectabat, vnde poterat dicere cum Propheta. Educ de carcere animam meam, vt confiteatur nomini tuo, me expectant iusti, idest, omnes angeli, & sancti donec retribuas mihi. Quartò ex eo, quòd filij præsentia carebat qui erat fructus ventris sui, vnde potest dici de ea multo magis quam de alijs sanctis illud, quod dicit Propheta. Cum dederit dilectis suis somnum, ecce hæreditas Domini filij merces fructus ventris. In Christo quidem fuit vera diuinitas quam videre est tota merces, & tota gloria gloria beatorum. Est etiam in eo uera humanitas inquantum fuit fructus ventris Beatæ Virginis, quam etiam humanitatem videre est gloria, & beatitudo sanctorum.

MERITO AEQVIPARATVR BEATA VIRgo Margarita preciosa. Sermo LXXXVIII.

MARGARITA considerari potest quantum ad sui generationem, qualitatem, & uirtutem. Generantur autem Margaritæ secundùm Isid. in Conculinis marinis, vnde & a mari margaritę uocantur. Certo tempore maximè tēpore uernali, & in autumno ipse coclee ad littus maris accedunt, & ita se aperiunt, & rorem cœlestem intra uiscera sua rapiunt, ex cuius coagulatione margaritę generantur. Ista coclea siue concula est Virgo Maria, quę se aperuit, ut rorem cœlestem reciperet, & margaritam. i. Christum intra uiscera conciperet. Nam aperuit angelo consensum suum, ut Deo in omnibus obediret, quando dixit. Ecce ancilla Dñi. Nam aperuit Christo uterum suum, ut ibi eum reciperet. Aperuit Spiritui sancto animum suū, ut in eam superueniret. Et post apertionem consensus uteri, & animi sui ros cęlestis Spiritus sancti in

ẞi in eam descendit,& istam margaritam in eius utero gene rauit. De ista tali spiritus sancti roratione,& Beatę Virginis aptione dr̃ Isa.45. Rorate cœli desuper, & nubes pluuant iu-stum,aperiatur terra,& germinet Saluatorẽ. Ista est illa margarita de qua dr̃ Matt.13. Inuenta autem vna preciosa margarita abijt,& vendidit omnia,quæ habuit,& emit eam. Debemus.n.omnia, quæ habemus Deo vendere, vt possimus ipsam margaritam nobis emere.s. corpus nostrum per macerationem animam nostrã,& corpus nostrum per purificationẽ, & res nostras per claram largitionem. Secundò potest considerare quantum ad suam qualitatem. Sunt.n.ipsę margaritæ pulchrę,candidę,& clarę.Illę.n.quę sunt tales sunt meliores, quàm illę,quæ flauescunt. Nam illas,quæ sunt pulchrę, candidę, & clarę generauit ros matutinus. Alias autẽ generauit ros vespertinus. Ista talis margarita sic pulchra sic candida, & sic clara significat Virginem Mariam, quæ fuit pulchra in mente per puritatem,candida in carne per castitatem,& Virginitatem,& clara in opere per sanctitatem.Sap.4. O quam pulchra est. Ecce pulchritudo mentis. Casta generatio. Ecce candor,& virginitas carnis. Cum claritate. Ecce claritas, & sanctitas operis. Tertiò margarita potest considerari quantũ ad virtutẽ. Habet.n.primo virtutem abstersiuam,quia membra à superfluis humoribus abstergit. Secundò habet virtutẽ restrictiuam,quia fluxũ sanguinis,& ventris restringit. Tertiò habet uirtutem confortatiuam, quia cor debile habet confortare. Eodem modo B. Virgo per gratiam quam nobis infundit habet virtutem abstersiuam inquantum.s.in nobis abstergit omnia peccata præterita. Hẽt virtutem restrictiuam inquantum aĩum restringit,ne fluat ad peccata futura. Habet virtutem confortatiuam inquantum cor confortat,& fortificat circa mala præsentia. Ista.n.tria à Deo, & ab ipsa petere debemus,vnde super illud Mat.23.c.Orauit tertio eundẽ sermonem dicens, dicit glo. Tribus vicibus orauit, vt nos, & à præteritis peccatis veniam,& à præsentibus malis tutelam,& à futuris periculis cautelam oremus. Ista igitur à B. Virgine obtinemus.Vnde ipsa dicit Eccl.24.In me oĩs gratiæ uitæ,& ueritatis. In me oĩs spes vitæ,& virtutis.Ipsa quidẽ dat nobis

gratiā vitę qn̄ de peccatis præteritis dat ueniam, per quam peccatorē à morte peccati resuscitat. Dat gratiā veritatis, qñ circa futura pericula dat cautelam, per q̄ homo ipsa pericula uitare sciat. Dat gratiam uirtutis, quando contra mala præsentia dat tutelam, per quam hominem fortificat, ut à malis præsentibus se tueri ualeat.

DE SIGNIFICATV NOMINIS Mariæ. Sermo LXXXIX.

MARIAE nomen dulce, & suaue. Vnde dicit Ber. in sermone de Annuncia. Sicut nomen Iesus est mel in ore, melos in aure, & in corde iubilus, sic & nomen Mariæ. Deinde subdit. Et si dicere audeamus Iesus quasi supernum, & nimium potens est nomen. Vnde si in Iesu aut deitatis, aut sexus uirilis austeritatē aliquis uereatur, ad Mariam recurrat, in qua nihil horum suspectum est. Maria est muliebre nomen mansuetudinem præferens, & commendans. Istud autem nomen, s. Maria interpretatur illuminata, uel illuminatrix, uel amarum mare, uel stella maris, uel domina. Horum autem rationem uideamus.

Primò nanque dicitur illuminata. Qualiter autem illuminata sit, ostenditur Apoc. 12. ubi dicitur. Mulier amicta Sole, & Luna sub pedibus eius, & in capite eius corona stellarum duodecim, & in utero habens. Vbi ostenditur, ꝙ ipsa sit illuminata à parte superiori, quia habet in capite coronam duodecim stellarum. Stellæ sunt duodecim ordines angelorum, & tres ordines beatorum, s. Martyrum, Confessorum, & Virginum, qui omnes eam coronant, quia ipsam uenerantur, & laudant. Secundò est illuminata à parte inferiori, qđ notatur cum dī. Luna sub pedibus eius. Per Lunam intellectualiter militans ecclesia, quæ adhuc mutabilitati subijcitur, quā Virgo sub pedibus habet, quia ipsam sub una protectione, & defensione tenet donec ad pacem æternam ipsam reducat, & tunc omnem mutabilitatem auferet. Ps. Orietur in diebus eius iustitia, & abundantia pacis donec auferatur Luna. glo. i. mutabilitas, quæ per Lunam designatur. Tertiò fuit illuminata à

parte

parte interiori, quod notatur, cum dr. In utero habens. Non dicitur quid haberet, ut ostendatur, ꝙ illud est ineffabile. Habebat quidem splendorem diuinum. Heb 1. Qui cum sit splẽdor gloriæ eius. Habebat candorem niueum, habebat speculum immaculatum. Sap. 7. Candor est enim lucis æternæ, & speculum sine macula. Quartò est illuminata à parte exteriori quod notatur cum dicitur. Amicta sole. i. immortali corpore. Radius enim solaris est clarus, est agilis, ita ut ab Oriente in Occidentẽ transeat subito. Est subtilis, ita ut uitrum sine lęsione subintret. Est impassibilis, ita ut nulla uiolentia lædi possit. Fuit ergo Virgo B. Virgo amicta Sole, q̃a eius corpus induit claritatem, subtilitatem, & impassibilitatem.

Secundò dicitur illuminatrix ex eo, ꝙ nos multipliciter illuminat, iuxta illud Eccl. 24. Penetrabo interiores partes terræ, & inspiciam omnes dormientes, & illuminabo omnes sperantes in domino. Vel nota ꝙ ipsa illuminat obscuros, & calefacit frigidos. Ideo dicit. Penetrabo inferiores partes terrę. Pars enim terræ inferior est frigida, & obscura, & significat illos qui sunt sine calore amoris Dei, & qui sunt in tenebrositate peccati, nam frigidos inflammat ad amorem, & Dei obscuros illuminat expellendo tenebras peccati. Ipsa etiam illuminat negligentes, & tepidos. Ideo subdit. Et inspiciã omnes dormientes. Tunc enim dormientes inspicit, quando tepidos & negligentes feruentes facit. Vnde sibi potest conuenire, quod dicitur Eph. 5. Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus, per merita.s. matris suæ. Ipsa etiam illuminat in domino sperantes, & sibi deuotos, conseruando eos in lucem gratiæ Dei. Ideo subdit. Et illuminabo omnes sperantes in domino.

Tertiò dicitur amarum mare. Ipsa enim habuit tres amaritudines. Prima causabatur ex sui populi excæcatione, & reprobatione. Si. n. Paulus de hoc tristitiam magnam habebat, iuxta illud Rom. 9. Tristitia mihi est magna, & continuus dolor cordi meo, optabam enim ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundum carnem, multo fortius beata Virgo, quæ erat plena maiori charitate afficiebatur maiori compassione. Secunda amari-

tudo causabatur ex dolorosa filij compassione iuxta illud Luc. 2. Tuam ipsius animam pertransibit gladius. Vbi dicit Bern. O uerè beata mater tuam pertransiuit animam vis doloris, ut te non immerito plusquam martyrem prædicere, in qua nimirum corporeæ sensum passionis, affectus exceßit compaßionis. Tertia amaritudo causabatur ex tam longa filij subtractione. Multum enim anxiebatur de eo q; tam diu filij uisione carebat. Hieronymus in sermone de Assumptio. Quantis putas Virgo beata filij doloris afficiebatur, quo amore cruciabatur, quo desiderio æstuabat Deum animo cuncta, quæ uiderat, & audierat, reuoluebat. Nam si & diligebat Christum ex toto corde nouis tamen quotidie inflammabatur præsentia absens affectionibus desideriorum. Propter istam triplicem amaritudinem dicere poterat cum Propheta. Cor meum conturbatum est in me, propter scilicet populi mei excæcationem. Dereliquit me uirtus mea, propter filij mei dolorosam passionem, quia tunc eius anima à seipsa præ dolore tota defecerat. Et lumen oculorum meorū & ipsum non est mecum propter filij matri subtractam uisionem qui est lumen oculorum meorū quod tamen non habeo mecum. Quartò dicitur stella maris. De ista stella sic dicit Ber. super missus est. Si insurgunt uenti tentationum, si incurris scopulos tribulationum respice stellam, uoca Mariā. Si iactaris superbiæ undis, si ambitionis, si detractionis, si æmulationis respice stellam, uoca Mariam, in periculis, in angustijs, in rebus dubijs Mariam cogita, Mariam inuoca, non recedat à corde, non recedat ab ore, & ut impetres orationis auxilium eius, non desertas conuersationis exemplum. Ipsam sequens non deuias, ipsam rogans non desperas, ipsam cogitans non erras, ipsa tenente non corruis, ipsa protegente non metuis, ipsa duce non fatigaris, ipsa propinqua peruenis, & sic in temeipso experiris, quòd merito dictum sit, & nomen Virginis Maria. Ista autem stella maris multas habet proprietates. Nam cœlum circa eam se uertit. Nautas in periculis dirigit. Ipsa nunquam occidit, ipsa ferrum trahit, sic tota curia cœlestis ad Beatam Virginem attendit. Ipsa periclitantes in mari huius mundi ad

portum

portum salutis perducit, ipsa cæteris sanctis sua auxilia, & merita subtrahentibus nunquam occidit, sed ipsa ad auxilium uenit, ipsa mentes ferreas, & duras ad humilitatem reducit. Propter ista dicitur Ecclesiast. 24. Girum cœli circuiui sola. Tunc girum cœli circuit quando totam cœlestem curiam ad se attendere facit. Sequitur. Et in fluctibus maris ambulaui; quia periclitantes ad portum salutis reducit. Sequitur. Et in omni populo, & in omni gente primatum tenui, quia præ cæteris gentibus, & populis sanctorum ipsa in nostrum auxilium præuenit. Sequitur. Et omnium excellentium, & sublimium colla propria uirtute calcaui, quia duros, & superbos ad humilitatem reducit. Quintò dicitur Domina. Eius autem dominium tantum est, quòd illud quod dicitur de filio potest dici de matre. Philip. 2. In nomine Iesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, & infernorum. Nam flectunt sibi genua ipsi angeli qui ipsam uenerantur, & adorant. Ipse etiam filius ueneratur eam, & laudat. Prouerb. ult. Surrexerunt filij, idest omnes angeli, & omnes beati, & beatam prædicauerunt eam, & uir eius. i. Christus laudauit eam. Secundò flectunt sibi genua omnia terrestria, idest omnes generationes, & quæ præcesserunt, & quæ sunt, & quæ uenturę sunt. Luc. 1. Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Tertiò flectunt sibi genua infernalia, idest dæmones qui uelint, nolint eam adorant, & ad eius nominationem pauent, & tremunt. Nam sicut dicitur Cant. 6. Ipsa est terribilis eis, ut castrorum acies ordinata. Vnde dicit Sanctus Gerardus Episcopus, & martyr. Inuitę quoque infernus Beatæ Marię ululat & procacissimi dęmones clamant.

NON QVIDEM MARTYRIVM PASSA EST *materiale Beata Virgo, sed quam simillimum.* *Sermo* X C.

MARTYRIVM gladij materialis Maria passa non fuit, quia sicut dicit Ambros. nec historia, nec literę docent Beatam Mariam gladio uitam finisse. Est autem passa

quintuplicitet aliud martyrium. Primum martyrium fuit doloris. Secundum martyrium compassionis. Tertium martyrium diuini sermonis. Quartum martyrium voluntatis. Quintum macerationis. Primò igitur passa est martyrium quod fecit gladius doloris, de quo dicitur Lucæ 2. Et tuam ipsius animam pertransibit gladius. Filio enim in cruce existente, & dolores maximos patiente, ipsa gladio doloris tota lacerabatur. Io. Damascenus. Ipsa Beata Maria dolores quos effugit periens, hos in Christi passione sustinuit à materna-li compassione viscerum lachrymatione tolerans, & quem Deum cognouit per natiuitatem, hunc vt maleficium interfectum videns, gladio cogitationis lacerabatur. Anselmus. Domina nostra quos fontes dicam erupisse de pudicis oculis eius, cum attenderes vnicum filium tuum innocentem coram te flagellari, ligari, mactari, & carnem de carne tua, ab impijs crudeliter desecari. Secundò passa est martyrium quod fecit gladius compassionis, & hoc quando vnus militum lanceam in latus iam mortui infixit. Magna compassio, quia nec viuo pepercerunt, nec mortuo parcere voluerunt. Constat autem, quòd illa lanceatio nullum dolorem Christo intulit, quia eius anima de corpore iã recesserat, sed animã matris in corpore filij erat. Anima enim Mariæ magis erat in corpore filij quàm in corpore proprio. Et ideo lancea animam pertransiuit dum filio compassa fuit, ex eo, quòd nec in mortuo parcere volebant. Ber. in sermone de Annun. Verè tuam ò beata mater animam gladius pertransiuit quando crudelis lancea filio iam mortuo latus aperuit. Ipsius nimirum anima iam ibi nõ erat, sed tua planè auelli nequibat, vt plusquam martyrem non immerito prædicemus, in qua nimirum sensum corpore passionis excessit affectum compassionis. Tertiò passa est martyrium quod in eã fecit gladius diuini sermonis illius quando dixit Christus in cruce. Mulier ecce filius tuus. De hoc sic dicit Ber. vbi supra. An non plusquam gladius fuit sermo ille mulier ecce filius tuus? Re vera fuit pertransiens animam, & pertingens vsque ad diuisionem animæ, & spiritus. Postea subdit. O commutatio, Ioannes pro Iesu traditur, seruus pro Domino, discipulus pro magistro,

ftro, filius Zebedæi pro filio Dei, purus homo pro vero Deo. Quomodo vero tuam affectuosissimam animam non pertrāsiuit hæc auditio, quando cum nostra licet saxea licet ferrea pectora sola scindit recordatio. Anselmus, Domina mea quibus singultibus extimabo pectus tuum uexatum esse cum audires mulier ecce filius tuus, & discipulo, ecce mater tua. Quartò passa est martyrium voluntatis. Ipsa enim voluntariè iuxta crucem stabat, parata pro humano genere morituram, siue martyrium sustinere Ambros. super Lucam. Virgo Maria fugientibus Apostolis ante crucem stabat, & pijs oculis vulnera filij spectabat tamen non pignoris mortem, sed mundi salutem, aut fortasse, quia cognouerat per filij mortem mundi redemptionem futuram, putabat aula regalis se per suam mortem publico munere aliquid addituram, sed ipse Christus qui factus est sicut homo sine adiutorio inter mortuos liber, suscepit quidem matris affectum r non quæsiuit hominis auxilium. Quintò passa est macerationis martyrium. Intantum enim in passione filij, corpus suum, & omnia membra macerauit, quòd quodammodo martyrium sibi intulit. Augus.Illa quippe pia mater immani dolore eiulans, pectora delicata contundens ipsa viscera, cæteraque fatigauerat membra, ut iam deficiens ad Christi funus uix potuerit peruenire. Habuit autem martyrium Beatæ Mariæ quatuor graues conditiones. Prima est, quia non fuit in carne, sed in mente. Vnde dicit Hieronymus in sermone de Assumptio. Alij sancti passi sunt pro Christo in carne, Beata Maria in ea parte sui passa est, quæ impassibilis, & immortalis habetur. Hoc est in anima, uel in mente. Idcirco, ut uerum fatear plusquā martyr fuit, quia atrocius passa est, dum passionis Christi gladium in anima sua sustinuit. Secūda est, quia eius dolor non fuit particularis, sed vniuersalis qui totā animam repleuit, & circundedit, ita quòd in corde eius nulla remansit, particula, quæ dolore non fuerit plena. Vnde poterat dicere cum Propheta. Circundederunt me dolores mortis, & pericula inferni inuenerunt me. Hieronymus ubi supra. Constat nempe, quia Maria intantum doluit, ut totam animam eius pertransiret, ac possideret vis doloris ad testi-

monium eximiæ dilectionis. Tertia est, quia eius dolor non fuit superficialis, sed præcordialis, quia usq; ad cordis intima pertransiuit, & eius ossa penetrauit, unde poterat dicere illud Iob. 20. Os meum perforatur doloribus. nec mirum, quia mortem filij fecerat suam. Hiero. ubi supra Eius nimirum dilectio morte fortior extitit, quia mortem Christi suam fecit. Quarta est, quia eius dolor non fuit momentaneus, sed diuturnus, quia etiam post filij Resurrectionem, & Ascensionem Christi passiones in memoria retinebat, & sic doloris gladio inde non recordari non poterat. Ideo dicitur Can. 1. Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi inter ubera mea commemorabitur. Fasciculum myrrhæ uocat collectionem amaritudinum, & passionum quas Christus sustinuit, quas etiam ipsa inter ubera animæ, idest, memoria deferebat, & ex hijs uulnerabatur præ dolore, cruciabatur præ amore, æstuabat præ desiderio & compassione.

DOLOR BEATAE VIRGINIS IN CHRISTI *Passione ex tribus caussatus est.*
Sermo XCI.

MARTYRIUM dolorosum passa est Virgo Maria in filij sui passione, qui quidem dolor causabatur in ea ex tribus, scilicet. Ex ratione sui. Ex ratione filij. Ex ratione supplicij. Temperabatur tamen ex salute humani generis. Primò quidem causabatur ex ratione sui, quia, scilicet, ipsa erat præsens ad uidendum, erat impotens ad adiuuandum, erat destituta ad auxilium, uel consilium postulandum. Ipsa quidem præsens erat, & sub eius oculis uidebat filium suum crucifigi, lanceari, & uulnerari. Multum dolet mater, quando audit filium morte horribili interfectum, maximè autem dolet, quando ante oculos suos uidet filium uulnerari, & occidi. Quantum ergo Virgo beata cruciabatur, quando uidebat filium suum mortuum, & ipsum horribili morte necatum, & hæc omnia fieri ante conspectum suum? Secundò erat impotens ad adiuuandum magna consolatio est matri, quando assistit filio morienti, & quando potest mortuum osculari, &

amplexari. Hæc autem filium morientem in nullo poterat adiuuare. Audiebat ipsum sitire, & non poterat ei potum porrigere. Videbat eius corpus vulneribus plenum, & non poterat eius vulnera alligare. Videbat corpus eius cruentatum, & non poterat lintheo extergere. Videbat ipsum male tenentem caput, & non poterat sustentare. Videbat ipsum in cruce flentem, & non poterat lachrymas abstergere. Videbat eius sanguinem in terram effluere, & non poterat recolligere. Videbat ipsum expirasse, & non poterat ipsum osculari, nec amplexari, ideo poterat dicere, quod dicitur 1. Reg. 1. Mulier infœlix ego sum. Tertiò erat destituta ad auxilium, uel consilium postulandum. Omnes enim discipuli aufugerāt, ita ꝙ nullus erat à quo posset auxilium petere, uel consilium postulare. Nam in tanta tribulatione ipsa, & filius suus nullum habuit auxilium, uel auxiliantem. Eccles. 51. Respiciens eram ad adiutorium hominum, & non erat. Nullum habebat compatientem. Psal. Sustinui qui simul contristaretur, & non fuit. Nullum consolantem, unde sequitur. Qui consolaretur, & non inueni. Nullum associantem. Psalm. Elongasti à me amicum, & proximum, & notos meos à miseria. Iob 29. Dereliquerunt me propinqui mei, & qui me nouerunt obliti sunt mei.

Secundò causabatur eius dolor ex ratione filij. Multum enim dolet mater, quando filium bonum, & sapientem amittit. Ipsa verò per mortem corporis amittebat illum, de quo ipsa dicit Eccl. 24. Ego mater pulchræ dilectionis, timoris, & agnitionis, & sanctæ spei. Videbat quidem filium à se recedere matrem, tamen dulciter diligententem. Ideo dicit. Ego mater pulchræ dilectionis. Filium matrem tam filialiter reuerentem. Ideo dicit. Et timoris. Filium matrem in cruce tam fœliciter agnoscentem. Ideo dicit. Agnitionis. Filium erga matrem tam pium, & clementem. Ideo dicit. Et sanctæ spei.

Tertiò causabatur dolor in ea causa supplicij. Videbat enim ipsum pati pœnam ignominiosam, idest, pœnam latronum. Sap. 2. Morte turpissima condemnemus eum. Pœnam dolorosam. Thren. 1. O uos omnes qui transitis per uiam attendite, & uidete si est dolor sicut dolor meus. Pœnam diuturnam,

eternam, quia ab illa hora noctis qua captus est, usque ad horam nonam in qua expirauit in supplicijs, & doloribus semper fuit. Pęnam iniustam, quia sicut dicitur, 1. Petri. 2. Peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius. Qui cum malediceretur non maledicebat, cum pateretur nō comminabatur, tradebat autem iudicanti se iniustè.

Quartò ille dolor temperabatur propter saluationem generis humani, quam ex filij passione prouenturam esse sciebat. Ideo in corde virginis magna pugna erat. Pugnabant enim adinuicē duo amores, & duo dolores. Duo amores erant amor filij, & amor generis humani. Amor filij nolebat ipsum pati, sed amor generis humani uolebat ipsum pati, & sic inter istos duos magna erat pugna. Similiter in corde suo erant duo dolores, scilicet, dolor quem habitura erat de morte filij, & ideo nolebat eum pati, & dolor quem habebat de perditione generis humani, & ideo volebat eum mori, & sic inter istos duos amores, & duos dolores magna fuerat pugna, vnde poterat dicere illud Dan. 13. Angustiæ sunt mihi vndiq;, & quid eligam, ignoro.

ERGA FILIVM BEATA VIRGO TRIPLICIter fuit affecta. Sermo LXXXXII.

MAter Christi fuit Maria, & fuit filio valde vnita, fuit filio valde charissima, fuit filio in reuerentia maxima. Fuit quidem filio valde vnita iuxta illud Can. 2. Dilectus meus mihi, & ego illi. Idem 7. Ego dilecto meo, & ad me conuersio eius. Intantum quidem fuit mater filio vnita quòd sine matre filius non concipitur Luc. 1. Ecce concipies in utero, & paries filiū. Nec mirum, quia uterus eius erat flos puritatis. Can. 1. Lectulus meus floridus. Sine matre filius non inuenitur. Matth. 2. Intrantes domum inuenerunt puerum cum Maria matre eius. Nec mirum, quia est via veritatis. Eccel. 24. In me omnis gratia vitę, & veritatis. Sine matre filius ad nuptias non inuitatur. Io. 2. Nuptiæ factę sunt in chana galileæ, & erat mater Iesu ibi. Nec mirum, quia ipsa est thalamus pudoris, Psal. Ipse tanquā sponsus procedens de thalamo

limo suo. Sine matre filius nō crucifigit. Ioā. 19. Stabat iuxta crucem Iesu mater eius. Nec mirum, quia ipsa erat mater pietatis, & ex pietate materna ibi stabat, & cū filio crucifigi parata erat. Luc. 2. Tuam ipsius animam pertransibit gladius. Sine matre spiritus sanctus a filio non destinatur. Actuum. 1. Erant omnes perseuerātes in oratione cum mulieribus, & Maria matre Iesu. Et postea sequitur Qualiter ipsis orantibus receperunt spiritum sanctum. Nec mirum, quia ipsa est aquęductus gratiæ spiritualis. Eccl. 24. Ego quasi aqueductus exiui de paradiso. Et sic patet qualiter mater fuit filio semper vnita. Secundò mater fuit filio valde charissima, quod quidē ipse ostendit quando in cruce existens tantā curam de ea habuit, ꝙ eam Ioanni recommendauit. Christus nanque in hac uita quinque habuit, & possedit. habuit quidem quandam licet paruā pro expensis sibi datam pecuniam habuit corpus, & animā, habuit matrē, & ecclesiā. Ea autem quę fuerūt uilia custodi uilissimo. Ea quæ fuerunt chara, & charissima, custodibus charissimis commendauit. Nam pecuniam quam contemptibilē, & uilissimā reputauit, custodi uilissimo Iudę Scarioth recommendauit. Corpus suum quod habebat charum, charis custodibus dimisit, scilicet, Ioseph, & Nicodemo. Ecclesiam quā habebat chariorem, custodi chariori tradidit, scilicet, Petro Apostolo. Matrem quā habebat charissimam, custodi charissimo dereliquit, idest, Ioanni discipulo. Animā quam habebat supercharissimam, custodi super charissimo commendauit, scilicet, patri eterno dicens Lu. 13. Mi pater in manus tuas commendo spiritum meum. Ex hoc autem quòd Ioannes Mariam in custodiam accepit, habet in potestatem fontē misericordiæ, thesaurū gratiæ, & ianuā celestis patriæ. Securè igitur ad Ioannē accedere possunt peccatores, ex quo habet in potestate thesaurū gratiæ siue misericordiæ. Securè iusti postquam habet thesaurū gratiæ in potestate. Securè exules, & peregrini postquā habet in potestate ianuam celestis patriè.

Tertiò mater fuit filio in reuerētia maxima, quod patet ex quinque. Primo, quia sibi subditus esse uoluit Luc. 2. Erat subditus illis. Secundò, quia eius uoci protinus obediuit. sicut patet Ioannis, 2. Cum uinum in nuptijs defecisset, & uirgo

& Virgo dixisset ministris. Quodcunq; dixerit uobis facite, statim vbi filius cognouit, quòd mater hoc dixerat, miraculum fecit, & aquam in vinum conuertit. Tertiò ex eò quòd filius sibi in occursum perrexit, quando de hac uita ipsa transiuit. quartò ex hoc, quòd ipsam ad suam dexteram collocauit. Quintò ex hoc, quòd ipsam nostram patronam fecit. De his tribus ultimis dicitur 2. Reg. 2. Sub figura Bersabeæ matris Salomonis. Surrexit, inquit, rex in occursum matris & adorauit. Ecce quia reuerenter sibi obuiabit. Positus quoque est thronus matris regis, quæ sedit ad dexteram eius. Ecce quia ad dexteram suam collocauit. Deinde sequitur. Dixitque mater. Petitionem unam paruulam ego deprecor à te, ne confundas faciem meam. Dixitq; ei rex. Pete me mater mea, neque enim fas est, ut auertam faciem tuam. Ecce quia eam nostram petitionariam fecit.

BEATA VIRGO NON TANTVM MATER *simpliciter consideratur, sed cum miris adiunctis.*
Sermo XCIII.

MATER Christi fuit Maria Virgo beata, quæ quidem fuit uera mater, & tota mater, & pia mater, & studiosa mater.

Primò nanq; fuit uera mater, quòd patet ex eo quòd charius sibi substantiam ministrauit, quòd conueniente locum, & conueniens nutrimentum sibi exhibuit, quòd nouem mensibus ipsum in utero portauit, & fouit. Sap. 7. In uentre matris configuratus. Ecce locus conueniens decem mensium tempore coagulatus sum in sanguine. Ecce quia in eius utero nouē mensibus stetit, ita quòd sicut dicit Aug. aliquid de decimo attigit. Postea sequitur. Ex semine hominis. Ecce materia ministrata. Et dicit hominis, & non hominum. Cæteri autem nati sunt ex semine hominum, Christus autem ex semine hominis, idest, Virginis. Vnde Christus non uocat se filium hominum, sed filium hominis. Et uocatur ibi semen sanguis virgineus, à Spiritu sancto totaliter deputatus. Deinde subditur. Et delectamento somnij conuenientis. Ecce conueniens nutrimentum.

trimentum. Damascenus. Nouem mensibus complens,& decimum superascendens nascitur lege conceptionis. Ipsa est uera mater, qui ipsum peperit, pannis inuoluit,& in suo lacte nutriuit. Vnde cantat Ecclesia. Membra pannis inuoluta Virgo mater alligat,&c. Item ipsum regem Angelorum sola Virgo lactabat ubere de cœlo pleno. Ideo quando ipsa uult nobis filium suum placare potest dicere 2. Mach. 7. Miserere mei fili quem in utero nouem mensibus portaui, & lac triennio dedi, & alui,& in ætatem istam perduxi.

Secundò ipsa fuit tota mater, quia totam substantiam ministrauit, ita quòd nullus pater aliquid ibi dedit. Ideo dicitur Hiere. 31. Nouum faciet Dominus super terram fœmina circundabit uirum. Solet homo circundare, quod suum est proprium non quod alienum. Nulla alia mulier puerum circundedit, quia caro pueri sua tota non fuit, sed pater ibi partem habuit. Virgo autem filium suum in utero circundedit, quia ibi de alieno nihil fuit. In circundatione est etiam figura, quæ secundum Aug. ex tribus lineis perficitur. Figura autem circularis una linea clauditur. Corpus aliorum puerorum formatum est duabus lineis, idest, semine utriusque parentis. Corpus autem Christi est formatum tantum una linea, idest, sola carne uirginea. Illud etiam, quod est circundatum ex omni parte est clausum. Nam si aliqua apertura ibi fuerit circundatum non erit. Nulla igitur mulier in utero puerum circundedit, quia nulla clausa, sed aperta fuit. Sola autem uirgo circundedit, quia ex omni parte clausa fuit, & ante partum, & in partu, & post partum, & ideo hortus conclusus, & fons signatus dicitur.

Tertiò fuit ipsa mater. Nam pietatem habuit in animo, ostendit in uerbo,& exhibuit in facto. Fuit enim pia mater in animo ex eò quòd nouem mensibus in eius utero diuina pietas habitauit. Ber. in sermone de Annun. Quid mirum si pietatem exhibent viscera pietatis. Nonne qui pomum tenuerit in manu sua dimidia die, reliqua diei parte pomi seruabit odorem. Quantum ergo illa uiscera, uirtus pietatis affecit in quibus nouem mensibus pietas requieuit. Nam & ante repleuit mentem, quàm uentrem,& cum processit ex utero non

recessit

recessit ab animo. Secundò ista pietatem ostendit in uerbo, quando dixit Ioan.2. Vinum non habent. Vbi insinuauit indigentiam, petiuit misericordiam, & consuluit obedientiam, quæ omnia suam indicant pietatem. Indigentiam quidem insinuauit cum dixit. Vinum non habent, & insinuando indigentiam petijt gratiam. Nam amicorum simplices insinuationes sunt affectuosæ petitiones, unde dicitur Ioan.11. quòd sorores Lazari miserunt ad Iesum dicentes. Domine ecce quem amas infirmatur. Illa enim talis insinuatio erat quædam deuota postulatio, tanquam si dicerent. Veni & salua eum. Eodem modo, quando Maria insinuauit indigentiam, deuotè postulauit gratiam dicens. Vinum non habent, tanquam si diceret. Rogo te fili, ut facias, quòd ipsi habeant. Ostendit etiam pietatem in uerbo, quando ministris dixit. Quodcunque dixerit uobis facite. Tertiò pietatem exhibuit in facto, & hoc quando Elisabeth grandæue, & uetulè, & grauidè ipsa iuuencula ministrauit. Beda super Lucam. Festinanter Maria in montana abijt, & Zachariæ domum intrauit, ut prægnanti grandæue iuuencula ministraret.

Quartò fuit studiosa mater, quia ipsum studiosè, & sollicitè educauit, & oĩa opera misericordiæ in eum sollicitè exercuit, sicut ostendit Ber. in ser. de Assumptio. dicens. Vt breuiter illa sex opera misericordiæ B. Virgo non quamlibet ex minimis, sed filium Dei in utero suscepit, nudum in carne, uel etiam pannis operuit, & esurientem pauit, sitientem lacte potauit, infirmum per infantiam non solum uisitauit, sed et fouendo, leniẽdo gestando frequẽter & omnia humana exhibuit. Ipsum etiam in carcere positũ, in crucis patibulo alligatum uisitauit, dum iuxta crucem eius stetit. Eius quoque sepulturæ interfuit. Et ideo bene studiosa mater fuit, quæ omnia opera misericordiæ erga filium exhibere uoluit.

RESPECTV FILII, VEL SVI, VEL NOSTRI *dicitur mater B. Virgo* Sermo XCIIII.

MATER nostra est Maria Virgo quæ dicit Eccl.24. Ego mater pulchrę dilectionis, timoris, & agnitionis, & sanctæ

ctæ ſpei. Quæ quidem uerba poſſunt exponi, uel de ipſa reſpectu filij, uel de ipſa reſpectu ſui, uel de ipſa reſpectu noſtri. Inquantum exponitur de ipſa reſpectu filij, dicendum, quòd ipſa eſt mater pulchræ dilectionis, & timoris, & agnitionis, & ſanctæ ſpei, ideſt Chriſti, qui eſt pulchræ diligendus propter ſuam bonitatem, quia ſicut legitur Lucæ. 18. Nemo bonus niſi ſolus Deus. Nau. 1. Bonus Dominus, & confortans in die tribulationis, & ſciens ſperantes in ſe. Qui eſt timendus propter ſuam poteſtatem. Matth. 10. Timete eum, qui habet poteſtatem animam, & corpus perdere in gehennam. Hierem. decimo. Quis non timebit te ô rex gentium. Inquantum eſt credendus propter incommutabilem ueritatem. Ioan. 12. Dum lucem habetis credite in lucem, ut filij lucis ſitis. Ioan. 18. Omnis qui eſt ex ueritatę audit uerba mea. Inquantum eſt ſperandus propter ſuam liberalitatem. Ipſe enim ſperantes in ſe ditat diuitijs cœleſtium bonorum. Pſal. Spera in Domino, & fac bonitatem, & inhabita terram, & paſceris in diuitijs eius. Item. Oculi omnium in te ſperant Domine, & tu das eſcam illorum in tempore opportuno. Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione.

Secũdò poſſunt exponi dicta uerba de ipſa reſpectu ſui. Ex quibus uerbis habetur, quòd ipſa eſt mẽſa cœleſtis gloriæ, in quá Dei amore reficimur, iõ dr. Ego mater pulchræ dilectionis. Quia ipſa eſt uas maieſtatis diuinæ, ideo ſubditur. Et timoris. Ex eo enim quòd diuina maieſtas in eius utero habitauit terribilis dæmonibus facta fuit. Quia ipſa eſt archa diuinæ ſapientiæ, ideo ſubditur, Et agnitionis. Quia ipſa eſt apotheca diuinæ miſericordiæ, ideo ſubditur. Et ſanctę ſpei. Ex illa autem menſa ſancti viri accipiunt cibum diuini amoris, quo ſatiantur, quæ tamen ſatietas nunquam habet faſtidium, ſed ſemper auget deſiderium. Eccle. vigeſimoquarto. Qui edunt me, adhuc eſurient, & qui bibunt me adhuc ſitient. Ex illa proceſſit diuina maieſtas. Vnde dæmones tanquam uirga percuſſi fugiunt, & terrentur. Iſaiæ. 30. A uoce Domini pauebit Aſſur virga percuſſus. Ex illa archa extrahuntur ſapientiæ, vnde doctores dictantur. Bernar. in

P ſermo-

sermone de Assumptio. Quid de Deo non sapiat, in qua diuina sapientia iacebat. Christus enim ut, ait Apostolus Dei virtus, & Dei sapientia est, & in eo sunt oēs thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei absconditi. Christus autem in Maria, ergo Dei virtus, & sapientia, & thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei in Maria. Ex illa vero apotheca recipiunt peccatores electuarium misericordiæ, quo confortantur. Bern. Facta est Maria apotheca omnium gratiarum, in qua cœlestis pigmentarius cum omnibus suis unguentis se collocauit, & cum omnibus delitijs accubuit. August. Tu domina cella es aromatica, ex quá omnium vulnerum nostrorum medicina defluxit, per quam generalis omnium est celebrata curatio. Tu uia es qua Deus uenit ad homines, qua homo redit ad Deum, qua uenit peccator ad ueniam, seu quá uenit uenia ad peccatores.

Tertiò supradicta uerba exponi possunt de ipsa respectu nostri. Multi quidem in Dei amore sunt frigidi, alij sunt superbi, & præsumptuosi, alij sunt tenebrosi, alij sunt nimis formidolosi. Sed illa mater nostra frigidos ad Dei amorem inflammat, ideo dicitur. Mater pulchræ dilectionis. Superbos & præsumptuosos suo amore ad humilitatem reuocat, ideo dicitur. Mater agnitionis. Formidolosos ad spem diuinæ misericordiæ, & ueniç animat, ideo dicitur. Mater sanctæ spei. Vel potest dici, quòd cùm beata Maria fuit Deus pater, qui ipsam suo filio desponsauit, fuit Deus filius, qui ipsam impregnauit, fuit Deus spiritus sanctus, qui eam sanctificauit, fuit insimul tota Trinitas, quæ ipsam ab æterno elegit. Et ideo uocatur totius Trinitatis nobile triclinium. Et sic fuit magnæ potentiæ, cum qua fuit pater, magnæ sapientiæ, cum qua fuit filius, magnæ misericordiæ, cum qua fuit Spiritus sanctus, magnæ charitatis diuinæ, cum qua fuit tota Trinitas. Deus enim Trinitas charitas nuncupatur, iuxta illud 1. Ioan. 9. Deus charitas est. Quia igitur est tantæ potentiæ, ideo potenter nos ab hoste defendit ideo dicitur. Mater timoris. Quia est tantæ sapientiæ, ideo per uiam quæ ducit ad patriā, nos sapienter deducit, ideo dicitur. Mater agnitionis. Quia est tantæ misericordiæ, ideo peccatores ad spem ueniç reducit, ideo dicitur. Mater sanctæ spei. Quia est charitatis immensæ,

mensæ, ideo ad amorem Dei nos accendit, ideo dicitur. Mater pulchræ dilectionis.

IVXTA QVATVOR MODOS MATERNITATIS Beata Virgo dicitur habere filios. Sermo XCV.

MATERNITAS quadruplex inuenitur. Vna causatur ex carnis generatione, secundum quam aliqua dicitur mater illius, quem de suis uiscenbus generauit. Secunda causatur ex spirituali regeneratione, secundum quam dicitur mater illius, quem de sacro fonte leuauit. Tercia causatur ex legali adoptione, secundum quam aliqua dicitur mater illius, quem imperator ex suo rescripto, & edicto sibi in filium adoptauit. Quarta causatur ex speciali educatione, secundum quam aliqua dicitur mater illius, quem educauit, & nutriuit. Secundum has quatuor maternitates beata Virgo quatuor filios habet. s. Christum, Ioannem Baptistam, Ioannem Euangelistam, & omnes Christianos.

Christus nanq; fuit suus filius naturalis, quia ipsum de suis uisceribus castis generauit. Vnde dicit Ber. Quanuis Deus cũ omnibus sanctis sit specialiter tamen cum Maria, cum quã utique tanta conuentio ei fuit, vt illius non solum uoluntatẽ, sed etiam Christi carnem coniũgeret, & de sua virginea substantia unum Christum efficeret, uel potius unus Christus fieret, qui tamen nec totum de Deo, nec totum de Virgine, totus tamen Dei, & totus virginis esset, nec duo filij, sed unus utriusque filius.

Ioannes Baptista fuit suus filius spiritualis, quia primo baptismo Spiritus sancti dum esset infans in matris utero baptizauit. Dicit enim Ioan. Chrys. q; quando B. Virgo salutauit Elisabeth uox eius ad puerum descendit, & statim spiritu sancto repletus fuit, & in matris utero exultauit. Et illa autem repletione Spiritus sancti Ioannes fuit in utero sanctificatus, & à peccato originali mundatus.

Ioannes verò Euangelista fuit eius filius legalis, quia Imperator cœlestis existens in cathedra crucis rescriptũ, & edictum dedit, per quod ipsum matri suæ in filium adoptauit di-

cens matri. Mulier. Ecce filius tuus. Deinde dixit discipulo. Ecce mater tua. Et sicut dicit Petrus Damia. Sicut uerbum Dei est tantæ virtutis, quòd panem in uerum corpus Christi transmutat, sic & illud uerbum, quod dixit Christus. Mulier. Ecce filius tuus, fuit tantæ uirtutis, quòd Ioannem uerum filium matri suæ fecit. Verum quidem non per naturam, sed per uirtutem diuinam.

Christiani autem omnes sunt eius filij, quia ab ipsa educãtur, & nutriuntur. Quatuor enim sunt proprietates in matre respectu filij, s. genitura, cura, prioritas, & dignitas. Eodem modo in beata Virgine est genitura, quia in fide, & bonis operibus nos generat. Vnde dicitur Matth. 1. quòd ipsa peperit filium suum primogenitum, ergo habuit filios secundogenitos. Constat autem quòd non habuit carnales, & ideo intelligitur de spiritualibus. In ipsa etiam est magna cura de suis filijs educandis, vnde ipsa dicit Eccl. 24. Transite ad me omnes qui concupiscitis me, & à generationibus meis adimplemini. Ipsa etiam respectu filiorum habet magnã dignitatẽ. Ibidem. Primogenita mea ante omnem creaturam. Habet ẽt prioritatem. Ibidem. Ab initio, & ante sæcula creata sum. Iõ sæpe est dicendum sibi. Monstra te esse matrem. Et ipsa respõdere potest. Et tu monstra te esse filium meum, ne obliuiscaris mei, sicut & ego non obliuiscar tui. Isa. 49. Nunquid obliuisci potest mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui? Et si illa oblita fuerit ego tamen nõ obliuiscar tui.

SEX MODI EXPLICANTVR QVIBVS *fuit nostra mediatrix B. Virgo* Ser. XCVI.

MEDIATRIX nostra est Virgo Maria, vnde dicit Bern. Mediatrix est Maria inter Solem, & Lunam, idest Christum, & ecclesiam, uel inter rorem, & nubem. Mulier amicta sole. Nam uestit solem nube, idest substantia carnis, & uestitur ab eo splendore. i. gloria maiestatis. Dicitur autem mediatrix quantum ad sex modos.

Primò enim est mediatrix nostræ salutis, & quantum ad hoc uocatur medium terræ. Psal. Deus autem rex noster ante

sæcula

sæcula operatus est salutem in medio terræ, i. in utero matris Mariæ. Dicitur autem caro non terra, sed medium terræ. Caro enim Christi fuit sine peccato concepta, & sine peccato nata. Caro verò nostra cum peccato concipitur, & cum peccato nascitur. Caro vero B. Mariæ medium tenet, quia fuit cum peccato concepta, & quãtum ad hoc conuenit cum carne nostra, sed fuit sine peccato nata, & quantum ad hoc conuenit cum carne Christi. De isto medio terræ sic dicit Ber. Ad ipsã sicut ad medium, sicut ad causam rerum omnium, sicut ad negocium singulorum respiciunt, & qui habitant in cœlo, & q̃ in inferno, & qui nos præcesserunt, & nos qui sumus, & qui nos sequuntur, & nati natorum, & qui ab illis nascentur. Qui in cœlo sunt ut restaurentur, qui in inferno ut eripiantur, qui præcesserunt prophetæ, ut fideles inueniantur, & qui sequuntur ut glorificentur.

Secundò est mediatrix nostræ coniunctionis, & unionis, quia nos disiunctos, & diuisos à Deo, tanq̃ mediatrix coniugit, & unit. Ber. in sermo. de Assump. Preciosum munus terra nostra duxit in cœlum, ut dando, & accipiendo amicitiarum fęlici fędere copulentur humana diuinis; terrena cœlestibus, ima summis. Et quantum ad hoc dicitur Sol Can. 6. Pulchra ut Luna electa, ut Sol. Sicut enim Sol habet supra se tres planetas superiores, & infra se tres alias inferiores, & ipse est in medio constitutus, sic & B. Maria habet supra se tres in Trinitate, infra se uero habet tres status saluãdorum. s. virgines, continentes, & coniugatos, & ipsa est in medio constituta cõiungens, & uniens illo tres status beatissimę Trinitati. Istã autem coniunctionẽ non potest aliquis facere nisi Deus, uel ipsa. Vnde dictum fuit sancto Iob 38. Nunquid coniungere ualebis micantes stellas pliades. Illæ stellæ dicuntur pliades à pluralitate, quia sunt septem secundum Greg. quia septima latet, & sex tãtũ apparent. Tres sunt igitur stellæ superiores, s. tres in Trinitate psonæ, & tres sunt inferiores, s. tres status saluandorum, & sic istas tres stellas nemo põt coniungere, q̃a tres status saluãdorum beatę Trinitati nemo potest unire nisi Deus, & Virgo B. Septima autem stella, quæ latet, significat congregationẽ oĩum malorũ, quæ quidẽ latẽt & ignorat, q̃a

malorum congregatio in numero electorũ non cõputatur,& a Deo penitus ignoratur iuxta illud Mat.25. Amen dico uobis,nescio uos.

Tertiò est mediatrix nostrę iustificationis. Dęmones igitur nostram iustificationem impediunt.vel suis tentationibus nos sępe nimis infestando,uel in bonis operibus nos impediendo, uel a finali perseuerantia nos retrahendo. Sed Virgo beata omnia ista impedimenta expellit,& ideo nostram instructionem perficit,& quantum adhoc uocatur aurora, Psal. Ortus est sol,& congregati sunt, & in cubilibus suis collocabuntur, scilicet,catuli leonum,& bestiæ siluæ. De quibus Psal.dixit. Posuisti tenebras,& sancta est nox.in ipsa pertransibunt omnes bestiæ siluæ. Catuli leonum rugientes,ut rapiant,&c. Deinde subdit. Ortus est sol, & congregati sunt. Ortus est igitur sol,idest, lux solis,scilicet,aurora,idest, Virgo Maria. Et eius ortus tria bona fecit. Primò expulit omnem dęmonũ tentationem. Et ideo dicit. Et congregati sunt,scilicet,leones,idest,dęmones ad fugiendum,& in cubilibus suis collocabuntur,idest in inferno abscondentur. Secundò hominem reddit expeditũ ad bonam operationem , ideo subdit. Exibit homo ad opus suum,idest,liberè,& expeditè faciet opera meritoria. Tertiò conseruat hominem bene operantem,usque ad finalem consumationem,ideo,subdit. Et ad operationem suam usque ad uesperam. Sunt quidam qui operantur in mane,qui,scilicet,bene incipiunt,alij operantur usque ad meridiem, scilicet, qui bene inceperunt,& bene prosecuti sunt uel fuerunt,sed tamen postmodum defecerunt. Alij operantur usque ad uesperam, qui,scilicet,bene incipiunt, melius prosequuntur, & optimè finiunt.

Quartò est mediatrix nostrę recõciliationis. Peccator enim inimicus Dei est,propter peccatũ carnalis cõcupiscẽtię,uel superbię,uel auaritiæ. Ista autem mediatrix istos Dei inimicos sæpe reconciliat dum eos ad pęnitentiam reuocat,ideo uocatur luna Cant. 6. Pulchra ut luna electa,ut sol. Luna quidem immutat aerẽ,est uicina terrę,& dominatur super mare,sic,& Virgo beata aerẽ mutat quãdo supbos, & elatos ad humilitatẽ reuocat. Est uicina terrę,qa parata est in auaris extinguere

auaritiã cupiditatis terrenæ. Dominatur supra mare q̃a extinguit, & exsiccat aquas carnalis cõcupiscẽtię. A qua maris est lucida, sed amara, sic & carnalis cõcupiscẽtia ur̃ habere dulcedinẽ, sed generant amaritudinẽ. Prouer. 5. Fauus distillans labia meretricis, & nitidius oleo guttur eius. Ecce aqua clara. Nouissima autem illius amara quasi absinthiũ. Ecce aqua amara. Propter illa tria de ipsa Virgine Maria tria dicuntur Eccl. 24. Quod super mare ambulabat, In fluctibus, inquit, maris ambulaui, ꝙ colla superborum calcat, ideo subdit. Et omnium excellentium, & sublimiũ colla propria uirtute calcaui. Quod ipsa inferiores partes terræ penetret. Vnde dicitur ibidem. Penetrabo inferiores partes terrę. Tunc igitur super mare ambulat quando carnalẽ concupiscentiã in nobis suppeditat. tunc super boum colla calcat, & domat quando superbos ad humilitatẽ reuocat. Itẽ inferiores partes terræ penetrat, quando profundatos in amorem terrenorum, gratia suæ visitationis ab omni terrena cupiditate immutat.

Quintò est mediatrix nostræ aduocationis. Ipsa enim tanquã nostra mediatrix pro nobis aduocat añ Deũ. Ber. in ser. de Annunci. Si ad Deũ patrẽ uerebaris accedere ad filium fuge Iesum, hunc tibi fratrẽ Maria dedit. Sed si forte in ipso maiestatẽ uereris diuinã ad Mariã recurre, in qua est humanitas picta, & ipsa exaudies pro sui reuerentia Qualiter aũt ipsa sit mediatrix nr̃æ aduocationis, in quadã visione ostenditur; Erat enim quidã grauis peccator, qui in visione ductus est ad iudiciũ añ Deum. Tunc diabolus per quatuor allegationes uoluit probare illũ esse suũ. Primo iure instr̃i quod deus dictauit qñ dixit. Quacunque hora comederitis morte moriemini. Cũ ergo iste sit de eius progenie iure instr̃i publici, morte perpetua debet mori. Ad quod mediatrix nr̃a r̃ndit. Illud instr̃m dæmon falsificasti qñ ibi nequaquã apposuisti. Et ideo tanquã falsarius es repellendus. Secundò dixit esse suũ iure præscriptionis, quia multis annis eum in seruũ possederat. Ad quod illa r̃ndit. Illa præscriptio sæpe fuit interrupta, quia ratio eius sp̃ murmurabat, & condicebat ꝙ tam crudeli domino seruiebat. Tertiò dixit ipsum esse suũ, & in infernũ demergẽdum ratione proprietatis ipsius peccati. Nam propriũ est esse pondero-

ſum, & trahere ad locum infimum, & ideo debet demergi in profundum inferni. Sed Virgo ad hæc reſpondet, quòd paſsio, & pœna filij ſui omnibus peccatis amplius ponderauit. Quartò dicebat ipſum eſſe ſuum, quia plura ſunt eius mala, quàm bona. Tunc ad præceptum iudicis allata eſt ſtatera, & dum pars ſtateræ in qua erant mala multum ponderaret, & alia parum, mater miſericordiæ ſuper illam partem ſtateræ in qua erant eius bona manum appoſuit, & ipſam ad terram traxit. Tunc diabolus confuſus aufugit, vir autem ille euigilans vitam ſuam correxit, & in melius mutauit. Sextò eſt mediatrix ratione communicationis, quia adhuc cum eſſet in mundo, adhuc communicabat cum ſanctis qui ſunt in via, & cum illis qui ſunt in patria, & quantum ad hoc poteſt appellari firmamentum quod eſt in medio aquarum, quæ ſunt ſuper cœlos, & illarum, quæ ſunt infra cœlos. Geneſ. 1. Fecit Deus firmamentum in medio aquarum, ideſt ſanctorum, & qui ſunt in via, & qui ſunt in patria. Ipſa enim tanquam media communicat cum vtriuſque. Nam cum ſuperioribus, qui ſunt in patria habuit omnimodam virtutum perfectionem. Cum inferioribus qui ſunt in mundo habuit merendi conditionem. Cum ſuperioribus habuit ſecuritatem contra caſum. Cum inferioribus poſſibilitatem ad meritum. Cum ſuperioribus exultationem. Cum inferioribus cordis compaſsionem.

QVIBVS MINISTRA DICATVR BEATA Virgo, eiusq; officia. Sermo XCVII.

MINISTRA Dei fuit Virgo Maria ſicut ipſa dicit Eccleſiaſtic. 24. In habitatione ſancta coram ipſo miniſtraui. Fuit autem miniſtra reſpectu filij, quia ſibi ſedulæ miniſtrabat. Auguſtin. in ſermone de Aſſumptio. Mariam ſiquidem, & operis exhibitione, & fidei veritate miniſtram Chriſti fuiſſe intelligit omnis qui ſanè ſapit. Opere certè miniſtrabat, quia hunc in vtero geſsit, partuq; perfuſum aluit, & fouit, in præſepio reclinauit, in Ægyptum fugiens abſcondit, & omnem eius infantiam proſecuta eſt pio

matris affectu, ita vt vsque ad crucem contrariam virum perfectum vidit eum pendentem, & ab eius non recessit conspectatu. Fuit etiam Christi ministra, quia secundùm Bernard. Omnia opera misericordiæ erga eum ministrauit. Nam ipsum virginea carne vestiuit, eum lacte de cęlo ministrato potauit, & pauit, ipsum in eius vtero nouem mensibus hospitata fuit ipsum per infantiam infirmum, non solum visitauit, sed etiam omnia obsequia humanitatis exhibuit, ab ipso in carcere crucis ligato non recessit, eius sepulturæ interesse uoluit. Secundò dicitur ministeria ratione nostri. Deus enim isti ministrę quinque ministeria, & officia commit. Primum officium est, quia ipsa est eleemosynaria cœli, quia omnes eleemosynas de cœlo fiendas sibi commisit. Ipsa autem non est auara, sed liberalis, & larga. De qua dicitur Prou. xlt. Manum suam extendit ad pauperes. Ibidem. Dedit prædã domesticis suis, & cibaria ancillis suis. Secundum officium est, quia ipsa est celleraria Spiritus sancti. Cant. 2. Introduxit me Rex in cellam vinariam. Istud autem vinum copiosè effudit, & tamẽ semper plena extitit, vnde ipsa dicit Cant. 5. Bibite amici, & inebriamini charissimi. Ibidẽ. Vmbilicus tuus crater tornatilis nunquam indigens poculis. Tertium officium est, quia ipsa est thesauraria Dei. Deus triplicem thesaurũ sibi dispensandum commisit. s. thesaurum potentiæ. Eccles. 24. In Hierusalẽ potestas mea, thesaurum sapientię. Prouer. 14. Sapiens mulier ędificat domum suam. i. gubernat sanctam Ecclesiam, thesaurum misericordię. Vnde ad suas misericordias recipiendas omnes inuitat dicens Eccl. 24. Transite ad me omnes qui cõcupiscitis me, & à generationibus meis adimplemini. Quartum officium est, quia ipsa est aduocata generis humani. Vnde clamamus ad eam. Eya ergo aduocata nostra illos tuos misericordes oculos ad nos conuerte. Et Iesum, &c. Nos enim sumus in peregrinatione, sumus in lachrymatione, sumus in tenebrositate ignorantiæ. Ideo clamamus, ut ipsa nostra aduocata oculos misericordiæ ad nos dirigens, de peregrinatione siue exilio ducat ad cœlestem patriam. De lachrymatione ducat nos ad æternam lætitiam. Ideo clamamus, & dicimus, Ad te clamamus exules filij Euæ.

Ad te suspiramus gementes, & flentes in hac lachrymarum valle. Clamamus etiam, vt de tenebrositate ignorantiæ ducat nos ad claritatem visionis diuinæ, dicentes, Et Iesum benedictum fructum ventris tui nobis post hoc exilium ostende. Quintum officium est, quia ipsa est ostiaria Paradisi. Ipsa enim est ostium per quod intramus. Vnde dicit Ecclesia. Tu Regis alti ianua, & porta lucis fulgida. Est etiam ostiaria, quæ nos introducit. Vnde ad ipsam est pulsandum, & dicendum Cantic. 5 Veni aperi mihi soror mea, amica mea. Vgo de Sancto Victore, Maria porta Christus ostium patri occultum. Per Mariam igitur ad Christum, & per Christum peruenitur ad Deum.

VT MYRRHA PRAEDICATVR BEATA Virgo. *Sermo* XCVIII.

Myrrha triplex inuenitur, scilicet myrrha prima, electa, & probatissima. Myrrha prima est pœnitentia, & amaritudo incipientium, seu pœnitentium. De qua dicitur Cant. 5. Manus meæ distillauerunt myrrham primam. Myrrha electa est pœnitentia claustralium, qui dicunt cum Propheta. Elegi abiectus esse in domo Dei mei, &c. De qua dicitur Eccl. 24. Quasi myrrha electa dedi suauitatem odoris. Myrrha probatissima est pœnitentia perfectorũ, qui ab omni amore mundi abstracti solo cœlestiũ desiderio pascuntur, pro desiderio cœlestis patriæ affliguntur. De quibus dicitur Cant. 5. Digiti mei pleni myrrha probatissima. Beata autem Maria uoluit habere myrrham primam cum pœnitentibus, cum tñ ipsa esset innocentissima, myrrhã electam cum claustralibus, cum tñ oĩum claustralium sit magistra, myrrhã probatissimam cum perfectis, cum tñ ipsa sit perfectissima.

SECVNDVM QVAE BEATAE VIRGINIS misericordia præstat alijs. *Sermo* XCIX.

Misericordia Mariæ est omnibus misecordijs omnium aliorum sanctorum excellentior, generalior, com-

communior, & maior. Est quidem excellentior, quia eius misericordia omnes alias excellit. Sicut enim oleum eminet cæteris liquoribus, sic & eius misericordia eminet cæteris sanctorum miserationibus. Ista autem excellentissima excellentia quintupliciter ostenditur, & ideo quinque rebus assimilatur, scilicet auroræ, soli, lunæ, armatæ aciei, & stellæ maris, Cant. 6. Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens, &c. Assimilatur quidem auroræ, quia eius misericordia præ omnibus alijs est vtilior. Sicut enim aurora expellit noctem, & introducit diem, sic ipsa à nobis expellit noctem culpæ, & introducit lumen diuinæ gratiæ. Assimilatur lunæ, quia præ omnibus alijs est vicinior, sicut luna omnibus alijs planetis est terræ magis vicina. Assimilatur soli, quia eius misericordia præ omnibus alijs est communior, quia non est qui se abscondat à calore eius, nec à luce eius, sed omnibus dat misericordiam inflammantem affectum, & illuminantem intellectum. Assimilatur armatæ aciei, quia eius misericordia præ cæteris est potentior, quia hostes conterit, & in fugam conuertit. Assimilatur stellæ maris, quia eius misericordia præ cæteris est diuturnior. Sicut enim cæteris stellis occidentibus ipsa non occidit, sic cæteris sanctis non exaudientibus Maria non deserit. Secundò eius misericordia est omnibus generalior, quia vbique generaliter inuenitur, scilicet in mundo, in iudicio, & in cœlo. In mundo, quia tota terra sua plena est misericordia. Nec mirum, quia ipsa habet miserendi potentiam, sapientiam, & voluntatem promptam. Prouerb. 21. Thesaurus desiderabilis, & oleum in habitaculo iusti. Potest quidem misereri, & subuenire, quia habet thesaurum misericordiæ. Vult libentius subuenire, quia habet oleum, idest pietatis affectum, scit subuenire, quia fuit iusti, idest Christi, qui est Dei sapientia spirituale habitaculum. Secundò subuenit in iudicio. Prouer. vlt. Laudent eam, scilicet omnes electi, in portis, in iudicio, quia olim iudicia in porta tenebantur, opera eius, scilicet, quæ tunc faciebat. Ipsa enim Virgo Beata cum filio ad iudicium veniet, & ibi erit in magno honore, quo ad se, & in magna vtilitate quo ad nos. De honore quem in iudicio habebit, dicitur in Psalm. Asti-

tit Regina à dextris. Honorabitur quoad habitum, quia gloriosa cum corpore induta erit. Ideo subditur. In vestitu deaurato, idest cum corpore glorificato. Honorabitur quantum ad consortium, quia omnes angeli, & sancti circa eam tanquam suam Reginam assistent, Ideo subditur. Circundata varietate, idest omnium sanctorũ diuersitate. Secundò erit ibi ad magnam vtilitatẽ quo ad nos, vnde dr̃ de ea. Prou. vlt. De nocte surrexit, deditq; prædam domesticis suis, & cibaria ancillis suis, omnes domestici eius vestiti duplicibus. Ancillæ eius sunt animæ, quæ sibi libenter seruiunt. Domestici eius sunt illi qui ex intima deuotione eum ipsa quandam familiaritatem contraxerunt. Ipsa igitur de nocte surget, quia ad literam, vt creditur iudicium fiet, & tunc ancillis, & domesticis suis dabit prædam, idest dæmonum, & reproborum victoriam, quos omnes eis in prędam dabit, quia quilibet sanctus eos sub pedibus tenebit. Malach. 4. Calcabitis impios cum fuerint quasi cinis sub planta pedum vestrorum. Dabit etiam eis cibaria, quia cum filius suus sit verus Deus, & verus homo eos cibabit, & reficiet in visione humanitatis, & in contemplatione Deitatis, ipsos etiam vestiet duplicibus, scilicet duplici stola gloriæ, & baetitudinis animæ, & corporis. Tertiò eius misericordia apparet in Regno, quia eius claritas in beatis est causa gloriæ, lætitiæ, & honorificentiæ. Gloriæ quidem quia eius claritas beatos illustrat. Bernard. Mariæ præsentia totus illuminatur orbis, adeò, vt ipsa superna ciuitas clarius rutilet virgineæ lampadis illustrata fulgoribus. Est etiam causa lætitiæ, quia sancti sine magna lætitia non possunt videre sororem suam super omnes angelos exaltatam, est etiam causa honorificentiæ, quia magnus honor est sanctis habere fratrem Christum, & sororem Beatam Virginẽ, quorum vnus est Rex, & altera Regina totius Regni cęlestis De his tribus dr̃ Iudith 15. Tu gloria Hierusalem, tu lætitia Israel, tu honorificentia populi nostri. Tertiò eius misericordia est cæteris misericordijs communior, & copiosior. Vnde eius misericordia assimilatur oliuæ campi. Eccles. 24. Quasi oliua speciosa in campis. Misericordiæ aliorum sanctorum sunt sæpe oliuæ hortorum, quia clausas eas sæpe tenent, eo

quòd

quòd digni non sumus. Misericordia autem Virginis est oliua campi, quia omnibus est cōis. Ber. Virgo Beata copiosissima charitate, sapientibus, & insipientibus debitricem se fecit omnibus, misericordiæ sinū aperit, vt de eius plenitudine accipiant, vniuersi, captiuus redemptionem, æger curationem, tristis consolationem, peccator veniam, iustus gratiam, angelus lætitiam, tota denique Trinitas gloriam, filij persona carnis substantiam nec est qui se abscondat à calore eius. Idem. Quid ad Mariam trepidet accedere humana fragilitas nihil in ea terribile, nihil austerum, tota suauis est, omnibus offerens mel, & lac, & oleum. Reuolue totam scripturæ seriem, & si quid durum in ea occurrerit, de cętero eam suspectam habeas, & ad eam accedere uerearis. Quartò eius misericordia omnibus alijs misericordijs est maior quadruplici dimensione, scilicet, longitudine, latitudine, sublimitate, & profundo. De hac misericordia dicit Ber. Quis ô benedicta misericordię tuę longitudinem, latitudinem, sublimitatem, & profundum inuestigare possit. Longitudo enim eius usque in diem nouissimum subuenit vniuersis eam inuocantibus, latitudo eius replet orbem terrarum, ut eius quoque misericordia sit plena omnis terra, sublimitas eius ciuitatis supernæ ruinas instaurauit, & profunditas sedentibus in tenebris, & vmbra mortis redemptionem obtinuit. Sic ergo tuę pietatis ipsam quam apud Deum inuenisti gratiam notā facere mundo precibus tuis, & obtinendo reis veniam, ęgris medelam, pusillis corde robur, afflictis consolationem periclitantibus adiutorium, & liberationem.

LAVDATVR BEATA VIRGO PRO NARDO *illa de qua in Canticis.* Sermo C.

NARDVS significat Virginem Mariā de qua dr̄ Cantic. 1. Cum esset Rex in accubitu suo nardus mea dedit odorem suum. Vbi tria sunt videnda. s. quę sit ista nardus, quis sit iste Regis accubitus, quis sit iste odor tam gratus. Circa primum notandum, quòd nardus est herba parua, odorifera, candida, & virtuosa, Inquantū. n. est parua, significatur

Mariæ humilitas, quia cũ eſſet maxima, & in matrem Dei aſſumpta tamen reputabat ſe paruam, & humilimam, quando dicebat. Reſpexit humilitatẽ ancillę ſuæ. Inquantum eſt odorifera ſignificat eius virginitas, cuius memoria Deo, & hominibus facit odorem. Sap. 4. O quam pulchra eſt caſta generatio cum claritate immortalis, eſt enim memoria illius, quia apud Deũ nota eſt, & apud homines. Inquantum eſt calida notatur eius feruens charitas, quæ tanta fuit, ꝙ Deũ de celis ad terram traxit. Aug. O charitas quam magnas vires habes, Deum de cœlo ad terram depoſuiſti. Inquantum eſt uirtuoſa notatur eius pietas. Virtus autem nardi, ſicut dicitur de proprietatibus herbarũ eſt, ꝙ habet cor, & cerebrum confortare. inflammationem ſtomachi deprimere, & fluxũm uentris reſtringere. Sic pietas Mariæ confortat cor in tribulatione, deprimit cor ab elatione, & reſtringit a carnali delectatione.

Circa ſecundum ſciendum eſt, ꝙ iſte rex, ideſt, Chriſtus habet quadruplicem accubitum. Primus eſt ſinus patris, de quo Io. 1. Vnigenitus filius, qui eſt in ſinu patris ipſe enarrauit. Secundus eſt uterus matris, de quo Eccl. 24. Qui creauit me requieuit in tabernaculo meo. Tertius eſt lignum crucis, ubi Chriſtus accubuit, & obdormiuit, Can. 1. Indica mihi, ubi paſcas, ubi cubes, in meridie, ad literam enim Chriſtus accubuit in cruce in meridie. Quartus eſt cor hominis in quo Chriſtus per fidem ueram habitat, & requieſcit. Eph. 3. habitare Chriſtum per fidem in cordibus ueſtris.

Viſo quæ ſit iſta nardus, & quis ſit iſte regis accubitus, videamus quis ſit iſte odor tam gratus, pro eo quod dicitur Nardus mea dedit odorem ſuum. Nam dum iſte rex in primo accubitu eſſet, ideſt in ſinu patris, odorem dedit Mariæ humilitas, quæ intantum Chriſtum delectauit, ꝙ ad eius uterum deſcendit. Cum enim ſe humiliauit, dicens, ecce ancilla domini, ſtatim Chriſtus de ſinu patris ad eius uterum uenit. Dũ eſſet in ſecundo accubitu, ideſt, in utero virginis odorem dedit Mariæ virginitas, qa Chriſtus in utero matris virginitate ipſius, & puritate paſcebatur. Can. 2. Qui paſcitur inter lilia. Deus quidem paſcitur inter lilia, ideſt, inter corda munda. Dum eſſet in tertiò accubitu, ideſt in ligno crucis odorẽ dedit Mariæ

charitas

charitas quæ tanta fuit, quod iuxta crucem filij stabat, parata si oportuisset pro humano genere martyrium sustinere. Amb. su per Lucam. Fortasse, quia cognouerat per filij mortem mundi redemptionem futuram putabat aula regalis se sua morte pu blico muneri aliquid additutam. Inquantum rex iste est in quarto accubitu, idest, in corde hominis odorem dat Mariæ pietas, quæ nunquam desinit, sed sp Deum ad misericordiam, & pietatem inducit. Vgo de sancto Victo. Christus sol. Maria stella, ideo peccatores uelut in nocte a Maria consolantur, iusti vero tanquam in die a Christo illuminatur. Itaque si per timescis supplicaturus ad Christum accedere ad Mariam respice ad genus tuum conspicis, nihil illic quod timeas inuenis.

QVINQVE RATIONIBVS COMMENDABIlis est Natiuitas B.Virginis. Sermo CI.

NAtiuitas Mariæ Virginis primo fuit a Deo prænunciata, secundò a Patriarchis præfigurata, tertio a prophetis prędicta, quarto a Deo gratiosè exhibita, quinto ab ecclesia solenniter instituta.

Primò enim pręnunciata fuit a Deo qn̄ dixit serpenti de muliere Gen. 3. Ipsa conteret caput tuū. Fulbertus Carnocen. eps. Dixit deus ad serpentem. Inimicitias ponā inter te, & mu lierem, ipsa conteret caput tuum. Quid est caput serpentis cōterere nisi principalē diaboli suggestionem resistendo superare? Si ergo quęratur, quæ nam hęc mulier operata sit huiusce modi victoriam, profecto non inuenitur in linea generationis humanę, donec perueniatur ad Mariam, quæ nimirum ser pentis caput uirtutis pede contriuit in eo, quod humilitatem, & virginitatem Deo consecrauit. Deinde subdit. Virginitate nā quę extinxit concupiscentiam carnis, humilitatem verò quę ipsam fecit pauperem spiritu concupiscentiam mentis.

Secundò a Patriarchis fuit præfigurata, sicut patet in virga Aaron quę floruit, fronduit, & fructificauit. Vnde super illud Numerorum 17. Inuenit Moyses virgā Aaron germinasse, dicit glo. idest Mariā quæ sine uiri semine genuit verbum

Dei.

Dei. Ber. sup Missus est. Nō enim incoueniens diuersis rebus ex causis Mariā figurari, sicut in uirga Aaron. Nam in virga intellige eius potentiam, in flore eius fragrantiam, in fructu saporis dulcedinem, & in frondibus paruulorum ad se cō fugientium sedulam protectionem. Idē ibidem. Quid, & illud Gedeonis uellus q̄ utique de carne, sed sine carnis vulnere cēsum in area ponitur, & nunc quidem lana, & nunc area arcole perfunditur, nisi carnem assumptam de carne Virginis, & sine detrimento Virginitatis, cui utique distillantibus cœlis tota infunditur plenitudo diuinitatis, adeo ut de eius plenitudine omnes acciperemus, qui uerè sine ipsa nihil aliud quam arida terra sumus?

Tertiò fuit à prophetis prædicta Ber. Audiamus Hieremiam dicentem. Nouum faciet Dominus super terram fęmina circundabit virum. Si dixisset infantem, uel paruulum, nec nouum uideretur nec mirum, sed vir erat Iesus etiam, nec dū natus. Sapientia quidem non etate corporis, sed cum uigore. Et Isa. dicit. Ecce dabit Dominus ipse uobis signum. Ecce virgo concipiet, & pariet uobis filium. De ista mystica prænunciatione præfiguratione, & prædictione dicit Hiero. in serm. de Assumptio. hęc est, inquit, quæ diuinis angelicisque præconijs laudata est, ac prædicata, à Patriarchis quidem enigmatibus, & figuris præsignata, à prophetis prænunciata, ab Euangelistis exhibita, & monstrata, ab Angelo uenerabiliter atq; officiosissimè salutata. Ber. ubi supra Quod Moysi monstratum est in rubo, & in igne, Aaron in flore, Gedeoni in uellere, & in rore, hoc aperte Salomō præuidit in forti muliere. Apertius Hieremias in fęmina virum circundante. Apertissime uerò Isaias declarauit de Virgine concipiente Gabriel tandem exhibuit ipsam Verginem salutando.

Quartò fuit a Deo gratiosè exhibita. Nostra enim natiuitas non est gratiosa, sed ignominiosa. Primò, quia est cum reatu. Psal. Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea. Secundò; quia est cum fletu. Sap. 7. Primam omnium uocem emisi plorans. Tertiò, quia est cum pœna, & defectu Iob. 1. Nudus eggressus sum de utero matris meæ, Homo enim nascitur nudus non solum nuditate

tate vestium, sed etiam nuditate virtutum. Natiuitas autem Beatæ Mariæ fuit gratiosa, quia non fuit cum reatu, sed cum omni munditia, non fuit cum defectu, sed cum omnium virtutum, & gratiarum abundantia, non fuit cum fletu, sed cum lætitia. Quamuis.n. ipsa in suo ortu fleuerit sicut cęteri pueri, tamen in eius Natiuitate magnum gaudiũ habuerunt, & nos etiam habere debemus. Propter ista tria dicitur Hester 8 *Iudæis noua lux oriri visa est*. gaudium, honor, & tripudium. In hoc ꝙ eius ortus vocatur lux, ostenditur, ꝙ Natiuitas sua fuit pura, & munda. In hoc quod dicitur, ꝙ fuit gaudiũ, & tripudium, ostẽditur, ꝙ fuit angelis gaudiosa, & nobis multum iocunda. In hoc quod dr̃, ꝙ fuit honor, ostenditur, ꝙ fuit omnium gratiarum & virtutum decore adornata. Quintò eius natiuitas fuit ab Ecclesia solemniter instituta. Trium.n. natiuitates Ecclesia tãtummodo celebrat. s. Christi, B. Mariæ, & Ioannes Baptistæ. Et hoc quinque de causis. Primò, quia oẽs isti tres Sancti sunt nati. De primo Luc. 1. Quod.n. ex te nascetur sanctum uocabitur filius Dei. De secũdo. Sanctificauit tabernaculum suum altissimus. Ber. Neque.n. natiuitas Beatę Mariæ festiuis laudibus honoraretur, si nõ sancta nasceretur. De tertio Hiere. 1. Antequam exires de uulua sanctificaui te. Secundò quia omnes tres nati sunt gratia pleni. De primo. Io. 1. Plenum gratiæ, & ueritatis. De secundò Luc. 1. Aue grã plena Dñs tecum. De tertio. Io. 1. Spiritu sancto replebitur adhuc ex utero matris suæ. Tertiò, quia omnes tres miraculosę nati sunt. Nam Christus natus est de matre virgine. Maria uero de sterili utroque parente. Ioannes de sene patre, & matre. Quartò, quia dies ortus ipsorum fuerunt gaudio deputati. De primo Luc. 2. Annuncio uobis gaudium magnum qđ erit omni populo. De secundo cantat Ecclesia, Natiuitas tua Dei genitrix Virgo gaudium annunciauit uniuerso mundo. De tertio Luc. 1. Multi in natiuitate eius gaudebunt. Quintò, quia fuerunt omnes tres præ cæteris sanctis maiori luce pfusi. Nã lux Christi assimilatur luci Solis. Mal. 4. Vobis timentibus Deum siue nomen meum orietur Sol iustitię. Lux Beatæ Mariæ assimilatur luci Lunæ. Cantic. 6. Pulchra, ut Luna. Lux Ioannis assimilatur luci Luciferi. Iob, 38. Nũquid

produces Luciferum in tempore suo. Sicut igitur post Solem, Luna, & post Lunam Lucifer magis lucent, sic post Christum Maria, post Mariam Ioannes Baptista magis splendent. Et ideo sicut cœlo Sol, Luna Lucifer amplius lucet, sic in ecclesia militanti isti sancti præ cæteris magis refulgere debent.

ASSIMILANDA EST BEATA VIRGO Naui pluribus rationibus & modis. Sermo C II.

NAVIS dicitur Maria multiplici ratione. Primò ratione causæ efficientis, quia Deus trinus eam fecit. Nam pater ibi posuit suam potentiam, inquantum potentiam diuinitatis receptiuam sibi contulit]. Filius ibi posuit suam sapientiam, inquantum sibi sigillum integritatis integrum seruauit. Spiritus sanctus ibi posuit gratiam, inquantum plenitudinem gratiæ sibi dedit.

Secundò dicitur nauis ratione causæ materialis. De materia autem huius nauis ipsa dicit Eccle. 24. Quasi cedrus exaltata sum in libano, & quasi cypressus in monte Syon quasi oliua speciosa in campis, & quasi platanus exaltata sum iuxta aquas in plateis. Est ergo ista nauis facta de cedro virginitatis, quia cedrus est odorifera, & imputribilis, & significat eius virginitatem, quæ fecit ipsam Deo gratam esse, & odoriferam, & carnem eius seruauit incorruptam. De cypresso charitas, quia cypressus est tãtæ fortitudinis, & soliditatis, quòd nulli oneri cedit, sic charitas Beatæ Mariæ nulli unquam tribulatione cedere potuit. Can. 8. Fortis est, ut mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio, aquæ multæ nō potuerunt extinguere charitatem. Facta est etiam de oliua pietatis, quæ semper uiret, quia nunquam eius pietas alicui deest, nec in uere iuuentutis, nec in autumno senectutis, nec in hyeme tribulationis, nec in æstate alicuius mali feruoris. Facta est etiam de platano humilitatis. Est enim platanus arbor amplissima, sic humilitas Virginem Mariam amplissimam fecit, quia illum in utero suo suscepit, quem cœli capere non poterãt. Nã sicut dicit Ber. Maria ex virginitate placuit, sed ex humilitate concepit.

Tertiò dicitur nauis ratione causę formalis. Forma autem nauis est talis, quia superius est aperta, inferius est clausa, in principio stricta, in fine angusta, in medio lata, sic & Virgo Maria fuit superius aperta ad amorē cœlestiū, inferius clausa ad amorem terrenorum, fuit in principio suæ conceptionis stricta, quia sine peccato originali concepta fuit, in fine passionis angusta, quia in morte filij doloris gladio vulnerata, fuit in medio lata, quia totius Trinitatis nobile triclinium est effecta.

Quartò dicit̄ nauis ratione causæ finalis. Est enim facta, ut Deum de cœlo ad terram portaret, iuxta illud Prouer. vlt. Facta est quasi nauis institoris de longe portans panē suum. Iste est ille panis, qui dicit Io. 6. Ego sum panis viuus, qui de cœlo descendi. Istum panem de longe nobis portauit. Istud autem longe dicit distantiam locorū, quia de cœlo in terram ipsum nobis portauit, ubi est distantia maxima. Vel dicit distantiam naturarū, quia iste panis constat ex natura diuina, & humana, in quibus est distantia infinita. Vel dicit distantiā meritorum, quia nulla nostra merita meruerunt, ut Deus hō fieret. Vel dicit distantiam statuum. Cum. n. sint quatuor status hoīs, vnus ante peccatū sub innocētia, secūdus post peccatū sub culpa, & pęna, tertius sub gratia, quartus erit in gloria. Christus accepit carnem suā de longe. i. de primo statu humanæ naturæ, quo. s. fuit sine peccato, & sub innocētia, nihilominus tñ de singulis statibus Chrs aliquid accepit. Nā de primo accepit peccati immunitatem, de secundo pœnalitatem, de tertio gratiæ plenitudinem, de quarto gloriosam fruitionē, quia eius anima beata continuè fruebatur. Ad ipsum panē comedendum nos inuitat dicens Prou. 9. Comedite panē meū, & bibite uinum, quod miscui uobis. Idem aūt uocatur hic panis, & uinum. s. Christus. Nam ipsum uinū Deus Trinitas miscuit qñ aquam humanitatis uino diuinitatis uniuit. Ipsa ēt Virgo miscuit, quando de suis sanguinibus materiā ministrauit. Panem quoque istum ipsa fecit. Vnde significata est p illā mulierem, de qua dicitur Mat. 13. quæ tria sata farinæ, i. corpus, animam & diuinitatem simul coniunxit, fermētū aūt in hac commixtione, fuit fides Virginis Mariæ.

Quintò dicitur nauis ratione arboris, quæ in ista naui erecta fuit, De qua arbore dicitur Eze. 27. Cedrum de libano tulerunt, ut facerent tibi malum. Ista arbor fuit Christus, qui in ista naue Virginis fuit erectus. Qui assimilatur cedro, non tantùm propter sui sublimitatem, sed etiam pp fructus qualitatem. Poma enim cedrina in aliqua parte sunt dulcia in aliqua parte acerba, in aliqua inter dulce, & amarum sunt media per quę significatur in Christo tres naturæ. Nam in Christo fuit diuinitas dulcissima, fuit caro amaritudine plena, fuit & anima, quæ fuit dolore plena inquantum fuit suę naturæ relicta patiebatur, & fuit dulcedine repleta, inquātū fruebat.

Sextò dicitur nauis ratione ueli, quod ibi positum fuit. Qđ autem signatur per arborē istius nauis, ipse etiam significatur per uelū. s. ipse Christus. De isto uelo dicitur Eze. 27. Byssus uaria de Ægypto contexta est tibi in uelum. Dicitur autē istud uelum uarium fuisse, quia pictum fuit de colore albo, rubeo, & aureo. In Christo. n. fuit ut dictum est anima, deitas, & caro. Ex carne igitur refulsit color albus pp suam puritatem, ex aīa color rubeus, propter suam charitatem, ex deitate color aureus propter sua preciositatem. Can. 5. Dilectus meus candidus propter suam puritatem, rubicundus pp animę charitatem, electus ex milibus propter diuinam maiestatem.

Septimò dicitur nauis ratione mercium quib. onusta fuit. Quæ quidem fuerunt eius uirtutes maximæ humilitatis, uirginitatis, & fęcunditatis. Nam per mercém humilitatis fuit Deo grata, per mercem uirginitatis angelo, per mercem fęcūditatis toti generi humano. Iudith 15. Tu gloria Hierusalē, idest, Dei, qui est uisio pacis nostræ, & hoc propter suam humilitatem, tu lætitia Israel. i. Angelorum, qui semper Deum uident, & hoc propter suam uirginitatem, tu honorificentia populi nostri, & hoc propter suam fœcunditatem.

GENERA QVATTVOR NOBILITATIS *asseruntur fuisse in B. Virgine.* Ser. CIII.

NOBILIS fuit Virgo Maria quadruplici nobilitate, s. generis, Moris, uirtutis, & imaginis. Nobilitas generis

causatur

causatur ex carnis propagatione. Istam beata Virgo habuit quia de regali stirpe descendit. Vnde cantat ecclesia. Regali ex progenie &c. Olim quidem in ueteri testamento tres stirpes erãt nobilissimæ, s. Patriarchalis, Prophetalis, & Regalis. Ipsa igitur descendit de stirpe patriarchali, idest, de Abrahã, de stirpe Prophetali, idest, de Nathan Propheta, de stirpe Regali, idest, de Dauid.

Secunda est nobilitas moris, quæ causatur ex honestã morum compositione. Hanc etiam ipsa habuit, de qua sic dicit Ambr. in lib. de virginibus. Hinc sumatis exempla uiuendi, ubi tanquam in exemplari magisteria expressa probitatis quid corrigere, quid effugere, quid tenere debeatis ostendit.

Tertia nobilitas est uirtutis, quæ causatur ex uirtutum possessione, hanc etiam ipsa habuit. Vnde ipsa dicit Eccles. 24. In me omnis gratia uitæ, & ueritatis, in me omnis spes uitæ, & uirtutis. Præcipua tamen uirtus omnium uirtutum fuit uirginitas cum fęcunditate, fęcunditas cum uirginitate. Bern. in sermone de Assumpt. Si laudauero in Maria uirginitatem, multæ uidentur mihi uirgines afferri post eam: Si prædicauero humilem, inuenientur forte nõ pauci, qui mites, & humilis corde facti sunt. Si multitudinem eius misericordiæ uoluero magnificare, sunt mulieres, & uiri misericordes. Vnum autem est in quo nec primam similem uisa est nec habere sequentem gaudium, uidelicet, matris habens cum virginitatis honore: Prima igitur nobilitas, scilicet, carnis, quando coniungitur cum hac duplici nobilitate, scilicet, moris, & uirtutis, sine nobilitate carnis, tanto amplius laudatur quanto propriam uincens naturam laudabiliter operatur.

Quarta est nobilitas imaginis, quæ causatur ex diuinæ imaginis impulsione, qua naturaliter omnes sunt nobiles, quia ad Dei imaginem sunt creati. Vnde dicitur Act. 17. Ipsius enim genus sumus. Istam tamen imaginis nobilitatem corrũpunt peccatores, qui imaginem alienam superinducunt. De quibus dicitur Rom. 1. Mutauerunt gloriam, idest, imaginẽ gloriosam corruptibilis hoĩs inuolucrum, & quadrupedum, & serpentum. Imago corruptibilis hominis est uanagloria.

quæ cito euanescit,& corrumpit,imago uoluerum est superbia,imago quadrupedum est luxuria quæ in corpore exercetur, quod quatuos elementis componitur, imago serpentum est auaritia, quia auari semper terram comedunt, idest terrena concupiscunt. Beata autem virgo imaginem Dei illibatam in se seruauit,nec alienam imaginem superinduxit,nec luxuriæ,quia fuit castissima,nec uanę gloriæ,quia mitissima fuit, nec superbiæ,quia fuit humilima,nec auaritiæ,quia fuit pauperima. Propter istam quadruplicem nobilitatem dicitur in Psal. Astitit regina à dextris tuis,&c. Ecce nobilitas generis. In uestitu deaurato, idest,in corpore morum honestate. Ecce nobilitas moris. Circundata uarietate,idest uirtutum multiplicitate. Ecce nobilitas uirtutis. Deinde subditur. Et cōcupiscet rex decorem tuum,in hoc notatur nobilitas imaginis cuius decorem plurimum concupiscit.

IN BEATA VIRGINE PLVRA FACTA *fuerunt noua.* *Sermo* CIIII.

NOVA plura fuerunt facta in Virgine Maria. Primò enim pater fecit in ea quatuor noua,& nisoli-ta. Erāt enim quatuor impossibilia. Vnū q̄ virgo conciperet. Secūdum q̄ fęmina Deum reciperet. Tertium q̄ mater sine peccato generaret. Quartum q̄ puerpera sine dolore pareret. Pater igitur Virgini dedit uirtutem generatiuam ut Virgo de spiritum sancto conciperet. Hiere. 31. Nouum faciet Dominus super terram fęmina circundabit uirum. Et uerè nouum. Quod enim caro de carne uel spiritus de spiritu nascatur non est nouum,sed consuetum. Io. 3. Quod enim natum est ex carne caro est, & quod natum est ex spiritu spiritus est. Secundum q̄ factum est in Maria nouum,& inauditum est,ut Deū intra uterū recipere posset. Apoc. 12. Mulier amicta sole. Tūnc enim amicta fuit sole,quando Illustrata fuit diuinitate. Tertiò dedit matri gratiam,ut sine peccato generaret. Ideo dicitur Lu. 1. Quod enim ex te nascetur sanctum uocabitur filius Dei. Quarto puerpere dedit prærogatiuam,ut sine dolore pareret. Iob. 5. De humo non egredietur dolor. Ista humus est illa

terra, de qua dr̄ Isa. 45. Aperiat terra, & germinet saluatorē.
Secundò filius fecit in ea tria noua. Vnum est, quia de suo utero carnem assumpsit. Secundum est, quia animam suam creauit. Tertium est, quia utrunq; suæ diuinitati uniuit. Caro quidem fuit noua sine semine generata. Anima fuit noua, quia de nouo creata, & innocenti corpori infusa. Coniunctio fuit noua, quia creatura creatori fuit vnita. De duobus primis diuitur Isa. 45. Ecce ego creo cęlos nouos, & terrā nouam. Per cęlum nouum intelligitur aīa Christi, quę fuit tota cęlestis. Per terrā nouam significat eius caro, quę fuit de nr̄a terrena substantia, de qua dr̄ Iob 9. Terra data est in manu impij. i. Pilati, siue Iudæi. De tertio Damascenus loquens de hac coniunctione deitatis. s. cū humanitate dicit, ꝙ hęc est oīum nouorū nouissimum, & ꝙ respectu eius nihil nouū sub sole.
Tertiò Spiritus sanctus tria noua fecit. Primò nouum modum sanctificandi, quia consueuerat sanctificare adultas, sed hanc sanctificauit clausam in utero, quia cum ipsa Virgo esset clausa in utero matris, fuit à Spiritu sancto sanctificata. Secundò habuit nouum modum infundendi, quia olim infundebat se ad iustificandum. Nunc autem infundit se ad impugnandum. Lu. 1. Spiritus Sanct. superueniet in te, qui. s. te impręgnabit, & conceptum tuum formabit. Tertiò habuit in ea nouum modū tribuendi, quia consueuit dare dona gratiarum suarū particulariter, Virgini autē dedit vniuersaliter. Ideo ipsa dicit Eccl. 24. In plenitudine sanctorū detētio mea. Hiero. in serm. de Assump. Bene plena, quia cęteris quidem per partē pręstatur, Marię verò se tota simul infudit gr̄æ plenitudo.
Quartò ipsa Virgo habuit quattuor noua, quia secundum Ber. ipsa fuit primiceria, sine corruptione fęcunda, sine grauedine grauida, & sine dolore puerpera.
Quintò angelus sibi tria noua annunciauit. s. Dei incarnatione, humani generis redēptionem, & suæ virginitatis conseruationem. Luc. 1. Ecce concipies, & paries filium, ecce filij Dei incarnatio. Et uocabis nomen eius Iesū. i. Saluatorē, ecce humani generis redemptio. Et infra. Spiritus sanctus superueniet in te, quasi dicat Concipies non humano semine, sed mystico spiramine, ecce uirginitatis conseruatio.

QVAE CONSIDERANTVR DE NVBE TALIA comparantur in B.Virgine. Ser. CV.

NVBES significat beatam Mariam. Nubes enim potest tripliciter comparari, uel considerari.ſ. quantum ad eius generationem, qualitatem, & virtutem. Fit autem generatio nubis, aliquando ex uaporibus marinis, aliquã do ex uaporibus terrenis, aliquando ex uaporibus corruptis. Et ſecundum hoc nubes dicitur Virgo Maria, & homines terreni, & homines mundani. Maria enim dicitur nubes inquantũm ex uaporibus maritimis generatur. Nubes habet generari ex uaporibus marinis, quando partes uaporabiles maris virtute caloris ſolaris attrahuntur in nubes, & ſic uirtute illius caloris omnis amaritudo marina in dulcedinem commutatur. Per iſtum modum Maria nubes dicitur. Nam in ipſa fuerunt multi vapores marini, ideſt, multæ tribulationes. Vnde & Maria amarum mare interpretatur, quę tamen tribulationes virtute diuini amoris ſibi in dulcedinem uertebantur, unus vapor marinus fuit tribulatio quam ab Herode paſſa fuit, qui ipſam uſque in Ægyptum fugauit, ſed tamen iſtud exilium lætanter, & patienter ſuſtinuit. Alius vapor fuit dolor quem habuit in filij paſſione, & iſte dolor temperabatur ex eo ꝙ per filij mortem expectabatur humani generis ſalus, Dolor etiam partus, & dolor mortis ſunt quidã uapores marini, qui tamen in ipſa dulcedinem ſunt conuerſi, quia ſine dolore peperit, & ſine dolore de hoc mundo tranſiuit. Secundò nubes ſignificat homines terrenos.ſ. quando ex uaporibus terrenis generantur. Vapores terreſtres ſunt affectiones hominum tterrenorum, qui per ſe ad cęleſtia aſcendere non poſſunt. Et ideo Virgo Maria virtute ſui amoris ab amore terrenorum eleuat corda eorum intra uiſcera ſuæ pietatis quodammmodo ea in nubes condenſat dum ipſa ab amore terrenorum eleuat, & ad amorem cœleſtium ſurſum leuat.

Tertiò nubes generantur ex uaporibus corruptis, & tunc magna peſtilentia, & corruptio generatur. Iſte nubes ex vaporib. corruptis generati ſunt homines immundi, & peccatores qui in ſe ſunt putridi, Iohel. 1. Computruerunt

iumenta in stercore suo. Et ideo alios inficiunt 1. Corin. 15. Corrumpunt bonos mores colloquia mala 1. Cor. 5. Modicū fermenti totam massam corrumpit.

Secundò nubes consideratur quantum ad qualitatem. Est enim concaua est à terra eleuata, est continuò motu agitata. Primò quidem est concaua, & ad modum spōgiȩ cauernosa, & ideo impressionum cœlestium est de facili receptiua. Sic B. Virgo fuit concaua per humilitatem, & ideo ualde idonea ad recipiendum cœlestium gratiarum infusionem. Ipsa.n.uocatur Luna, de qua Luna dicitur Eccl 43. Vas castrorū in firmamento cœli resplendens gloriosè. Luna dicitur uas castrorum, quia non solum à Sole, sed etiam à stellis, & planetis dicitur recipere aliquam mutabilitatem. Sic B. Maria à Sole, i. à Deo recipit gratiarum omnium infusionem, & à stellis. i. ab angelis continuè recipit laudem, & honorem. Secundò nubes est eleuata à terra. De terra quidem generatur, sed tñ in terra non moratur, sed sursum eleuatur. Quanto.n. nubes à terra eleuatur, & fit cœlo magis vicina, tanto, tanto uidetur esse minor, quanto autem terræ est magis uicina tanto vr̄ esse maior. Sic Beata Virgo nata fuit in mundo, sed conuersabatur in cœlo. Et quanto plus ad cȩlum se eleuabat, tanto magis humillima de se sentiebat. Vnde eleuata usque ad matrē Dei reginam cæli, & dominam mundi, tamen de se humilia sentiebat dicens. Respexit humilitatem ancillæ suæ. Homines autem mundani quanto magis terræ uicinantur, & elongant à cœlo, tanto de se maiora sentiunt, & amplius intumescunt. Tertiò nubes est continuo motu agitata, quæ agitatio, siue motio habet fieri à suæ substantiæ leuitate, & ab aeris subtilitate, & à uentorum impulsione. Nos non sumus agiles, sed sumus pigri & desides ad bene operandum, quia impedimētū habemus à corpore, qui habet corruptionē, & ab anima, q̃ habet terrenam affectionem. De his duobus dr̄. Sap. 9. Corpus qđ corrumpitur aggrauat animā, & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem. Habemus ēt impedimēta à spū nostro, qui qñ non hēt Deū est sibi pondus grauissimū. Aug. in lib. confessionū. Nūc aūt ea q̃ imples, subleuas, & qm̄ tui plenus nō sum, iō mihi onus sū. Beata aūt Maria ad bene

operan-

operandum fuit, velocissima, quia habuit corpus leue ex eo, q; fuit incorruptissima. Habuit animam subtilem ex eo, q; fuit tota purissima. Habuit spiritum Deo plenum, qui ipsam ad omne bonum impellebat ex eo, quòd fuit Spiritu sancto plenissima. Ideo vocatur nubes leuis, Isa. 19. Ascendet Dominus super nubem leuem. Amb. super illud beati immaculati exponens supradictam auctoritatem dicit. Ascendet Dominus super nubem leuem, hoc est in Mariam Virginē, quæ nubes erat secundùm hæreditatem Euæ. Læuis erat secundùm virginitatis integritatem. Leuis erat, quæ non quærebat hominibus placere, sed Deo. Leuis erat, quæ non conceperat in iniquitate, sed Spiritu sancto superueniente. Tertiò nubes consideratur quantum ad effectum siue comparationē, & virtutem. Nubes enim terram fœcundat æstum mitigat, arcum cœlestem generat. Sic Beata Maria imbrę gratiarum suarum totam Ecclesiam irrigat, & fœcundat. Est enim fons Paradisi, qui totam terram irrigat, & in quatuor capita diuiditur. Quia quibusdam dat virtutem prouidentiæ, vt sibi prodeat à periculis futuris, quibusdam virtutem iustitiæ, ut satisfaciant de offensis præteritis, quibusdam dat virtutem fortitudinis, vt sint constantes in aduersis, quibusdam virtutē temperantiæ, vt sint abstinentes in prosperis. Secundò nubes ęstū mitigat. Nam interponendo se inter nos, & solem vmbram generat, & refrigerium pręstat. Sic Beata Maria se interponit inter solem, & nos, dum Dei iustitiam ad misericordiam flectit, & sic nobis refrigerium magnum facit. Sunt enim multi qui patiuntur ęstum tribulationū, & carnalium concupiscentiarum, sed istos ęstus rore suę gratię refrigerat dum patientiam tribuit, & carnalem cōcupiscentiam extinguit. Eccl. 18. Nonne ardorem refrigerat ros. Tertiò nubes archum cœlestem in se parit, qui quidē archus hēt colorem igneū, viridē, & indigum. Quia igitur B. Virgo erat concaua per humilitatē. i. humilima, & rorida. i. gratia plena, ideo genuit in se rorem, archū. i. Christū, qui est signū fęderis inter nos, & Deū, per quem promisit Deus dare gratiā, & gloriā. Qui quidē hēt colorem igneū quo ad Deitatem. Heb. 12. Deus noster ignis consumens est. Habet colorem viridem quo ad carnem, quæ

virore

virore puritatis semper refloruit, & etiam mortua fętere non potuit, sed semper virore puritatis enituit. Psalm. Refloruit caro mea. Habet colorem indigum sine cœlestem quo ad animam, quæ semper in cœlestibus habitabat. Io. 3. Nemo ascendit in cœlum nisi qui descendit de cœlo, filius hominis qui est in cœlo.

EX ODORE, ET MODIS QVIBVS ODOR emittitur, insignis est Beata Virgo. Sermo CVI.

ODORIFERA fuit, & est tota Virgo Maria. Nec mirum, quia ipsa fuit plena balsamo diuinæ sapientię. Ecclesiast. 24. Quasi balsamum nō mixtum odor meus. Ipsa fuit hortus plenus lilijs munditiæ. Cant. 2. Sicut lilium inter spinas, &c. Ipsa fuit alabastrum plenum vnguento deuotionis, & gratiæ. Cant. 4. Odor vnguentorum tuorum super omnia aromata. Ipsa fuit apotheca plena aromatibus virtutum. Cant. 5. Genę tuę sicut areolę aromatum. Bernard. Si vasa pigmentaria diu seruant aromatum fragrantiam, quanto magis apotheca omnium gratiarum, in qua cœlestis pigmentarius cum omnibus suis vnguentis, cum omnibus delitijs accubuit. Ipsa fuit celarium plenum vino cœlestium doctrinarum. Cantic. 2. Introduxit me Rex in cellam vinariam, & ordinauit in me charitatem. Item, 7. Guttur tuum sicut vinum optimum. Notandum autem, quòd odor multipliciter causatur. Primò ex concrematione sicut thus concrematum in igne reddit odorem. Ecclesiast. 50. Quasi thus redolens in diebus æstatis, & quasi thus ardens in igne. Aliquando causatur ex contritione sicut aromata integra parum redolent; sed in puluerem redacta magnum odorem faciunt. Aliquando ex reuelatione siue ex manifestatione, sicut balsamum in vase inclusum odorem non reddit, sed vase fracto, vel aperto odor diffunditur. Vnde dicitur de Magdalena. Io. 12. ꝙ postquam alabastrum fractum est, domus impleta est ex odore vnguenti. Aliquando ex aggregatione multarum herbarum redolentium in agris. Genes. 27. Ecce odor filij mei sicut odor agri pleni. Maximè autem

rem tunc flores, & herbæ consueuerunt redolere, quando à vento australi fuerint perflatæ. Cant.4. Surge aquilo, & veni auster, & perfla hortum meum, & fluent aromata illius. Istis quatuor modis odor in Beata Virgine causabatur. Primò ex concrematione. Triplici enim igne fuit totaliter concremata s. igne doloris, dum filij sui acerbam passionẽ cogitabat, igne desiderij, dum ad filium suum pergere æstuabat, & ea, quæ dixerat, & fecerat in mente reuoluebat, igne amoris, quia tota erat ignita, & in ignem amoris conuersa. De isto triplici igne dicit Hieronym. in sermo. de Assumpt. Quantis putas filij doloribus afficiebatur, quo amore cruciabatur, quo desiderio æstuabat, dum mente reuolueret cuncta, quæ audierat, & viderat. Puto quicquid humanæ uirtutis est cogitare non sufficiat. Nam & si diligebat ex toto corde Christum, nouis tamen inflammabatur quotidie præsentia absens affectibus desideriorum quam nimirum totam Spiritus sancti gratia repleuerat, totam diuinus amor incanduerat, ita ut in ea nihil esset, quòd mundanus uiolaret affectus, sed ardor continuus, ac perfusi amoris ebrietas. Ex tanta igitur ignis concrematione, magnum de corde suo faciebat holocaustũ Domino. Odoratusque est Dominus odorem suauitatis. Dicitur autem holocaustum sacrificium, quòd totum est incensum, Cor igitur Virginis fuit Deo odoriferum holocaustum, quia totum incensum fuit igne doloris, igne desiderij cœlestis, & igne diuini amoris. Secundò causabatur in ea odor ex contritione siue ex puluerizatione. Vnde dicit sponsus quasi admirando. Cantic.3. Quæ est ista, quæ ascendit per desertum sicut uirgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris. Aromata intelliguntur Dei beneficia, quæ ipso pistillo deuotionis in corde suo terebat, dum ea frequenter in mente reuoluebat. Per myrrham signantur amaritudines passionis filij sui, quas ipsa pistillo doloris in corde suo terebat, dum ea sedula mente frequenter cogitabat, & amara suspiria emittebat. Per thus signantur eius inflammata, & odorifera desideria, quæ illa pistillo amoris terebat dum ea in corde suo nouis desiderijs renouabat. Per uniuersos pulueres pigmentarij, intelliguntur eius uirtutes, quas ipsa pistillo laboris

terebat

terebat dum uirtutes suas per opera continua exercitabat. Illi enim habent uirtutes integras, qui eas habent ociosas, nec per aliqua opera exercitatas. Dicit ergo. Quæ est ista, &c. uirgula fumi procedens ex diuersis pulueribus pigmentarij, est uirtutum suarũ assidua exercitatio. Magnum igitur odorem Deo faciebat, quæ sic terebat Dei beneficia per incitationem, sic terebat desideria per renouationem, & sic terebat uirtutes per exercitationem. Tertiò causabatur in ea odor ex reuelatione siue ex manifestatione. Odor enim suus non fuit clausus sed apertus, & manifestus intantum, quòd ascendit in cœlum, quòd penetrauit infernum, & quòd per totum mundum diffusus est. Nam odor suæ humilitatis, & virginitatis in cœlum ascendit, & Deum & angelos lætificauit, ideo assimilatur nardo. Cantic. 1. Cum esset Rex in accubitu suo nardus mea dedit odorem suum. Nardus est herba parua, & odorifera. Inquantum est parua significat eius humilitatem, inquantum est odorifera significat eius virginitatem. Odor suæ sanctitatis infernum penetrauit, & sanctos Patres recreauit, & dæmones conturbauit. Ideo assimilatur odori vineæ. Cant. 2. Vineæ florentes odorem dederunt. Odor enim vineæ homines recreat, sed conturbat serpentes. Sic odor suæ sanctitatis Patres qui erant in limbo recreauit, & cõfortauit dæmones autem expulit, & conturbauit. Odor suæ fœcunditatis totum mundum repleuit, & omnes mirabiliter sunt allecti. Ideo assimilatur odori vnguentorum. Intantum enim omnes homines odore suæ fęcũditatis sunt repleti, & affecti, quòd omnes trahi desiderant, & ad ipsam currere affectant, Cant. 1. Trahe me post te in odorem vnguentorum tuorum. Quartò causabatur odor in ea ex diuersorum florum, & herbarum, idest, virtutum aggregatione. Nam in ea fuit lilium munditiæ, rosa patientiæ, viola humilitatis profundè, virtus temperantiæ, & cæteri flores virtutum, & gratiæ. Istæ autem virtutes fuerunt in ea valdè odoriferæ, quia austro Spiritus sancti fuerũt perflatę. Auster enim est vẽtus calidus, humidus, & fœcundus, vel fœcundatiuus. Auster igitur Spiritus sancti eam inflammauit per amorem, humectauit per deuotionem, & fœcundauit per bonorum operum multiplicationem.

CON-

CONTEMPLATVR BEATA VIRGO, *vt oliua.* *Sermo CVII.*

OLIVA significat Beatam Mariam. Oliua enim considerari potest quantum ad arborem, fructum, & liquorem. Quantum vero ad arborem ipsa est oliua viriditatis continuę, est signum reconciliationis factę, est signum victoriæ assecutæ, est fœcunda in sobole. Et quantum ad ista omnia hęc ostenduntur de Beata Maria, scilicet, qualis fuit quantum ad seipsam, quantum ad Deum, & qualis ad dęmones. Primò igitur oliua est uiriditatis continuę, quia uiret in æstate, in hieme, in vere, & in autumno. Et quantum ad hæc omnia ostenditur de Beata Maria qualis fuerit quantũ ad seipsam. Ipsa enim uirorem suę sanctitatis nunquã amisit, nec in æstate consolationis, nec in hyeme tribulationis. Vnde poterat dicere illud Iob. 27. Donec deficiam non recedam ab innocentia mea, iustificationem meam quam cæpi tenere non deseram. Tenuit etiam uirorem suæ sanctitatis in uerè iuuentutis, & in autumno senectutis, quia eundem feruorem quem habuit in iuuentute tenuit in senectute. Vnde sibi potest conuenire illud Deuteronom. 22. Sicut dies iuuentutis tuæ, sic & senectus tua. Secundò oliua est signum reconciliationis factæ, unde dicitur in historijs Romanorum, quòd quando Legati Romanorum mittebantur pro pace offerẽda, ramos oliuarum portabant. Et quantum ad hoc ostenditur qualis fuerit quantum ad Deum, quia ipsum nobis recõciliauit. Vnde in signum huius reconciliationis factæ angeli cantauerunt. Gloria in excelsis Deo. Hæc est illa mulier sapientissima, quę reconciliauit Dauid uiro suo, ut habetur. 1. Reg. 25. quia Deum reconciliauit generi humano. Hæc est illa columba innocentissima, quæ portauit ad archam ramum uirentis oliuæ in ore suo, quę indicabat hominem Deo reconciliatum. Tertiò oliua est signum uictoriæ assecutę. Nam sicut dicit Plinius. Olim apud Athenas uictores consueuerũt coronari ramis oliuarum. Et quantum ad hoc significat qualiter ipsa se habuerit ad dęmones, quia eos superauit, & ui-

cit.

cit. Ipsa quidem contriuit caput serpentis, idest, suggestionis suæ. Genes.2. Ipsa conteret caput tuum. Ipsa confudit astutiam suæ suggestionis. Iudith. 14. Vna mulier Hebræa fecit confusionem in domo Nabuchodonosor. Ipsa enim deiecit à dominio potestatis. Ideo subditur. Erit enim memoriale nominis tui cum manus fœminæ deiecerit eum. Quartò oliua est fœcunda in sobole, quia multas nouellas plantationes generat. Et quantum ad hoc ostenditur qualis sit quantum ad nos: ipsa enim tanquam mater fœcunda multos generat in fide, & gratia. Psalm. Ego autem sicut oliua fructifera in domo Domini. Item. Filij tui sicut nouellæ oliuarum. Ipsa enim filios quos generat postea in mensa cibat. Ecclesiast. 15. Cibauit illum Dominus pane vitæ, &c. Ipsa quidem cibat intellectum Dei cognitione, affectum Dei amore, qui amor est vita animæ. Secundò oliua consideratur quantum ad fructum. Secundùm autem Isido. fructus oliuæ primo virescit, secundo rubescit, deinde nigrescit. Sic Beata Virgo rubea fuit per charitatem, & viridis per virginitatem, & nigra per humiliationem. Cantic.1. Nigra sum, ecce nigredo humilitatis, sed formosa, ecce viredo virginitatis. Sicut pelles Salomonis, ecce rubedo charitatis. Vel potest dici, quòd fructus istius oliuæ fuit Christus qui fuit viridis in tota conuersatione sua. Luc. 23. Si in viridi ligno hoc faciunt in arido quid fiet. Fuit rubeus in passione. Isa.63. Quare rubrum est indumentum tuum, & vestimenta tua sicut calcantium in torculari. Fuit niger in morte. Apoc. 6. Sol factus est niger tanquam saccus cilicinus. Tertiò oliua consideratur quantum ad liquorem. Sicut dicit Isidorus. Surgit oleũ ex amaritudine radicis, & pabulum luminis, in refectionem esurientis, in medicinam infirmantis. Sic & ipsa ad instar olei, tenebrosos illuminat lumine suæ gratiæ. Ecclesiast.24. Penetrabo inferiores partes terræ, & inspiciam omnes dormientes, & illuminabo omnes sperantes in Domino. Ipsa vulneratos sanat medicina misericordiæ suæ. Ecclesiast. 43. Medicina omnium in festinatione nebulæ, idest in festina misecratione Mariæ. Ipsa famelicos satiat dulcedinæ suæ consolationis. Prouerb. vltimo. De nocte surrexit deditque præ-

dam domesticis suis, & cibaria ancillis suis. Ecclesiastic. 24. Qui edunt me, adhuc esurient, & qui bibunt me, adhuc sitient.

PROVT OLIVA SIGNIFICAT MISERIcordiam, ita praedicatur Beata Virgo. Sermo CVIII.

OLIVA significat Mariae misericordiam, de qua oliua ipsa dicit. Eccles. 24. Quasi oliua speciosa in campis. Ex quibus verbis habetur, quòd ipsa habet misericordiam excellentem, congruentem, & patentē, habet quidem misericordiam excellentem, quod notatur per hoc quòd vocatur oliua. Sicut enim oleū supernatat omnibus liquoribus, sic eius misericordia eminet omnibus aliorum sanctorum miserationibus. Ecclesiast. 18. Miseratio hominis circa proximū suum, misericordia autem Dei super omnem carnē. Secundò habet misericordiam congruentem, quia tunc maximè misericordiam exhibet quando maior necessitas imminet, quod notatur per hoc, quòd dicitur speciosa, quia sicut dicitur. Eccles. 15. Speciosa misericordia Dei in tempore tribulationis. Tertiò habet misericordiam communem, & patentem, quod notatur per hoc, quòd dicitur In campis. Ad oliuas enim hortorum non patet ingressus omnibus. Ad oliuas vero camporū omnibus est accessus. Quidam sancti sunt sicut oliuae hortorum, quia tenent misericordias suas clausas, ex eo, quòd non sumus digni eas recipere. Ista autem tenet misericordias suas omnibus communes, & apertas. Ideo ipsa inuitat omnes ad suas misericordias dicens. Transite ad me omnes qui concupiscitis me, &c. Vel potest dici, quòd per hoc, quòd dicitur. Quasi oliua speciosa in campis, notatur quòd ipsa habet misericordiam totalem, & vniuersalem, habet quidem misericordiam naturalem, quod notatur per hoc quòd dicitur. Quasi oliua. Solus Deus est ipsa oliua, quia ipse est ipsa sua misericordia, quia sibi proprium est, & naturale semper misereri, & parcere. Virgo autē Maria est quasi oliua, quia intantum est misereri assueta, & ad misericordias ita

ira prompta, quòd quodammodo est Deo est similima.

Secundò habet misericordiam totalem, quod notatur per hoc, ꝙ dicitur speciosa. Illa enim oliua est speciosa, quæ in tota parte sui est pulchra in ramis, in folijs, & in fructibus. Sunt qui habent misericordiam in ramis .i. in corde per affectum compassionis. Sunt qui habent in folijs, idest, in uerbis per effectum exhibitionis. Virgo autem Maria est oliua speciosa, quia habet misericordiam in corde, exhibēdæ maternæ compassionis affectum. Et in ore in aduocando pro nobis apud Deum. Et in opere exhibendo suæ miserationis auxilium.

Tertiò habet misericordiā vniuersalem, qđ notatur per hoc ꝙ dicitur. In campis. Sūt quidam sancti, qui uidentur hr̄e misericordiā spiritualem, qui aliquib. subueniūt, quibusdam nō. Quidā particularem, qui super aliquib. infirmitātibus vidētur accepisse à Deo potestatē curādi Sicut Antonius super adustione cuiusdā ignis. Et Leonardus superinclusos in custodia carceris. Quidā localem, quia maiora beneficia præstāt in aliquibus locis, puta sepulturæ, & ubi eorum reliquiæ cōseruantur. Quidam tp̄alem, quia aliquibus tp̄ibus magis subueniūt, sicut patet in martyribus, & in alijs sanctis, qui tp̄e suę passionis, & canonizationis. s. qn̄ efficiuntur Xp̄i milites sunt se inuocātib magis liberales. Misericordia aūt Virginis est sicut oliua in cāpis, quia oīb. est vniuersalis, atq; cōis. s. oībus personis super omnibus morbis in omnibus locis, & cunctis temporibus.

PROBATVR CONVENIRE B. VIRG. QVOD *dicitur elegisse optimam partem.* *Ser. CIX.*

OPTIMAM partem elegit Maria, quę nō auferetur ab ea. Istud uerbum non conuenit alicui sancto, nec ēt alicui angelo, nec etiam ipsi Deo, sed tm̄ Virgini beatę. Cū enim optimum dicatur cui impossibilis est additio, cum non sit aliquis sanctus, nec angelus ad cuius perfectionem possit aliquid addi, ideo nulli sancto nec alicui angelo istud uerbum potest conuenire, præterea cum Deus non habeat partem, sed totum, ideo nec conuenmet ipsi Deo. Sola autem Virgo beata optimam partē habet, quia ad eius perfectionē addi non pōt.

Et ideo ipsa est media inter creatorem qui totũ tenet, & omnem creaturam, quia partem bonam, vel meliorem possidet. Et dicit, Elegit. Cum enim sit triplex electio. s. boni malo reprobato, quæ est incipientium: secunda melioris inter bona: quæ est proficientium: tertia optimi inter meliora, quæ est perfectorum, manifestum est, quòd cum ipsa sit perfectissima, non tantum simpliciter bona, nec tantum de bonis meliora, sed etiam de melioribus optima eligebat. Istam autem optimam partem elegit in cœlo, & in mũdo. Pars autem optima quam elegit in mundo triplex fuit. Primò elegit optimã partem de castitate. Castitas autem habet tres partes. Vna est castitas coniugalis. Heb. 13. Honorabile coniugium thorus immaculatus. Et ista est bona, quia habet fructum tricesimũ. Secunda est castitas vidualis. Et hæc est melior, quia habet fructum sexagesimum. Tertia castitas virginalis. Et hæc est optima, quia habet fructum centesimum. Et istam partẽ optimam elegit sibi Maria. Sed quoniã multæ fuerunt virgines, quæ post eam optimam partem elegerũt, ideo ipsa elegit partem super optimam. s. virginitatem cum fœcunditate, siue fęcunditatẽ cum virginitate. Ber. in sermo. de Assump. Optimã partem elegit sibi Maria, quia bona quidem est fœcunditas cõiugalis, melior est castitas vidualis, optima vero fęcunditas virginalis. Et istud priuilegium solum Mariæ fuit concessum, quia alteri non fuit datum. Vt vero ostenderet, quòd sit persona communis voluit esse coniugata cum coniugatis, vidua cũ viduis, Virgo cum virginibus. Secundò elegit partem optimã de humilitate, humilitas enim habet tres partes. Prima est subici suo superiori. Hebr. 12. Obedite præpositis vestris, & subiacete eis. Et ista est pars bona. Secunda est deferre suo æquali. Ro. 12. Honora inuicem præueniẽtes. Et est ista pars melior. Tertia est subici suo inferiori. Luc. 22. Qui maior est vestrum sit sicut iunior. Et ista est pars optima. Pars optima quam elegit Maria est, quia non tantum erat obediens suo superiori, idest, Deo dicens. Luc. 1. Ecce ancilla Domini. Non solum suo æquali, idest, Ioseph sponso suo quẽ sibi præponebat, dicens. Luc. 2. Ecce pater tuus, & ego, &c. sed etiam suo inferiori, idest, Helisabeth apud quam tribus mensibus

mansit,& sibi deuotę seruiuit. Ipsa enim sentiebat de Deo digna de proximo magna,de se parua. Sed multi contrarium faciunt cōtra quos dicitur Leui.21. Non accedet ad ministeriū si fuerit grādi,vel paruo,vel toruonaso. Illi enim habent grandem nasum, qui de se magna sentiunt sicut vanagloriosi, illi paruum qui de alijs parua sentiunt sicut præsumptuosi, illi habent toruum qui de Deo sentiunt indigna,sicut sunt hæretici qui in sacris scripturis toruas expositiones faciunt,& ideo de Deo erronea sentiunt, & dicunt. Tertiò elegit partem optimam de uitæ perfectione. Est enim uita actiua. Et ista est pars bona. Alia est contemplatiua. Et ista est pars melior. Tertia est ex utraque composita. Et ista est pars optima. Et istā elegit Maria. Et ideo signata fuit per Martham,quæ fuit actiua, & per Mariam, quæ fuit contemplatiua, ut legitur Luc. 10. Qualiter autem ipsa fuerit actiua, & contemplatiua ostendit Hiero. in epistola ad Cromatium,& Heliodorum. Dicit enim q; Beata Maria à mane vsque ad tertiam orationi uacabat. A tertia usque ad nonam circa aliqua opera honesta dedita erat. Post nonam uero angelo sibi deferente breuem refectionem fiebat, Reliquum uero tempus quòd restabat circa quatuor expendebat,quia aut legebat,aut orabat, aut loca sancta uisitabat.s.passionis, & cætera loca filij in quibus fuerat aliqua miracula operatus. Secundò elegit partem optimam in cœlo. Et ista est triplex. Primò consideratur quantum ad subiectum quod glorificatū est,quia.s.tota in corpore,& in anima glorificata est. Gloria autē Sanctorum tres habet partes. Vna est,qua Deus glorificat ipsorū corpora in terra. Eccl.44. Corpora sanctorum in pace sepulta sunt, & uiuent nōīa eorū in æternū. Et ista est pars bona. Alia est qua glorificat eorum aīas in cœlo. De qua dr̄ Apoc.6. Datę sunt eis singulę stolæ.i. dotes aīæ. Et ista est pars melior. Tertia est qua glorificat in cœlo utrūq;.s.corpus,& aīam quod erit in beata resurrectione. Et istam partem optimā Maria elegit,quia in corpore,& in aīa glorificationē accepit. Petrus & Paulus habuerūt bonā partē,quia eorū corpora honorantur in terris. Habent meliorem partē,quia eorū aīæ glorificātur in cœlis,sed nō hn̄t partem optimā,quia eorū corpora adhuc iacēt in sepulchris

Alij sancti volant in cęlum cum vna ala, idest, cum gloria animæ. Ista autem est illa mulier amicta Sole, quæ volauit in desertum, idest in cęlum, à malignis spiritibus derelictum, cũ duabus alis, idest, cum glorificatione animæ, & corporis, vt dicitur Apoc.12. Alij autem sancti vestiuntur tantum vna stola, scilicet animæ, Hæc est illa mulier de qua dicitur. Prouerb.vlt. Byssus & purpura indumẽtum eius. Per byssum qui est vestis candida intelligitur glorificatio animæ. Per purpuram, quæ est uestis regalis intelligitur glorificatio corporis quod de Regali stirpe descendit. Secundò consideratur quantum ad modum quo assumpta est. Quædam enim animæ assumuntur in cœlum per unum angelum. Exo.23. Ecce mitto angelum meum, qui custodiat te in uia, & inducat in terram quam promisi patribus tuis. Et ista est pars bona. Aliæ sunt, quæ assumuntur à pluribus angelis. Luc.21. Factum est ut moreretur mendicus & portaretur ab angelis in sinu Abrahæ. Et ista est pars melior. Sed si omnes angeli, & sancti, & ipse Christus alicui animæ obuiarent, & ipsam in cœlũ deducerent, ipsa esset pars optima. Et istam partem optimam Beata Virgo habuit & elegit. Ber.in sermo.de Assump. Quis illud cogitare sufficiat quàm gloriosæ hodie Regina mundi processit, cum quanto deuotionis affectu tota in eius occursum cœlestium prodierit multitudo. Quis explicare quæ, quibus canticis ad thronum gloriæ sit deducta, quam placido uultu, quàm serena facie, quàm lętis amplexibus à Dei filio sit suscepta, & super omnem creaturam exaltata. Tertiò quãtum ad locũ in quo est suscepta. Quędam.n.aię assumunt ad ordinẽ infimę Hierarchię. Et ista est pars bona. Aliæ ad ordinẽ medię. Et ista est pars melior. Aliæ ad ordinẽ supremę Hierarchiæ. Et ista est pars optima. Maria aũt super oẽs ordines angelorũ est exaltata sicut cãtat Ecclesia. Exaltata es sancta Dei genitrix super choros angelorũ ad cęlestia regna. Est & super omnem altitudinem sanctorum eleuata. Gen.8. Requieuit archa .i. Virgo Maria super montes Armenię, idest super omnes sanctos cœlestis curiæ. Et iterum ad dexteram filij collocata, 3. Reg.2. Surrexit Salomon, idest Christus Rex pacificus in occursum matris, positusque est thronus

nus matris, quæ sedet à dextris eius. Quartò consideratur quantum ad officium quod sibi commissum fuit, quia Deus sibi commisit officium miserendi. In impensione autem misericordiæ sancti sequuntur suam conscientiam. Et ista est pars bona. Deus sequitur suam iustitiam. Et ista est pars melior, quia homo in conscientia posset errare, Virgo autē Maria se tenet ad suam misericordiam. Et ista est pars optima. Vel potest dici, quòd ipsa accepit à Deo quadruplex officiū. s. super iustos, super peccatores, super morientes, & super mortuos. Ideo dicitur. Maria mater gratiæ, mater misericordię. Accepit quidem officium à Deo super iustos, & bonos, vt eos in gratia custodiat, ideo dicitur mater gratiæ. Et ista est pars bona. Accepit super peccatores, vt eos ad misericordiam recipiat, & conuertat, ideo dicitur mater misericordiæ. Et ista est pars melior. Accepit super morientes, vt eos ab insidijs diaboli protegat, & defendat, ideo dicitur. Tu nos ab hoste protege. Et ista est pars optima. Accepit super mortuos, vt eorum animas suscipiat, & in cœlum deducat, & ideo dicitur. In hora mortis suscipe.

AMOENISSIMO HORTO ASSIMILATVR aptè Beata Virgo. Sermo CX.

ORTVS delitiarum est Virgo Maria, quem quidem hortum Deus plantauit manu sua. Vnde dicitur in figura. Hester. 1. Iussit Assuerus, idest, Deus pater conuiuium præparari in vestibulo horti & nemoris, idest, in vtero Virginis, quod regio cultu & manu cōsitum erat. Tunc enim ibi Deus conuiuium præparauit quando naturam humanam suæ diuinitati vniuit. De ista planatione dicitur. Eccles. 17. Plantauerat illum Deus. Secundo plantauit illum diuersis arboribus, idest diuersis virtutibus conseruit. Vnde in huius significatione dicitur. Eccles. 2. Feci hortos, & pomeria, & conseui ea cuncti generis arboribus. Et dicitur hortos in plurali, quia Deus conseruit, & hortum sui corporis in uirginitate, & hortum suæ mentis in humilitate. Tertiò ipsum consertum diuersis riuis gratiarum irrigauit, & quodammodo

inebriauit. Eccl. 24. Rigabo hortum plantationum mearum, & inebriabo partus mei fructus. Quartò ipsum irrigatum totum amenissimum fecit Ezech. 36. Terra illa inculta, idest, Maria, quæ fuit integra, & illibata, facta est hortus uoluptatis. Et in istum hortum sic delitiosum Deus ibi descendit, & comedit, quia ibi carne, & sanguine Virginis se pauit, & lilia collegit, quia in eius puritate multum delectatus fuit. Cant. 6. Descendit dilectus meus in hortum suum ad aureolam aromatum, ut pascatur in hortis, & lilia colligat. Istę autē hortus fuit hortus clausus, & irriguus, & amenus, & hortus fructiferus. Primò nanque fuit hortus clausus. Cant. 4. Hortus conclusus es soror mea, hortus conclusus fons signatus. Ipsa enim habuit cor clausum, quia nunquam illuc intrauit aliqua dæmonis suggestio. Secundò fuit hortus conclusus, quia nuuquam in eius cor subintrauit aliqua praua delectatio. Tertiò fuit fons signatus, quia nunquam in eius cor subintrauit aliquis prauus consensus. Deus enim ipsam signauit & clausit, & ipse solus clauem portauit, cuius thesaurus intus latebat. Secundò fuit hortus irriguus iuxta illud Cantic. 4. Fons hortorum puteus aquarum uiuentium, quæ fluunt impetu de libano. Aquæ enim gratiarum istius horti bonos fœcundant, & ideo dicitur. Fons hortorum. Boni enim sunt hortus Dei qui sensus suos claudunt circa delectabilia mundi. Istæ etiam aquæ peccatores in peccatis mortuos viuificant, ideo dicitur puteus aquarum viuentium. Mali enim qui sunt in peccatis profundati, sunt puteus diaboli, sed aquæ gratiarum Beatæ Mariæ sunt viuentes, quia in peccatis mortuos viuificant. Istæ etiam aquæ beatos in cęlo lætificant, ideo dicitur, quæ fluunt impetu de libano. Psal. Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei. Tertiò iste hortus fuit amenus, vnde postquam sponsus sponsam commendauerat dicens. Hortus conclusus es soror mea, statim amenitatem istius horti describens subdit. Emissiones tuæ paradisus malorum punicorum cum pomorum fructibus. Cyperus cum nardo, & nardus, & crocus. Fistula, & cinnamomum cum vniuersis lignis libani myrrha, & aloes cum omnibus primis vnguentis. Ecce quam amenus, & delitiosus est istæ hortus,

quia emissiones suæ, idest virtutes quas emittebat sunt quasi paradisus, idest delitiosæ, & amenæ. Deinde ostendit suam amenitatem, quia ibi fuerunt mala punica cum pomorum fructibus, idest virtutum ordinabilitas, & deuotionis mira suauitas. Nam mala punica habent grana ordinata, & sunt poma dulcia. Ad ista poma sponsa inuitat sponsum dicens. Veniat dilectus meus in hortum suum, vt comedat fructum pomorũ suorum. Ibi fuit cyperus cum nardo, idest fama odorifera, & humilitas profunda, quia cyperus est herba odorifera, & nardus est herba humillima. Ibi fuerunt nardus, & crocus, idest feruens charitas, & cœlestis contemplationis humilitas, quia nardus est herba calida, & crocus habet colorem aureum. Ibi fuerunt fistula, & cinnamomum cum vniuersis lignis libani, quia in ea fuerunt puritas cõscientiæ odor bonæ famæ, & incorruptibilitas in carne. Fistula enim habet suam virtutem in medulla. Cinnamomum habet odorem suum in cortice. Lignum libani est imputribile. Ibi fuerunt myrrha, & aloes cum omnibus primis vnguentis, quia in ea fuit amaritudo tribulationis pro filij passione, & fuit amaritudo compassionis pro miserorum afflictione, & suauitas deuotionis fuit in mente. Nam myrrha est amara similiter & aloes est amara. Vnguenta vero sunt dulcia, & suauia. Quartò iste hortus fuit fructiferus. Tunc autem hortus bene fructificat, quando bene irrigatur, quando ventus frigidus, & siccus ab eo remouetur, & quando vento calido, & humido perflatur. Sic iste hortus fuit fructiferus. Primò quia fuit bene irrigatus, modo lachrymis doloris pro filij passione, modo lachrymis compassionis pro miserorum afflictione, modo lachrymis deuotionis pro desiderio cœlestis patriæ, modo lachrymis lamentationis pro incolatu præsentis miseriæ, ideo sibi potest conuenire illud quod dicitur Isa. 58. Eris quasi hortus irriguus, & sicut fons cui non deficient aquæ. Secundò ventus aquilonaris ab isto horto fuit exclusus, & tertio fuit austro Spiritus sancti perflatus. Cantic. 4. Surge aquilo. Alia litera habet surge aquilo, veni auster, & perfla hortum meum, & fluent aromata illius. Per aquilonem intelligitur suggestio diaboli. Aquilo enim est ventus frigidus, & siccus, & pluuiæ di-

ſpoſitiuus. Diabolus enim infrigidat à Dei amore. Eccleſiaſtic.43. Frigidus ventus aquilo flauit, & deſiccat, & euacuat ab omni deuotione. Iob.26. Qui expandit aquilonem ſuper vacuum, & diſſipat pluuiam cœleſtis gratiæ. Prouerb. 25. Ventus aquilo diſſipat pluuiam. Sed iſte ventus ab horto virginis fuit penitus effugatus. Non enim potuit aliquod frigus immittere, quia ipſa ſemper fuit feruētiſſima, nec aliquam pluuiam cœleſtis gratia ab ea expellere, quia ipſa ſemper fuit omnium gratiarum pleniſſima. Per auſtrum intelligitur afflatio Spiritus ſancti. Auſter enim eſt ventus calidus humidus, & fœcundatiuus. Qui quidem hortum virginalem perflauit, quia fecit ipſam calidam per charitatem, humidam per pietatem, & fœcundam per bonorum operū vbertatem, & ſic fluxerunt aromata odorifera, qui odor ad inſtar balſami quodammodo recreauit Deum Ad inſtar cinnamomi totum mundum confortauit, quia cinnamomum ſtomachum confortat, & ad inſtar myrrhæ dæmones effugauit, quia odor myrrhæ vermes expellit. Propter iſta tria dicitur. Eccleſ.24. Sicut cinnamomum & balſamum, &c. De iſto horto ſic perflato auſtro dicit Bern. in ſermo. de Natiu. eiuſdem. Hortus planè delitiarum eſt Maria quem non ſolum afflauit veniēs, ſed afflauit ſuperueniens auſter ille diuinus, vt vndiq; fluant aromata illius. In iſto horto fuit viola humilitatis, lilium virginitatis, roſa charitatis, & vinea florida fœcunditatis. Iſto igitur auſtro Spiritus ſancti per flata magnum odorem fecerunt. Nam humilitas fecit odorem Deo, virginitas fecit odorem angelo, charitas fecit odorem diabolo, qui quidem odor ipſum percuſſit Iudith.9. Percuties eum labijs charitatis meæ. Fœcunditas iſtius vineæ fecit odorem mundo, iuxta illud Eccleſiaſtic. 24. Ego quaſi vitis fructificaui ſuauitatem odoris.

EX IIS DICITVR OVIS BEATA VIRGO, *quibus prædicta eſt ouis.* Sermo CXI.

OVIS Dei eſt Virgo Maria, quæ dicitur ouis propter fœtum, propter paſtum, propter ſimplicitatem verā, proptc

obedientiam spontaneam, & propter cognitionem mutuam.
Primò igitur dicitur ouis propter fętum. Oues enim multum sunt fęcundæ, sic & ipsa fuit fęcũda, quia unum fructum protulit, qui totum mundum satiauit, de quo ipsa dicit Eccl. 24. Ego quasi uitis fructificaui suauitatẽ odoris. Vbi notatur ꝙ iste fructus est suauissimus in sapore, ideo dicit. Fructificaui suauitatem. Est amœnissimus in odore, ideo dicit Odoris. Est honorificus, & honestissimus in specie, siue decore, & ideo subdit. Flores mei fructus honoris, & honestatis. Et dicitur flos propter amœnitatem, fructus propter satietatem.
Secundò dicitur ouis quantum ad pastum. Ouis enim non comedit herbam putridam, nec herbam siccam, sed uiridem. Herba putrida est amor peccati, qui facit animam putrescere, & fœtere. Iohel. 1. Computruerunt iumenta in stercore suo. Herba sicca, & arida est amor mundi, quia cito siccatur, & arescit. Iacob. 1. Exortus est Sol cum ardore, & arescit fœnum, & flos eius decidit, & decor vultus eius deperijt. Herba virens est amor Dei, qui facit animam uirentem, Deo gratam, & placentem. Primam ergo herbam Mariam abhorruit, secundam contempsit, tertiam germinauit. Gen. 1. Germinet terra herbam uirentem. Ista terra est Virgo Maria, quæ herbam uirentem germinauit, quia Dei amore superplena fuit. Istum pastum ista ouis Dei habuit in hac uita, modo in alia habet pascua gloriosa, de quibus dicitur Ezec. 34. In pascuis uberrimis pascam oues meas, & in montibus excelsis requiescent, & in herbis uirentibus, & pascuis pinguibus pascentur super montes Israel. Vbi notatur, quòd eius pascua sunt pinguia, uberrima, & uirentia. Sunt quidem uberrima, quia pascitur in cognitione summæ ueritatis, quia siue ingrediatur ad contemplandum diuinitatem, siue egrediatur ad contemplandum humanitatem ubique inuenit uberrimam satietatem, & ideo ingredietur, & egredietur, & pascua inueniet. Secundò pascitur in delectatione summæ suauitatis, & ista sunt pascua pinguia. Psal. Sicut adipe, & pinguedine repleatur anima mea. Item. Ex adipe frumenti satiat te, illius, scilicet, frumenti, de quo dicitur Ioan. 16. Nisi granum frumenti cadens in terra mortuum

fuerit. Tertiò pascitur in uirore summę æternitatis. Et ista sunt pascha uirentia, quæ nunquam siccari poterunt, sed semper perpetua erunt.

Tertiò dicitur ouis propter simplicitatem ueram. Habuit enim simplicitatem ouinam, Aquilinã, & Columbinam. Simplicitas Aquilina est quia simplici intuitu Aquila respicit cęlum, & solem, & pullos quos uiderit cum uno oculo respicere ad cœlum, & cum alio ad terram tãquam degeneres abijcit. Maria autem intuitu cordis sui semper respexit ad Deũ, nec vnquam oculos suos ad terram deflexit, & ideo semper lucida opera habuit. Mat. 6. Si oculus tuus fuerit simplex totum corpus tuum lucidum erit. Secundò habuit simplicitatem colũbinam. Columba enim caret felle, & diligit comparem simplici corde. Ideo dicitur Mat. 10. Estote ergo prudentes, sicut serpentes, & simplices sicut columbæ. Istam simplicitatem columbinam Maria habuit, quia caruit felle amaritudinis, & tota fuit plena melle dulcedinis, & suauitatis. Eccl. 24. Spiritus meus super mel dulcis. Tertiò habuit simplicitatem ouinam. Quis enim nullum lędit, sed omnibus seruit, q̃a de lacte suo nutrit, de carne pascit, & de lana uestit. Istam simplicitatem habuit Maria, quia nullum unquam lęsit, sed nos nutrit suis doctrinis, pascit suis meritis, & uestit suis exemplis.

Quartò dicitur ouis propter obedientiam spõtaneã. Oues enim multum sunt obedientes uoci pastoris. Ioan. 10. Oues meæ uocem meam audiunt. Magna obedientia est audire uocem Dei præcipientis. Maior est audire vocem Dei consulẽtis. Maxima audire uocem Dei inspirantis. Maria autem tanquam bona ouis omnibus istis uocibus obediuit, scilicet, Deo præcipienti, consulenti, & inspiranti. Præceperat enim Deus Exo. 25. quòd ter in anno, scilicet, in Aprili, & Iunio, & in Septembri, tria festa celebrarent, scilicet, Pascha, Pentecoste, & Scenophegia. Et in istis tribus festis Hierusalem ascenderẽt, & templum uisitarent. Istud præceptum Maria seruauit. Vnde etiam ad festum Paschæ ascendens puerum Iesum, qui erat duodecim annorum secum duxit, ut habetur Luc. 2. Secundò obediuit Deo consulenti. Seruare enim uirginitatem non erat sub præcepto, sed sub consilio. Vnde dicitur 1. Cor.

7. De virginibus autem præceptum Domini non habeo, consilium autem do, Istud autem consilium Maria seruauit, quæ virginitatem suam Deo deuouit, ideo dixit angelo. Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco, idest me non cognoscituram propono. Tertiò obediuit Deo inspiranti. Cum enim Angelus Gabriel sibi aduentum filij Dei denunciasset, illa tam grandia, & insolita, scilicet, quòd Virgo pariat, quòd Virgo Deum concipiat, credere non potuisset nisi sibi Deus inspirasset. Et ideo diuinæ inspirationi acquiescens cõtinuo obediuit dicens, Ecce ancilla domini, &c.

Quintò dicitur ouis propter cognitionem mutuam. Oues enim cognoscunt pastorem suum, & econuerso, ideo dr̄ Io. 10. Cognosco meas, & cognoscunt me meæ. Sic etiam Christus cognouit matrem suam in vita sibi tanquam filius obediendo. Luc. 2. Erat subditus illis. Cognouit post mortem suam eã ad æternam pacem deducendo, & eam ad suã dexteram collocando. Et qm̄ Christus est uerè agnus, qui matrem suã ter cognouit, ideo in Missa agnus Dei ter cantatur. Agnus Dei dr̄ Latinè ab agnoscendo, uel Græcè ab agon, quod est pium, tanquã si dicat ecclesia. Agne qui agnouisti matrem sibi obediendo miserere nobis. Agne qui agnouisti matrem eam discipulo commendando miserere nobis. Agne qui agnouisti matrem tuam, & ad æternam pacem perduxisti, dona nobis pacem. Similiter mater cognouit filium eum nouem mensibus confouendo, agnouit extra vterum ipsum lacte virgineo nutriendo, agnouit in mundo sibi tãquam mater fiducialiter imperando. Vnde dixit Io. 7. Vinum non habent. Ac si dicat. Miraculum facias, aquam in vinum conuertas, & sic uinum impendas, agnouit in patibulo ipsum associando. Cant. 2. Dilectus intendit mihi, & ego illi. Item 7. Ego dilecto meo, & ad me conuersio eius.

CELERRATVR BEATA VIRGO LAVDIBVS Palma congruentibus. Sermo CXII.

PALMA significat Virginem Mariam. Potest autem palma considerari quantum ad arborem, folia, & fructus. De arbore

arbore ſicut dicit Amb. Eſt planè palma umbroſa ad requie, honorabilis ad triumphum, ſemper uirens, ſemper ueſtita folijs, atque ideo non marceſſit palma, quia martyrum uictoria non marceſſit. Gregorius quoque in moralibus dicit, quòd palma eſt inferius anguſta, ſuperius uero expanſione ramorum eſt lata. Primò igitur palma eſt umbroſa ad requiem, quia eius umbra eſt grata ad quieſcendum. Vmbra igitur Mariæ eſt conſideratio uitæ ſuæ, quæ quidem refrigerium nobis præſtat, & malum ignem refrigerat. Nam conſideratio ſuæ paupertatis refrigerat æſtum auaritiæ, conſideratio ſuæ caſtitatis refrigerat æſtum carnalis concupiſcentiæ, conſideratio ſuæ humilitatis æſtum ambitionis mundanæ. Vnde qualibet ſic refrigeratus poteſt dicere illud. Cantic. 2. Sub umbra illius quem deſiderauerain ſedi. Secundò palma eſt honorabilis ad triumphum. Vnde antiquitus in ſignum uictoriæ dabatur palma in manibus triumphantis. In huius ſignificationem dicitur de martyribus qui mundum uicerunt. Apocalyp. 7. quòd palmæ erant in manibus eorum. Quidam enim ſunt, qui palmas in manibus non habent, ſed habere proponunt, quia non uincunt, ſed uincuntur, tamen in futuro intendunt, & iſtud incertum eſt. Alij ſunt qui non habent in manibus, ſed in ore, quia alios ſciunt docere multum bene artem uiuendi, ſed ſeipſos non docent, & iſtud uanum eſt. Alij ſunt qui habent palmas in manibus. i. in operibus, quia pugnant & uincunt, & iſtud eſt perfectum. Duo palma Apoſtolus à ſe remouebat & tertiũ ſe habere dicebat. Nolebat enim currere ſiue pugnare in futurũ, quia hoc erat incertum, ideo dicitur. 1. Cor. 9. Ego igitur ſic curro non quaſi in incertũ. Nec uolebat pugnare uerbo alios inſtruendo, & ipſe ſuccumbẽdo, quia hoc fuiſſet uanum, ideo ſubdit. Non quaſi aerem uerberans. Vox enim nihil aliud eſt quàm aeris tenuiſſimus ictus, ſed pugnabatur facto, & ideo palmas in manibus tenebat. Prouer. ult. Manum ſuam miſit ad fortia. Tunc manum ſuam ad fortia miſit, quando mundum cum ſuis uanitatibus ſuperauit. Tertiò palma ſemper eſt uirens. Sic Maria ſemper habuit uirides cogitationes, quia fuerunt ſanctæ. Virides intentiones, quia mundæ fuerũt, & uiri-

& virides affectiones, quia fuerunt valde sollicitæ. Ista talia virida super omnes omnes alias gratias Deo sunt grata. Eccl. 40. Gratiam, & speciem desiderauit oculus meus, & super hęc virides sanctiones. Quartò. palma non marcescit. In Virgine quidem semper fuerunt integra, & nulli corruptioni subiecta, scilicet, corpus, anima, & spiritus, de quibus dicitur Thessal. 5. Integer spiritus uester, anima, & corpus sine querela seruetur in aduentu Dñi nostri Iesu Christi. Corpus enim corrumpi non potuit, quia fuit deitate imbalsamatum. Eccle. 24. Sicut cynnamomum, & balsamum aromatizans odorem dedi. Anima similiter corrumpi non potuit: quia cum anima filij fuit unita, una quodammodò de duabus effecta, quod innuitur Luc. 2. Tuam ipsius animam pertransibit gladius. i. animam tuam quę est ipsius, uel aĩam ipsius quæ est tua. Spiritus etiã ipsius corrũpi non potuit, quia totus fuit in Dei amore conuersus. Hiero. in sermo. de Assump. Totã eam repleuerat Spiritus sancti gratia, totam eã incanduerat diuinus amor. Quintò palma est angusta inferius, superius lata per quę tria de sanctis viris notantur, vt dicit Greg. Primò quia inferius sunt arti, & angusti ad appetẽdum terrena, superius verò sunt lati ad amandum spiritualia, & æterna. 1. Tim. 8. Habentes victum, & quibus tegamur hijs contenti simus, ecce quàm angustus ad amandum terrena. 1. Cor. 5. Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, ecce quam latus ad spiritualia, & ęterna. Secũdò notatur, ꝙ serui Dei sunt inferius infirmi in corpore, superius verò sunt fortes in mente. 2. Cor. 12 Cũ enim infirmior tunc fortior, & potens sum. Tertiò notatur, ꝙ serui Dei à pueris incipiunt, sed ad magna perueniunt. Prouerb. 4. Iustorum semita quasi lux splendens procedit, & crescit usque in perfectum diem. Maria vero fuit angusta infimis, id est, in amore terrenorum, sed lata in summis, idest, in amore cœlestiũ, quia ibi semper habitabat. Eccles. 24. Ego in altissimis habito. Fuit debilis in corpore, sed fortis in mente. Quæ quidem fortitudo sponsum suum, idest, filium suum multum delectabat. Prouer. vigesimosexto Fortis mulier oblectat uirum suum. Incœpit enim ab infimo loco humilitatis, & peruenit ad summum beatitudinis locum, Luc. 1. Respexit humilita-
tem.

tem ancillæ suæ Ecce quàm infima. Ecce enim ex hoc beatã me dicent omnes generationes, ecce quàm summa.

Secundò consideratur palma quantũ ad folia. Cuius quidem folia sunt sursum eleuata, in infimo sunt punctione acuta, in lateribus sunt incidentia, in medio sunt plana, in longũ sunt protensa, & semper virentia. Ista igitur folia significant Mariæ uerba, quæ ipsa dixit in cãtico suo. Nã ibi dixit verba sursum eleuata, quando Deum magnificauit, quando in Deo exultauit dicens. Magnificat anima mea Dominum. Et exultauit spiritus meus, &c. Secundò dixit uerba acuta quibus dæmonem perforauit, quando dixit. Quia respexit humilitatem ancillæ suæ. Nihil enim est quod in tantum hostem suũ prosternat sicut humilitas. Tertiò habuit verba plana, & suauia quibus Dei beneficia in se recognoscebat dicens, quia fecit mihi magna qui potens est. quartò habuit uerba in longum protensa, quibus usque in finem mundi à generatione in generatione Dei misericordiam oĩbus affuturam esse prædixit cũ ait, & misericordia eius à progenie in ꝓgenies timẽtibus eum. quintò habuit uerba incisiua qbus uitia incidebat. Nã à potentibus incidebat superbiam dicens. Fecit potentiam in brachio suo, &c. usque humiles. A diuitibus incidebat auaritiam dicens. Esurientes impleuit bonis, & diuites dimisit inanes. Sextò habuit uerba uirentia quibus admonuit, quòd beneficium incarnationis diuinæ in cordibus nostris semper debet uirere dicens, Suscepit Israel puerum suum, &c. usque in finem cantici.

Tertiò consideratur quantum ad fructus quos produxit. Sed notandum, ꝙ palmã tunc multum fructificat quando plãtata est in terra arida, uel quando radijs solis est exposita, uel quando palmæ masculinæ est uicina, quia afflata ex uento masculinæ palmæ dicitur fructificare, & maximè si de fructu masculinæ palmæ ponatur ad radicem palmæ fœmininæ. Fructificat etiam quando est antiquata. Dicitur enim quòd palma non est generosa ante sex annos, & tunc facit fructus dulcissimos. Beata igitur Maria fructum protulit, de quo dicitur Can.7. Ascendam in palmam, & apprehendam fructus eius ideo autem fructificauit. Primò quia eius anima plantata

tata fuit in terra arida.i.in anima ab oī humore carnali concupiſcen*tię deficcata.Gen.1.Congregentur aquę quę ſub cęlo ſunt in locum unum.i. in totum alium mundum, & appareat arida.i.Virgo Maria ab omnibus aquis concupiſcentiarum pęnitus aliena. Secundò radijs expoſita. Sicut autē Sol magis lucem ſuam diffundit in Lunam, & poſtea in ſtellas, poſtea in nubes, deinde uęro in montes,ultimo in ualles. Sic Chriſtus magis in matrem gratiam ſuam diffundit, poſtea in ſtellas,ideſt in angelos,poſtea in nubes.i.Apoſtolos,deinde in montes.i.in doctores, ultimo in ualles.i.in ſubditos humiles. Tertiò fuit ſponſo ſuo.i. Chriſto non tantum ex uicino coniuncta, ſed totaliter innixa. Can.8. quę iſta quę aſcendit de deſerto delitijs affluens innixa ſuper dilectum ſuum. quartò fuit antiquata. Eſt autem triplex antiquitas, Vna quam facit ſenſus maturitas. Sap.4. Cani ſunt ſenſus hominis. Iſtā maturitatem habuit Maria, de qua dicitur Lucæ.2. Maria autē conſeruabat,&c. Secunda eſt quam facit uitæ ſanctitas. Ibidem, Ætas ſenectutis uita immaculata, Iſtam etiam habuit quia fuit ſine macula. Cant.4. Tota pulchra es amica mea,& macula non eſt in te.Tertia eſt quam facit morum grauitas, & honeſtas. Pſal. Præueni in maturitate, & clamaui.Iſtam etiam Mariam habuit, de qua dicitur in Pſal. Aſtitit regina à dextris tuis in ueſtitu deaurato, ideſt in corpore morum honeſtate pręclaro.

QVAE AMOENVM REDDVNT Paradiſum, eadem in Beatam Virginem conferuntur. Sermo CXIII.

PARADISVS delitiarum eſt Virgo Maria.Nam ſicut dicitur Gen.2. Plantauerat Dominus Deus Paradiſum uoluptatis, ideſt Mariam à principio, ideſt in partibus Orientis, in quo poſuit hominem quem formauerat, quia Deus in eius utero poſuit Chriſtum, quem operatione Spiritus ſancti formauit, Ille autem locus eſt ualde amœnus,quia ibi ea ſunt,quæ in uiridario faciunt amœnitatem,quæ etiam in beata Maria fuerunt, Quæ quidem ſunt quinquiæ.

Primum

Primum est diuersitas arborum. Gen. 2. Produxit Dominus Deus omne lignum pulchrum visu, & ad vescendum suaue. Ista diuersitas arborū fuit in Maria quæ dicit Eccl. 24. Quasi cedrus exaltata sum in libano. Vbi ponuntur sex differentiæ arborum quę fuerunt in ea, scilicet, cedrus contemplationis excelsę, cypressus odoriferę famę, palma gloriosę victoriæ, rosa patientiæ, oliua misericordiæ, & platanus fidei perfectę. Platanus enim dicitur habere folia ad modum scuti, & significat fidem, siue quia ad modum scuti habet tres angulos. i. tres principales articulos, quibus credit sanctam Trinitatē. Siue quia ad modum scuti defertur, & habetur in leua, idest in pręsenti uita, non in dextera. i. in beatitudine æterna, quia hic est fides, & spes. Siue quia fides est nobis scutum contra diaboli tentamenta. Eph. 6. In omnibus sumentes scutum fidei. Non tantum in Paradiso erat diuersitas arborum, sed maximè fuit ibi lignum uitæ, idest in medio Paradisi. De quo sic dicit Aug. Virgo Maria Paradisus dicitur in cuius medio lignum uitę, cuius folijs sanantur infirmi, cuius odor uiuificat mortuos, cuius sapor dulcorat amaros, cuius umbra refrigerat miseros, cuius aspectus lętificat angelos.

Secundò in Paradiso fuit iocunditas riuulorum. Gene. 2. Fluuius egrediebatur de Paradiso uoluptatis ad irrigandum Paradisum. Qui quidem diuiditur in quatuor capita, quia unum riuum mittit ad contemplatiuos dans eis gratiam, & deuotionem orandi, alium mittit ad actiuos, dans eis gratiam præsidendi, alium mittit ad subditos, dans eis gratiam obediendi.

Tertiò fuit in Paradiso aure tenuis gratum refrigerium. Vnde dicitur Gene. 3. Cum audisset uocem Domini deambulantis in Paradiso ad auram post meridiem, &c. Istud refrigerium in Maria fecit Spiritus sancti gratia, iuxta illud Luca 1. Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi, idest ab omni estu concupiscentię refrigerabit. Et dicit deambulantis ad auram, non ante meridiem, nec in meridie, sed post meridiem. Nam in die sunt tres partes, scilicet, mane, quod est esse ante meridiem, & meridies, & uespere, quod est esse post meridiem. In mane autem adhuc est

parua

parua lux, & significat illos, qui adhuc de Deo habent paruā lucem cognitionis diuinæ, & in talibus flat aura cœlestis gratiæ, uel ubi Deus ambulat suam gratiam apponendo. In meridie uero est æstus caloris, & significat illos, in quibus est calor carnalis concupiscentiæ. Et in talibus Deus uadit ad auram, quia eis infundit suam gratiam.

Quartò in Paradiso fuit cantus auium, non auium corporalium, sed spiritualium, idest angelorum, qui semper ad Dei laudem cantant, Iob 33. Cum me laudarent astra matutina, & iubilarent omnes filij Dei, Istę aues, idest angeli fuerunt in Paradiso terrestri, Vnde dicitur Gene. 3. Videte ne sumat de ligno, &c. Et est uox Dei ad angelos, vnde dicitur ibidem, quòd Deus collocauit Cherubin ad custodiendam uiā ligni uitæ. Istę igitur aues, idest angeli cœlestes ad honorem virginis decantauerunt in suo ortu. Hæster. 8. *Iudæis noua lux ori ri visa est*. Cantauerunt etiam in suo ortu dicentes Gloria in in altissimis Deo. Cantauerunt in sua Assumptione 2. Reg. 6. Deducebant archam Domini, idest Virginem Mariam, scilicet, angeli in iubilo, & in clangore tubę. Cantant etiam modo in sui glorificatione, quia angeli, & sancti eam beatissimā prædicant, & ipse Christus, qui fuit eius sponsus similiter laudat eam. Prou. vlt. Surrexerunt filij eius, & beatissimam prædicauerunt, & vir ei laudauit eam.

Quintò in Paradiso terrestri fuit dulcedo fructum, & pomorum. Ibi quidem fuerunt tria genera fructuum, ut habetur Genes. 2. scilicet, fructus concessus, de quo dicitur, De omni ligno Paradisi comedetis, &c. prohibitus, de quo dicitur. De ligno autem scientiæ boni, & mali ne comedas, & promissus, de quo dicitur ibidem. Lignum etiam uitæ erat in medio Paradisi. Si ei concesso usus fuisset, & prohibito abstinuisset, ad promissum uenisset. Sed quia male usus est prohibito, ideo priuatus est concesso pariter, & promisso. quilibet autem istorum fructuum habuit aliquam imperfectionem. Nam fructus prohibitus fuit mortis effectiuus saltem occasionaliter. Fructus verò concessus non fuit de cœlo delatus, sed de humo productus. Vnde dicitur Genes. secundo. Produxit autem Dominus Deus de

humo omne lignum pulchrum uisu. Fructus autem permissus scilicet, lignum uitæ non dabat uitam beatam, sed in uita corporali hominem conseruabat. Beata igitur Virgo adueniens fructum attulit benedictum. Lucæ 2. Benedictus fructus uentris tui. Iste autem fructus est ille, qui dicit Ioan. 5. Ego sum panis uiuus, qui de cœlo descendi. Primus quidem fructus fuit mortis causatiuus. Iste autem fructus beatæ Mariæ est uiuificatiuus, ideo dicit, ego sum panis uiuus. Secundus fructus de humo productus fuit, iste autem de cœlo delatus, ideo subdit, qui de cœlo descendi. Tertius fructus conseruabat uitam temporalem, iste autem dat uitam cœlestem, ideo subdit. Si quis manducauerit ex hoc pane uiuet in æternum. Istum autem benedictum panem, & fructum cœlestem beata Virgo nobis attulit iuxta illud Prouer. vlt. Facta est quasi nauis institoris de longe portans panem suum.

MVLIERVM ALIARVM PARTVS *quibus differat a partu Beatæ Virginis.* Sermo CXIIII.

PARTVS beatæ Mariæ fuit dissimilis à partu aliarum mulierum: Cæteræ enim mulieres habent timorem ante partum, quia in partu periclitantur, in partu dolorem, & post partum incurrunt languorem. Beata autem Virgo nec ante partum timorem habuit, nec in partu dolorem sensit, nec post partum languorem incurrit.

Primò igitur ante partũ nullum timorem habuit. Non. n. poterat timere, quã pater ab æterno elegerat. Ps. Elegit dñs syon .i. beatam Mariã quæ gloriam Dei semper speculata fuit. Elegit eã in habitationem sibi, quã filius in utero inhabitabat, & ibi quiescebat. Eccl. 24. Qui creauit me requieuit in tabernaculo meo, quæ spiritũ sanctum præsentem, & sanctificantem habebat. Lu. 1. Spiritus Sanct. superueniet in te. Quam Dei angelus custodiebat. Angelus enim ipsam custodiuit, & in mundo uenientẽ, & in mundo existentem, & de mundo recedentẽ. Iudith 13. Viuit dominus quoniã custodiuit me angelus eius, & hinc euntem, & ibi commorantem, & inde huc reuertentem.

Secundò

Secundò in partu non habuit dolorem, & hoc conueniens fuit triplici ratione. Prima ratio est, quia Christus dolorem partus in sua passione reseruauit. Et ista est ratio Damasceni qui ait. Sed & ipsa Virgo beata dolores partus quos effugit pariens hos in Christi passione sustinuit. Secunda ratio est, quia sine delectatione carnali concepit. Istam rationem assignat Hugo de sancto Vict. dicens. Eua postquam mala delectatione conceperat, quòd filios in dolore paritura esset audiuit, ut aperte demonstraretur, quòd non idcirco pariat cum dolore eo quòd à viro concepit, sed quòd cum libidine. Beata verò Virgo non solum sine libidine concepit, sed neque de viri semine accepit, & hoc filium sine dolore edidit. Bernar. in serm. de Annunciat. Hanc inuenit gratia iam plena gratia, ut charitate feruida, virginitate integra, humilitate deuota fieret nihilominus sine uirili semine grauida, sine muliebri dolore puerpera. Tertia ratio est, quia immensum gaudium, quod tunc habuit omnem dolorem mitigauit. Istam rationem tangit idem Hugo dicens. Absit ut ibi tristitia gemitus interuenerit ubi gaudium omnimodè prædicatur. Gaudebat enim in immensum de tanta prolis maiestate, de conseruata sibi virginitate, de humani generis saluatione, de angelica iubilatione, quia ibi angeli aderant, qui epythalamum decantabant. Ibidem. Absit ut ibi tristitia interuenerit ubi multitudo Angelorum cecinit.

Tertiò post partum nullum sensit languorem. Non enim potuit languere, quæ medicinam protulit cęlestem .i. filium Dei, qui sicut dicitur Matt. 4. Sanat omnes languores, & oēs infirmitates. Non potuit languere cum qua erat Gigas fortissimus, qui omnem imbecillitatem sustentat, Psal. Exultauit ut Gigas, &c. August. Dicat ergo Maria. Qui natus est ex uentre meo, ipse exiuit cursu giganteo. Magnificus est uenter meus, & non est pudore euacuatus. Non potuit languere cum qua erat Dei virtus quæ ipsam confortabat. Philip. 4. Omnia possum in eo, qui me confortat. Quæ ipsam firmiter roborabat. Isa. 40. Qui dat lasso uirtutem, & hijs qui non sunt fortitudine robur multiplicat. Quæ sibi refrigerium pręstabat, & nullam pati molestiam permittebat. Vnde dixit ei Angelus

Lucæ 1. Et uirtus altissimi obumbrabit tibi. Quod autem ipsa nullum languorem incurrerit, patet quia ipsa filium pannis inuoluit, & in præsepio reclinauit. Hieron. contra Claudium. Veniunt Magi, & inueniunt Mariam non doloribus uexatam, sed puero obsebsequentem. Nam in partu Virginis nulla obstetrix fuit, nulla muliercula intercessit sedulitas ipsa pannis infantem inuoluit ipsa mater, & obstetrix fuit, & eum in præsepio reclinauit.

PRAEDITUM ESSE PARTUM BEATæ Virginis tribus miris qualitatibus ostendit.
Sermo CXV.

PARTUS Virginis Mariæ fuit multæ puritatis, paupertatis, & nouitatis. Puritas autem ista attenditur ex parte matris, & ex parte prolis. In matre autem tanta fuit puritas, quod nec in conceptu, nec in partu sua potuit violari uirginitas, sed seruata puritate virginea ipsa peperit, & concepit, nec mirum quia ipsa est sydus Dei, campus Dei. Quia ipsa est sydus Dei, ideo peperit filium tanquam diuini splendoris radium. Sicut enim sydus radium suum emittit sine sui corruptione, sic Virgo peperit filium sine sui violatione. Unde cantat ecclesia. Sicut sydus radium profert Virgo filium pari forma. Neque sydus radio, neque mater filio fit corrupta. Hinc est etiam, quod Propheta ortum Christi assimilat luci dicens. Lux orta est iusto. Item. Exortum est in tenebris lumen rectis corde. Quia est campus Dei, ideo filium suum generauit tanquam florem amœnum. Sicut enim flos oritur de campo sine campi fossione, sic Christus de Virgine nascitur sine eius corruptione. Unde ipse filius dicit. Ego flos campi. Nō enim dicitur se esse florē horti, sed campi, quia flos horti seritur, & terra scinditur, flos uerò campi oritur sine seminatione, & sine terræ fossione. Quando alij pueri nascuntur, mater quæ est quasi terra scinditur, & semen viri funditur. Natus est autē Christus sine humano semine ex integra matre. Quia verò est libanus Dei, ideo peperit thus odoriferum, sed illud quod emanat cortice non inciso est valde odoriferum,

&

& preciosum. Virgo autem beata tanquam thus odoriferum, & hoc cortice non inciso, idest, non violato virginali pudore. Eccle. 24. Quasi libanus non incisus uaporaui habitationem meam. Secundò ista puritas attenditur ex parte prolis. In Christo quidem sunt anima, deitas, & caro. Eius autem deitas est pura, quia est lux splendida. Sap. 6. Speculum sine macula, & candor lucis æternæ. Eius anima est pura, quia purissima à Deo creata, & purissimo corpori infusa. Sap. 8. cap. Sortitus sum animam bonam, & cum essem magis bonus veni ad corpus coinquinatum. Eius caro fuit pura, quia de purissimis sanguinibus Virginis assumpta. Dama. Construxit sibi Christus ibi ex castis, & purissimis sanguinibus Virginis carnem animatam anima rationali, & intellectuali primitias nostræ massæ. Quamuis autem deitas sit purissima, tamen ex coniunctione cum carne in nullo fuit polluta, sicut ostendit August. auctoritate, & exemplis. Nam in lib. de natura boni hoc ostendit auctoritate, ꝙ. s. Deus ab aliquibus immundis non coinquinatur dicens. Cum iõ sint oĩa, quę condidit non tamẽ inquinant eum, qui peccant. de cuius sapientia scriptum est, at tingit à fine vsq; ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter. Et attingit omnia pp suam munditiam, & nihil inquinatum in illam incurrit. In quodam verò sermone hęc ostendit duob. exemplis. s. exemplo solis, & animæ rationalis. De primo exemplo sic dicit. Non desunt hęretici, qui cum ipsi sint immundi dicunt, non potuisse fieri Christus de Maria Virgine nasceretur, eo ꝙ illa pars corporis turpis fuisse putetur, sed si etiam ibi aliquid immunditiæ fuisset, sua præsentia dñs purificasset. Attẽdite solem ibiq; radios suos emittentem, in sordibus, in cloacis, & in locis squalidissimis. Ecce cloacæ siccantur, & radius solis non inquinatur. De secundo exemplo sic dicit. Audi aliud immunda hæreticæ. Vbi est anima tua impia, & infidelis quæ ista confingit? Nunquid tantum est in capite, in manibus, & in oculis, & non est etiam in intestinis tuis vbi sunt stercora tua? Ergo stulte anima tua non inquinatur à stercore tuo, & Deus inquinari potuit ab ope suo?

Secundò eius partus fuit multæ paupertatis, quia caruit omnib. illis, quæ cęterę mulieres in partu suo hr̃e desiderant,

Primò caruit ſerulentium peritia, quia nullam ſeruitricem habuit, ſed ipſa puerum pannis inuoluit, & in præſepio reclinauit. Nulla enim aſſiſtere uoluiſſet pauperculæ peregrinæ in diuerſorio poſitæ, & in media nocte. Loco aũt domicellarum habuit bouem, & aſinum. Chriſtus autem natus fuit pro peccatoribus ſaluandis, & hoc oſtendit in ſua progenie, natiuitate, uita, morte, & poſt mortem. Nam in ſua progenie à peccatricibus fuit ortus, ſcilicet, Thamar, Raab, & Berſabee. In natiuitate autem inter bouem, & aſinum fuit poſitus. In uita fuit cum peccatoribus conuerſatus. In morte inter duos latrones fuit crucifixus. Poſt mortem peccatrici primo fuit oſtenſus. Secundò caruit pannorum copia quibus ſe poſſet tegere cum puero. Vnde dicitur, ꝙ pannis eum inuoluit. Pannus autem ve tuſtatem, & uilitatem indicat. Vnde pauperes vilibus ueſtibus & abiectis indutos uocamus pannoſos. Ber. Cum tanta eſſet neceſſitas nullam audio fieri pellium mentionem. Beda. qui totum mundum uario ueſtit ornatu, vilibus pannis inuoluit. Tertiò caruit ignis præſentia, qui ſibi multum fuiſſet neceſſarius in hyeme, & maxime in nocte, & hoc propter illuminationem, & calefactionem, & membrorum pueri conſolidationem. Quartò caruit ciborum abundantia, quia cum ipſa eſſet paupercula parcè uiuebat, & puerum non nutricibus dabat, ſed proprijs uberibus nutriebat, vnde cantat Eccleſia. Ipſum regem angelorum ſola Virgo lactabat ubere de cœlo pleno. Quintò caruit camera, & lecti molitie. Nam pro camera habuit ſtabulum, quod non eſt habitaculum hominum, ſed ſtabulum iumentorum. Pro lecti molitie habuit præſepe, & fœnum ubi ipſum reclinauit. Illam autem tantam paupertatem Chriſtus in ſe, & in matre uoluit eligere, ut noſtrã ſuperbiam confunderet, & pauperibus conſolationem daret. Gregor. Nimirum ſi uoluiſſet uenire potuiſſet mouendo cœlum concutiendo, terram emittendo fulgura. Non autem ſic proceſſit, quia non tantum homo fuit, ſed pauper. Inſuper & pauperem matrem elegit, quæ careret cunis, quibus infantem reclinaret, & hæc fecit humanam uolens conculcare ſuperbiam.

Tertiò eius partus fuit multę nouitatis. Iſta autem nouitas poteſt

potest esse triplex. Nam primo ibi fuit nouitas generationis. Noua enim,& inaudita generatio fuit,quando de muliere nasci voluit. Vnde dicit Aug.in sermone de Nati.eius. Præcesserat ,inquit, prima generatio sine uiro , & fœmina sicut in Adam,præcesserat secūda de viro sine fœmina,sicut in Eua, erat tertia de uiro, & fœmina sicut in nobis , restabat ergo & quarta,scilicet,de fęmina sine viro, quæ prędictas tres liberauit cunctis gen ibus desiderata. Secundò ibi fuit nouitas vnionis,qua secundùm Ber.in vnam personam cōiuncta, & vnita sunt nouum antiquū,& æternum.i. anima de nouo creata,caro de carne Adæ producta,& deitas ęterna. Vnita sunt etiam adinuicem in vna persona,natura suprema media , & infima, .i.deitas, anima , & caro. Tertiò fuit ibi nouitas signorum . De tali nouitate dicit Ber.in sermone de Nat.Domini Innoua dn̄e signa,& immuta mirabilia,quoniam ipsa consuetudine viluerūt,priora plane Solis ortus,& occasus,terræ fęcunditas,temporum vicissitudo,mira magna sunt, sed totiens uisa viluerunt, Innoua ergo signa,& immuta mirabilia. Ecce inquit noua facio omnia . O uerè noua miracula . Conceptus fuit sine uirili semine,partus sine dolore, & mater sine corruptione , Virgo peperit , & post partum inuiolata permansit. Fœcunditate prolis cum carnis integritate , & gaudium matris habens cum virginitatis honore . De ista mirabili nouitate dicit Augu.in libro de symbolo. Parit mater,& Virgo,& fœta intacta est,factor omnium fit inter omnia , portatur in manibus rector orbis. Lambit ubera regens sydera , tacet & uerbum est,necdum quis esset demonstrabat,& vniuersa creatorem suum indicant.

CONSECVTA EST BEATA VIRGO *plenitudinem gratiarum omnium.* *Sermo* CXVI.

PLENITVDINEM omnium gratiarū habuit Maria. Sed notandum,ꝙ quadruplex est plenitudo. Prima est plenitudo sufficientiæ quam habent omnes electi, qui quidem habent omnia,quæ sibi sufficiūt ad salutē,de qua dicitur

Act.6.Stephanus plenus gratia, & fortitudine. Secunda est abundantiæ,quam habuerunt Apostoli, qui præ cæteris sanctis Spiritum sanctum in maiori abundantia receperunt. Act. 2. Repleti sunt omnes Spiritu sancto. Tertia est excellentiæ quam habuit beata Virgo. Luc. 1. Aue gratia plena.Ipsa enim præ cæteris sanctis,& omnib.Apostolis excellẽtius Spiritus Sanct.dona percepit.Prou.vlt.Multę filię cõgregauerunt diuitias,tu supergressa es vniuersas. Verè supergressa,quia cęteræ habuerunt mensurã gratię, ista verò fuit fons gratiarũ,cęteræ hñt virtutes, & grãs particulares,ista habuit vniuersaliter,cęterę habuerunt mensurã determinatã ista,habuit vniuersam. Quarta est plenitudo effluentiæ quã habuit Christus.Io.1.De plenitudine eius omnes accepimus.

Prima autem plenitudo,quæ est in sanctis assimilatur plenitudine uasis.Vas enim habet plenitudinem mensuratam,& uasi proportionatam. Sic & Deus secundum ꝙ homo dispo nit uas animæ dando sibi mensuram gratiæ.Eph.4. Vnicuiq; data est gratia secundum mensuram donationis Christi.

Secunda plenitudo quæ est in Apostolis assimilatur plenitudini riuuli decurrẽtis.Ipsi enim riuos doctrinarum suarũ per totũ mundũ sparserunt, & ipsum mundũ infęcundum germinare fecerunt.Ps.Riuos eius inebrians. De istis riuis dicitur Isa,33.Locus fluuiorum riui latissimi,& patẽtes. Sancti enim Apostoli, & fuerunt locus fluuiorum per plenam a Deo receptam sapientiam,& fuerunt riui per emanantem doctrinam, & fuerunt latissimi per charitatem amplam,& fuerunt patentes per conuersationem apertam.

Tertia plenitudo quæ fuit in Virgine assimilatur plenitudini fontis,de qua dicitur Can.7.Fons hortorum puteus aquarum viuentium,&c.Habet enim fructuosam germinationem vnde dicitur, fons hortorum habet perpetuam effusionem, ideo subdit,puteus aquarum viuentiũ,habet velocẽ,& abundantẽ emanationem,iõ sequitur,quę fluũt impetu de libano.

Quarta plenitudo quę est in Christo assimilatur plenitudini fluminis,quia nullo accipit,sed semper fluit. Psalm. Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei.Item.Flumen Dei repletũ est aquis.Istud flumen sic impletum matrẽ suam sic impleuit,ꝙ

seipsum

ſeipſum qui eſt cibus angelorum in ea præparauit. Pſalm. Paraſti cibum illorum, &c. Deinde emiſit in riuos, ideſt in Apoſtolos quos ſic inebriauit, ideſt in tanta abundantia repleuit, quòd per eos germina fidei per totum mundum multiplicare fecit, ideò ſubditur riuos eius inebrians. Deinde iſtud flumen emiſit ſtillicidia, ideſt, in cordibus aliorum ſanctorum miſit Deus Spiritus ſancti dona per quæ gaudenter eos germinare fecit per bona opera, ideo ſubditur, in ſtillicidijs eius lætabitur germinans. Iſtam plenitudinē ſupereffluentiæ Chriſtus communicauit matri ſuæ, quia de eius plenitudine accipiunt vniuerſi. Non tamē omnibus æqualiter ſe diffundit, ſed ſm diſpoſitionem recipientiū dat menſuram gratiarū. Habet enim quadruplicem menſuram de qua dr̄, Luc. 6. Menſuram bonam, & confertam, & coagitatam, & ſupereffluentē dabſt in ſinum veſtrum. Ipſa nanque quoſdam facit bene incipere per gratiam incipientem, & iſtis dat menſuram bonā. Quoſdam facit in melius proficere per gratiam progredientem, & iſtis dat menſuram confertam, quia eis maiorem gratiā confert. Quoſdam facit ſemper perſeuerare, & iſtis dat menſuram coagitatam, quia gratiam Dei in eis ſic coagitat, & confirmat, quòd ab ipſa nunquam cadunt. Quoſdam facit ſupereffluere per gratiam confirmantem, per quam ipſi effluunt, modo per verba ædificatoria, modo per exempla, modo per miſericordiæ opera. Notandum autem ꝙ quatuor ſunt ſigna plenitudinis Primum eſt non reſonare ſicut patet in vaſe pleno vino, quòd percuſſum non reſonat. Ideo dicitur Iob. 7. Nunquid mugiet bos cum ante præſepe plenum fuerit. Secundum eſt non plus appetere ſicut patet in ſtomacho pleno qui plus non appetit eo, quòd ſaturitatem habet, ideo dicitur. Prouerb. 27. Anima ſaturata calcabit fauum. Tertium eſt ſupereffluere ſicut patet in vaſe fluuio inundante, Eccleſiaſtic. 24. Qui implet quaſi Phiſon ſapientiam. Phiſon eſt fluuius Paradiſi, qui de Paradiſo ægrediens terram eiulat, circuit, & inundat. Quartum ſignum eſt eſſe ponderoſum ſicut patet in vaſe, quod quando eſt vacuum, eſt leue, ſed quando eſt plenum ponderoſum eſt.

Iſta quatuor ſigna fuerunt in Beata Maria, per quæ

ostenditur, quòd fuit gratia plena. Primum signum est, quia multas tribulationes perpessa est, vel fuit, sed tamen per nullam impatientiam, vel murmurationem aliquam resonauit, sed semper de omnibus Deo gratias egit. Secundum signum est, quòd mundana non appetit. Intantum enim cor suum plenum fuit amore cœlestium, quòd despexit omnem amorē terrenum. Quia enim cœlestem dulcedinem degustauit, ideo omnis dulcedo mundana sibi amara fuit. Prouerb. vltimo. Gustauit, & vidit quoniā bona est negociatio eius, &c. Nam sicut dicit Chrysost. Verè non habet super terram, q̄ amet qui donum cœleste in veritate gustauerit. Tertium signum est, quia per continua beneficia nunquam fluere cessabit, ideo dicit Bern. De eius plenitudine accipiunt vniuersi, scilicet cœcus illuminationem, æger curationem, tristis consolationem, peccator veniam, iustus gratiam, angelus lætitiam, filius hominis humanæ carnis substantiam, & tota Trinitas gloriam, ita vt non sit qui se abscondat à calore eius. Quartum signum est, quia intantum fuit præ nimia gratiæ plenitudine ponderosa, quòd si ipsa sola in vna statera poneretur, & cæteri angeli etiam omnes sancti tam noui, quàm veteris testamenti in alia ponerentur, ipsa præ nimia gratiæ abundantia amplius ponderaret, quia omnes gratias quas alij sancti habuerunt particulariter ipsa habuit vniuersaliter. Vnde dicit Ber. Verè in plenitudine sanctorum fuit detentio eius cui non defuit fides Patriarcharum, nec spiritus Prophetarum, nec zelus Apostolorum, nec constantia martyrum, nec sobrietas Confessorum, nec castitas Virginum, nec fœcunditas coniugatorum, nec puritas angelorum.

OB MVLTA EAQVE PRAECLARA VOCAtur porta Beata Virgo, & portenaria. Sermo CXVII.

PORTA, & portenaria, fenestra, & fenestraria est Virgo Maria. Ante quidem aduentum Domini non erat aliqua porta in cœlo per quam possemus intrare, nec aliqua fenestra per quā Deus oculo suæ misericordiæ posset ad nos

respicere,

respicere, ideo ut dictum est Virgo Maria in cœli palatio facta est porta cęli, portenaria Dei feneſtra Chriſti, & feneſtraria Paradiſi. Primò quidem facta est porta cœli. Sicut enim per portam intus inferimus, & extra efferimus, ſic & ipſa per merita ſua nos portat ad cœlum, & ad nos reportat gratiarū. Vocatur autem ab Eccleſia porta regia, porta lucida, fęlix & beata. Primò nanque vocatur porta regia reſpectu Chriſti, cum dicitur. Tu Regis alti ianua. Sicut enim homo per portam intrat, & exit, ſic Chriſtus per ipſam intrauit, & exiuit, & tamen ipſa porta ſemper clauſa permanſit. Ezech. 44. Porta hæc clauſa erit, & non aperietur, & vir non tranſibit per eā, quoniam Dominus Deus Iſrael ingreſſus eſt per eam. Secundò vocatur porta fulgida reſpectu ſui, vnde dicitur. Et porta lucis fulgida. Deus ſemper ad oſtium cordis noſtri ſtat. Apocalyp. 3. Ego ſto ad oſtium, & pulſo, volens lucem ſuæ gratiæ ihfundere. Sed mali tenent oſtium clauſum, & nolunt recipere lumen diuinum. Iob. 24. Ipſi fuerunt rebelles lumini. Maria autem Chriſto ad oſtium pulſanti aperuit. Cantic. 5. Aperi mihi ſoror mea. Ipſa vero aperit dicens ibidem. Peſulum oſtij mei aperui dilecto meo, & ideo lucem ſuam infudit, & eam totam lucidam fecit. Apoc. 21. Ciuitas, ideſt Virgo Maria in qua fuit omnium virtutum vnitas, non indiget Sole, ideſt angelica illuminatione, neque Luna, ideſt inſtructione humana, ideo ſubditur, ſed claritas Dei illuminabit eam, & lucerna eius eſt agnus. Tertiò uocatur porta fęlix, quia per ipſam ad fęlicitatem æternam intramus. Vnde dicitur. Geneſ. 8. Hæc eſt domus Dei, & porta cœli. Videns enim Iacob cęlum apertum, & ſcalam ſuper terram cuius cacumen tangebat cęlū, & angelos aſcendentes, & deſcendētes, & Dominum innixum ſcalæ admirando dixit. Hæc eſt domus Dei, & porta cœli. Per quæ datur intelligi, quòd ipſa eſt porta cœleſtis, quia ipſa nobis cœlum aperit, quia ipſa eſt ſcala cęleſtis per quā Deus ad nos deſcēdit, quæ licet eſſet in terra corpore, tñ cacúmen mentis eius cęlum tangebat corde, & amore, quæ angelos pro nobis ad Deum mittit, & ad nos uenire facit cui Dñs innixus fuit, & incorporatus quādo in eius utero fuit incorporatus. Iſtam portā cęleſtem Eua nobis clau-

fit,

ſit, ſed Maria aperuit, vnde cantat Eccleſia. Paradiſi porta per Euam cunctis clauſa eſt,& per Mariam Virginem iterum patefacta eſt. Porta enim paradiſi terreſtris tripliciter clauſa erat, ſcilicet angelica cuſtodia, flamma appoſita, rumphea bis acuta, vt habetur. Geneſ. 3. Per quæ ſignificatur clauſura Paradiſi cœleſtis, per angelicam ſignificabatur inimicitia, quæ erat inter hominem, & angelum per peccatum. Per flammam appoſitam ſignificatur obligatio ad pœnam æternam, per rumpheam bis acutam ſignificabatur Dei ſeuera iuſtitia, quæ corpus & animam incidebat. Beata igitur Maria inter hominem, & angelum pacem fecit, & ideo primam clauſuram aperuit. Vnde angeli cantauerunt. Gloria in altiſſimis Deo, &c. Ipſa etiam remouit pœnam æternam, & adduxit Dei gratiam, & gloriam; ideo remouit ſecundam clauſuram. Prouerb. 11. Mulier gratioſa inueniet gloriam. Ipſa etiam remouit ſeueram Dei iuſtitiam, & conuertit ipſam in magnam clementiam, & ſic remouit tertiam clauſuram, ideo ſignificata eſt per Heſter. Cum enim Rex Aſſuerus contra Iudæos grauem tuliſſet ſententia: Heſter Regina ſuis precibus impetrauit, quòd illam grauem ſententiam reuocauit, & in clementiam commutauit. Secunda eſt portenaria Dei, quia ad Chriſtum nos introducit. Hugo de Sancto Victore, Maria porta Chriſtus oſtium patri occultum. Per Mariam igitur peruenitur ad Chriſtum, per Chriſtum vero ad Deum. Iſta portenaria nobis theſaurum Dei aperit, & nos in cœleſte palatium introducit. Aperit nobis quidem theſaurum diuinæ potentiæ, ſapientiæ, & miſericordiæ. Quidam enim peccant per infirmitatem humanam illis aperit theſaurum diuinæ potentiæ, quia dat eis virtutem & potentiam reſiſtendi. Alij peccant per ignorantiam, illis aperit theſaurum diuinæ ſapientiæ, quia dat eis ſcientiam cauendi. Alij peccant per certam malitiam, illis aperit theſaurum diuinæ miſericordiæ, quia dat eis gratiam pœnitendi, ideo dicitur. Zach. 11. Aperi libane portas tuas. Libanus interpretatur candidatio, & ſignat Mariam, quæ fuit candida per munditiam. Iſta aperit portas ſuas, quia debilibus, & infirmis aperit portam diuinæ potentiæ, ignorantibus, & obſcu-

ris aperit portam diuinæ sapientiæ, malignantibus, & peruersis portam diuinæ misericordiæ. Secundò ista portenaria in cœleste palatium nos introducit, à quo Eua nos exclusit. Legitur. 2. Reg. 4. quòd ostiaria purgans triticum obdormiuit, & ideo miphiboset interfectus fuit. Ista ostiaria fuit Eua, quæ non sollicitè vigilauit, & ideo diabolus introiuit, & eius spiritum interfecit. Sed dicitur Ioan. 19. quòd ancilla ostiaria Petrum in atrium Principis sacerdotum introducit, quia Virgo Maria, quæ se nominat ancillam in cœleste palatium nos introducit. Tertiò dicitur fenestra Christi per quam cœlum similiter intramus, vnde cantat Ecclesia. Intrēt vt astra flebiles cœli fenestra facta es. Per istam portam siue fenestram Deus lumen suæ gratiæ nobis effundit. August. Facta est Maria fenestra cœli, quia Deus per ipsam verum lumen sæculis effudit, facta est Maria scala cœlestis, quia Deus per ipsam descendit ad terram. Per istam igitur fenestram Deus ad nos oculo suæ misericordiæ respicit. Cant. 2. En ipse stat post parietem nostrum respiciens per fenestras prospiciens per cancellos. Vbi notandum, quòd tria sunt, quæ inducunt Christum, vt nos oculo suæ misericordiæ respiciat. Primum est, quia ipse habet nobiscum consimilem naturam, & ideo est propinquus noster, hoc notatur cum dicitur, quòd stat post parietem nostrum. Paries enim noster est nostra natura. Sed dicitur stare post parietem, quia licet habuerit veritatem naturæ, non tamen habuit vitia naturæ. Secundum est, quia habet nobiscum eandem naturam, ideo est frater noster, ideo dicitur, respiciens per fenestram, idest per Virginem Mariam. Tertium est, quia ipse pro nobis accepit vulnera sua, ideo factus est Redemptor noster, ideo dicitur, prospiciens per cancellos. Deus igitur ad nos misericorditer mouetur quando in seipso videt nostram naturam, matrē nostram, & vulnera sua. Quartò ipsa est fenestraria paradisi, ideo sæpe est roganda sibi sæpe dicendum. Cantic. 5. Aperi mihi soror mea, amica mea, columba mea, & immaculata mea, quia caput meum plenum est rore, & cyncini mei pleni sunt guttis noctium. Vbi ponuntur quinque causæ, quia ipsa est fenestraria, debet suis deuotis fenestram aperire,

Prima est magna nostra propinquitas, quia soror nostra est. Secunda est eius uiscerosa charitas, quia ipsa amica nostra est. Tertia est magna eius pietas, quia est sicut columba. Quarta est eius generositas, quia est immaculata. Quinta est magna nostra necessitas, quia sumus inter homines frigidos qui nos tota die infrigidant suis malitijs, ideo dicit. Caput meum plenum est rore, &c. Tanquam si diceret. Totus sum plenus frigore, quia peccatores frigidi infrigidauerunt me guttis noctium malitiæ suæ, & ideo dicit. Aperi mihi, ut me calefacias igne charitatis tuæ.

APVD REGEM AETERNVM DEVM POLlet magna potestate Beata Virgo. Sermo CXVIII.

POTENTIAM magnā habet in ciuitate superna Virgo Maria. Consueuit autem quis penes aliquem Regem habere magnum posse, aut ratione parentelę, aut ratione gratiæ inuentę, aut ratione beneficentiæ. Ista triplici de causa B. Virgo penes Regum cœlestem obtinet magnum posse. Primò ratione parentelę, quia scilicet est mater Regis. Ber. Non deest ei potestas, quia est mater oīpotentiæ, nec volūtas, quia est mater misericordiæ, nec industria, quia est mater sapientiæ. Hoc signatum est. 3. Reg. 2. Vbi dixit Salomon Bersabeæ matri suæ. Pete mater mi. Neque fas est, ut auertā faciem tuam. Bersabeę interpretatur puteus satietatis. Noster puteus. i. aīus aliquando est uacuus, aliquādo semiplenus. Puteus aūt Virginis semper est plenus, & superplenus. Hiero. in ser. de Assump. Bene plena, quia cæteris quidē per partē præstat, Mariæ uero se totā infudit grāe plenitudo. Ber. Legimus, Stephanū plenum grā, & Apostolos Spiritu sancto repletos, sed lōgè dissimiliter à Maria. Alioqn nec in illo corporaliter habitauit diuinitatis plenitudo, nec illi conceperunt de Spiritu sancto. Secundò habet posse ratione gratiæ inuētæ, quia sicut dixit ei angelus. Luc. 1. Inuenisti gratiam, &c. & non tantūm apud Deum, sed etiā apud totum mundum. Ber. Bene dr̄ Maria gratia plena, quia Deo, angelis, & hoībus grata. Deo per

per humilitatem angelis per virginitatem, toti mundo per fęcunditatem. Tantam apud Deum gratiam inuenit, quòd ipsam ab ęterno amauit. A principio mundi per omnes ętates quæsiuit, & tandem desponsauit. De his tribus dicitur Sap. 7. Hanc amaui, & exquisiui à iuuentute mea, & quęsiui eam mihi sponsam assumere. Tantam gratiam inuenit, quòd ipsa ꝑ Eua regnare fecit. Hester. 2. Adamauit eam rex super omnes mulieres. Habuitque gratiam, & misericordiam coram rege super omnes mulieres, & imposuit diadema regni in capite eius fecitq; eam regnare pro uasthi. i. pro Eua. Tantam gratiam inuenit, quòd omnes petitiones suas exaudit, Ibidem. 7. Si inueni gratiam in oculis tuis ò Rex da mihi animam meā pro qua rogo, & populum meum, pro quo obsecro. Et rex sibi omnia concessit.

Tertiò habet magnum posse ratione beneficientię, ratione obsequiorum quæ sibi exhibuit, quia ipsum aluit, & nutriuit. Vnde dicit sanctus Odilo. Ipsa Dei genitrix omne tempus dominicæ infantiæ, pueritiæ, adolescentiæ cum illo peregit, & obsequium maternæ dulcedinis, ut uera mater uero filio ministrauit. Augu. in sermone de Annuncia. Lacta Maria creatorem tuum, panem cœli, precium mundi, præbe lambenti mamillam, ut ille pro te percutienti præbeat maxillam. Tu illi temporalem ministra substantiam, ut ipse tibi, & nobis vitam præbeat sempiternam. Lacta qui fecit te, vt ipse fieret in te. Et quia beata Virgo talia obsequia Christo præstitit, ideo sibi Christus in iudicio dicere poterit illud Matth. 25. Esuriui & dedisti mihi manducare, uel me infantem nutriendo, uel tua puritate me pascendo, Sitiui & dedisti mihi bibere, tuo lacte virgineo me potando. Hospes eram, & collegisti me, in tuo utero nouem mensibus hospitando. Nudus & cooperuisti me, uel me infantem pannis inuoluendo, uel membra corporis mei de tuis castis visceribus mihi formando. Infirmus eram, & uisitasti me, infantibus debilitatibus subueniendo. In carcere eram, & uenisti ad me, in patibulo incarceratum associando.

NON SOLVM A SPECIEBVS *pulchritudinis extollitur Beata Virgo, sed etiam ab eius causis.* Sermo CXIX.

PVlchritudinem maximam habuit Virgo Maria. Quæ quidem pulchritudo in se, & in nobis fuit. In se ipsa q. dem fuit pulchra, quia in ea fuerunt causæ, species, & signa omnis pulchritudinis. Causæ uero pulchritudinis, quas ponit philosophus in lib. perspectiuorum sunt quatuor. s. magnitudo, numerus, color, & lux. Et istę quatuor causæ pulchritudinis fuerunt in Maria. Magnitudo igitur facit pulchritudinem, & ponit exemplum, quia Luna apparet pulchrior stellis, & stellæ magnæ sunt pulchriores, quàm paruę. Sic Maria fuit magna, & maxima. Vnde ipsa dicit. Fecit mihi magna, quia potens est. Ipsa etiam dicit Eccle. 24. Ego mater pulchræ dilectionis. De eius magnitudine Aug. respondens illi quæstioni Can. vlt. Quæ est ista quæ ascendit per desertum, &c. ait. Ista est mater Dei, regina cœli, domina mundi, & porta paradisi. Numerus etiam facit pulchritudinem, vnde ponit exemplum, quod loca cœli stellarum plurimarũ sunt pulchriora loca stellarum paucarum. Similiter in Maria, fuit numerositas omnium uirtutum. Eccl. 24. In me omnis spes uitæ, & virtutis. Psal. Astitit regina à dextris tuis. Dam. in lib. 4. Maria in domo Dei plantata, & impinguata spiritu, ut oliua fructifera, omnis virtutis habitaculum facta est. Color etiam facit pulchritudinem cuius exemplum ponit, quod panni tincti, & colorati sunt pulchriores, quàm alij. Sic Maria tincta fuit colore nigro humilitatis, albo puritatis, & rubeo charitatis. De quo triplici colore dicitur Can. 1. Nigra sum, sed formosa filiæ Hierusalem sicut pelle Salomonis. Lux etiam est causa pulchritudinis, quia omnia quæ in deserto erant efficiuntur pulchra, scilicet, Maria quæ tota est splendẽs, & lucida Can. 6. Quæ est ista quæ progreditur quasi aurora. Secundò in ea fuerunt species pulchritudinis, quæ fuerunt quinque. Prima est pulchritudo cœlestis, quę cõsistit in gloria sanctorum. Isa. 33. Sedebit populus meus in pulchritudine pacis, in tabernaculis

culis fiduciæ in requie opulenta. Secunda est pulchritudo intellectualis siue angelica, quę consistit in obseruantia munditiæ virginalis, Sap.4. O quàm pulchra est casta generatio cū claritate, s. morum honestate. Greg super illud Can.4. Quam pulchra es amica mea, quàm pulchra es. Pulchram, inquit, nominat, & pulchram replicas, quia alia est pulchritudo morum, in qua nunc cernitur, atque alia pulchritudo præmiorum, in qua tunc per conditoris sui speciem subleuatur. quarta est pulchritudo supersubstantialis, quæ est pulchritudo diuina., de qua dicitur Hierem. 31. *Benedicat tibi Dominus; pulchritudo iustitiæ mons sanctus*. Quinta est pulchritudo spiritualis quæ consistit in decore virtutum, de qua dicitur Thre.4. Candidiores Nazarei eius niue, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, Saphiro pulchriores. Sancti enim viri assimilantur niui propter refrigerium castitatis. lacti propter munditiam puritatis, ebori antiquo, & rubicundo propter feruorem charitatis, & Saphiro propter pulchritudinem cœlestis contemplationis. Ista quintuplex species pulchritudinis fuit in Maria. Vnde dicitur Apocalyp.12, Signum magnum apparuit in cœlo mulier amicta Sole, & Luna sub pedibus eius, & in capite eius corona stellarum duodecim, & in utero habens. De qua etiam dicitur, quòd datę sunt sibi duæ alæ, Ex quibus uerbis habetur, quòd ipsa fuit pulchra à superiori per pulchritudinem cœlestem, quia in capite eius corona stellarum duodecim, quia nouem ordines angelorum, & tres hominum, scilicet, Martyres, Confessores, & Virgines, ipsam uenerantur, & adorant. Hieronymus in serm. de Assump. Circundant eam flores rosarum, & lilia conuallium, vt virtutes uirtutibus fulciantur, & de rore formositas augeatur. Sanctorum quippe claritas submittitur, ut eius ampliori gloria commendetur. Secundò est pulchra ab inferiori per pulchritudinem spiritualem, siue angelicam, ideo dicitur, quòd Luna erat sub pedibus eius. Per Lunam significatur corpus virgineum, quod sub pedibus habuit, quia sub dño rationis ipsum semper tenuit, & in virginitate seruauit, q̄ maior fuit, q̄ angelica. Hieron ubi supra. Si qualibet virginitas intantum erigitur vbi angelis comparetur, quæ tantum dño nuptiarum

ſedere copulantur, quanto magis eſt glorioſa virgo, quæ ſingulari commendatur priuilegio, & immenſo dictatur matrimonio. Tertiò fuit pulchra ab exteriori per pulchritudinem moralem, ideo dicitur, quòd fuit amicta ſole, ideſt ſplendenti conuerſatione. Eius autem conuerſatio ad inſtar ſolis omnibus relucebat. Quartò fuit pulchra ab interiori per pulchritudinem ſuperſubſtantialem, ideo dicitur, quòd erat in utero habens, Nam in utero pulchritudinem diuinā habebat. Quintò fuit pulchra à dextris, & à ſiniſtris per pulchritudinem ſpiritualem, quæ conſiſtit in decore virtutum, ideo dicitur, ꝙ datę ſunt ſibi duæ alæ. Iſtæ duæ alæ fuerunt virtutes politicæ quibus ornata fuit à ſiniſtris, & virtutes theologicę, quibus ornata fuit à dextris. Nullus unquam intantum fuit uirtutibus adornatus, quòd ſibi poſſet comparari. Hieron. ubi ſupra. Sicut in comparatione Dei nemo bonus, ſic in comparatione matris Dei nulla perfecta inuenitur etiam ſi virtutibus eximia comprobetur. Tertiò in ipſa fuerūt ſigna pulchritudinis, quæ ſunt quatuor. Primum eſt habere affectum mundum, & purum. Secundum eſt habere amorem diuinum. Tertium eſt non habere aliquem defectum. Quartum eſt nullum habere peccatum, Iſta quatuor ſigna fuerunt in Maria, ideo dicitur Can. 4. Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te. Ipſa enim fuit pulchra, quia ab omnibus terrenis habuit pūrgatum affectum. Ipſa fuit tota pulchra, quia nullum habuit defectum. Ipſa fuit Dei amica, quia perfectum habuit amorem diuinum. Ideo Hugo de ſancto Victo. iſtud uerbum pertractās ait. Quam pulchra es, quam ſcrutator rerum probat, quam inſpector cordium laudat, quam diligit actor pulchritudinis, cui teſtimonium phibet magiſter veritatis. Nos autem nec ſumus pulchri, quia affectibus terrenis ſumus fędati, nec toti pulchri, quia ſumus multis defectibus circundati, nec ſumus ſine macula, q̄a peccatis multis ſumus reſpſi, nec ſumus Dei amici, quia neſcimus vtrum odio, uel amore ſimus digni.

Secundò fuit, & eſt pulchra in nobis. Quæ pulchritudo inſinuatur Can. 6. Quæ eſt iſta q̄ progreditur quaſi aurora, &c. Ipſa enim peccatores à tenebris peccatorum purgat lumine ſuæ gratiæ, ideo aſſimilatur auroræ, Ipſa errantes uiatores dirigit

rigit luce suę sapientiæ, ideo assimilatur Lunę. Ipsa frigidos accedit igne suæ charitatis, ideo assimilatur. Ipsa dæmones terret fulgore maiestatis fræ, ideo assimilatur aciei castrorum armatæ. Propter ista dicit idsa Eccle. 24. Ego mater pulchræ dilectionis, &c. Est enim mater dilectionis inquantum frigidos accendit. Est mater timoris iuquantum dæmones terret, & expellit. Est mater agnitionis inquantum errantes dirigit. Est mater spei inquantum peccatores recipit. Vel potest dici, quòd nihil est pulchrius in die solis pręsentia. In nocte nihil pulchrius Luna. In confinio diei, & noctis nihil pulchrius aurora, hostibus nihil terribilius acie ordinata. Per diem igitur iusti intelliguntur. Istis electa est ut Sol, quia eos illuminat ad cognitionem, & inflammat ad amorem. Per noctem igitur intelliguntur peccatores. Istis enim est pulchra, vt Luna. Luna enim est rorida, & frigida, quia eis infudit rorem suę gratię, & refrigerat contra ęstum concupiscentię. Per confinium diei, & noctis intelliguntur de nouo cōuersi. Istis est pulchra, ut consurgens aurora. Sicut enim aurora est media inter diē, & noctem, & tunc malę bestię fugiunt, & aues concinunt, sic ista tanquam mediatrix istos tales Deo reconciliat, tentationes ab eis fugat, & spiritualem lętitiam in eis generat. Dęmonibus autem est terribilis, ut castrorum acies ordinata, quia ad eius inuocationem territi fugiunt, & in infernum recedunt.

EXPRIMVNTVR QVAE BEATAE Virginis pulchritudinem constituant. Ser. CXX.

PVLCHRITVDO Beatę Marię consistit in uenusto, & decenti decore, siue colore. Fuit enim colorata triplici colore, scilicet, nigro, albo, & rubeo. Cāt. 1. Nigra sum. Ecce color niger. Sed formosa. Ecce color albus. Sicut pelles Salomonis. Ecce color rubeus. Vnde dicit glo. ibi. De pellibus rubricatis fecit sibi Salomon tabernaculum.

Primus igitur color, scilicet, albus significat suam puritatem, & virginitatem. Est autem albus color lucis maximè

susceptiuus, est visus disgregatiuus, & est cæterorum colorum sustentamentum. Quia igitur in Beata Virgine maximè fuit color albus puritatis, & munditiæ, ideo in ea maximè radiauit lux diuinę gratiæ. Quanto quidē maior est albedo, tanto magis se infundit luminis plenitudo. Albedo autem puritatis Beatæ Virginis excellebat angelicam, & humanā. Anselmus. Decebat quippe, vt Virgo Beata ea puritate niteret qua sub Deo maior nequit intelligi. Quia igitur post Deum in ea maior puritas fuit, ideo post Deum maior in ea lux, & gratia fuit, ideo claritas eius assimilatur claritati Solis, & Lunæ. Cant. 6. Pulchra, vt Luna electa, vt Sol. Sicut enim claritas Solis, & Lunę excedit claritatem omnium luminarium sic claritas Virginis excedit claritatem omnium sanctorum, & angelorū. Secundò albus color puritatis, & suæ virginitatis tantus fuit, quod quodammodo disgregat visum .i. intuitum nostræ mentis. Disgregat etiam intellectum nostrum, quia ipsam nō sufficimus intueri, sed tamen ipsam possumus admirari. Eccles. 43. Pulchritudinem candoris eius admirabitur oculus. Eiusdem. 43. Refulgens radijs suis excęcat oculos. Immo etiam disgregat intellectum angelicum, quia eius gloriam mirari & stupere possunt, sed considerare non sufficiunt. Vnde dicunt. Cantic. 6. Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens. Item. 8. Quæ est ista, quæ ascendit de deserto delitijs affluens. Vnde super illud Matth. 1. Non cognoscebat eam Ioseph donec, &c. Dicit Origenes, quòd quandiu Virgo Beata in vtero suo habuit Solem iustitiæ tantus fulgor exibat de eius facie, quòd Ioseph ipsam cognoscere, & discernere non valebat, quia in eius faciem intendere non valebat, donec eius vterus non fuit euacuatus. Tertiò albus color suæ puritatis fuit sustentamentum cuiuslibet virtutis. Sicut autem lana prius est alba, & postea diuersis coloribus tingitur, sic Maria primo fuit alba, & postea diuersis virtutibus adornata. Alcuinus in libro de Trinitate. Beata Maria lana mundissima fuit in virginitate clarissima, quæ sola digna esset filij Dei recipere dignitatem sicut lana cochilij sanguinem, vt ex ea fieret purpura Imperiali maiestate tantummodo digna, quàm quæ nullus dignus induere

nisi augusta praeditus dignitate. Secundò fuit colorata colore nigro humilitatis. Quanto enim erat albior, & purior in conspectu Dei, tanto magis se reputabat nigram in conspectu sui. Saepe nanque res lucida nigrum habet effectum, sicut ostendit Augustinus in libro de ciuitate Dei, per tria exempla. Ignis enim splendidus carbones nigros facit, & omnia, quae lambit teterrima reddit. Argentum lucidum lineas nigras facit. Oleum fulgidum maculas nigras effundit. Beata igitur Virgo licet habuerit ignem splendidum, idest animum diuina sapientia illustratum, licet habuerit argentum lucidum, idest, corpus virgineum, licet habuerit oleum fulgidum, idest abundantiam meritorum, tamen semper de se nigra, & humilia sentiebat dicens, Nigra sum, sed formosa. Notandum, quòd color niger visum congregat, album iuxta se positum magis commendat, & aliquando de se illuminat, sicut patet in pupilla, quae quando est magis lucida est, quàm si esset alba. Color igitur niger humilitatis habet virtutes, & gratias intus in anima congregatas. Psalm. Qui emit fontes in conuallibus, per conualles intelliguntur mentes humiles, per fontes intelliguntur mentes coelestes siue coelestium gratiarum. Deus igitur in mentes humiles fluit, & congregat gratias, & virtutes. Non tantum humilitas habet congregare, sed etiam conseruare, quia sicut dicit Grego. Qui caeteras virtutes sine humilitate congregat, quasi qui puluerem ante faciem venti portat. Iste igitur color humilitatis in Beata Virgine congregauit virtutes omnium gratiarum, & virtutum. Ecclesiast. 24. In me omnis gratia uitae, & ueritatis, in me omnis spes uitae, & uirtutis. Item. In plenitudine sanctorum detentio mea. Non autem tantum humilitas congregauit in ea uirtutes, sed etiam conseruauit. Bernard. Beata igitur Virgo nunquam à filio suo Domino nostro didicit coelos fabricare, nec angelos creare, non miracula perpetrare, sed tantum humiliari caeteraq; documenta uirtutum inter humilitatis custodiam aggregare. Vnde & in se solam humilitatem respexisse fatetur Domiminum qui est custos uirtutum.

Secundò nigredo suae humilitatis commendabat in ea

albedinem uirginitatis, quia sine humilitate sua uirginitas Deo nō placuisset. Bernardus. Super quem requiescet spiritus meus nisi super humilem, nō dixit nisi super Virginem. Si igitur Virgo humilis non fuisset Spiritus Sanctus super eam nō requieuisset nec eam impregnasset. Quomodo nanq; de ipso conciperet sine ipso. Patet igitur quod Maria, etsi ex uirginitate placuit, tamen ex humilitate concepit. Vnde constat etiam quòd ut placeret Virginitas proculdubio fecit humilitas.

Tertio nigredo humilitatis magis eam splendidam fecit in conspectu mundi, Nam totus mundus prædicat eam beatā unde postquam dixit. Respexit humilitatem ancile sue subdit. Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Deus quoq; fecit eam sublimen, & altam unde subdit, Quia fecit mihi magna quia potens est.

Tertiò fuit colorata dolore rubeo charitatis. Iste igitur color fuit in ea multipliciter generatus.

Primò igitur fuit rubea, quia fuit igne Spiritus Sancti inflammata in tantum, quòd ad instar lāpadis folgores igneos emittebat Cant. 8. Lampades ignis atq; flamarum. Isa. 32. Dixit dominus cuius ignis in syon, & caminus in Hierusalē Per syon intelligitur Virgo Beata, quæ semper Deum fuit speculata. Per Hierusalem intelligitur Christus, qui est pax nostra, & uisio gloriosa. In Christo igitur fuit caminus ignis Spiritus Santi per maximus. In uirgine fuit ignis immensus. In nobis autem uix est igniculus, i. amor per modicus. Isa. 30 Non inuenietur de fragmentis eius. s. Adæ. qui cum tota sua posteritate fractus fuit testa. i. alicuius conscientia in qua portetur igniculus de incendio.

Secundò fuit rubea, quia fuit luce solari perfusa, & non tantum perfusa, sed etiam amicta. Apoc. 12. Mulier amicta sole, & non tantum amicta, sed etiam sole immersa. Hieronimus. Iure sole perhibetur amicta, quia luci immarcessibili uidetur immersa, nec summatim tangi, sed operiri magis, & circunfundi, & tanquam ipso igne concludi.

Tertiò fuit rubea, quia fuit in cellam uinariam introducta. Can. 1. Introduxit me rex in cellam uinariam. Istud tamen uinum tam abundanter hausijt, quòd etiā nobis copiosè effudit,

effudit, Can. 1. Bibite amici, & inebriamini chariſſimi. Amicos potat, ſed chariſſimos inebriat, quia ſibi deuotis unum gratię infundit, ſed deuotioribus, & perfectis maiorem gratiam tribuit.

Quarto fuit rubea, i. in Chriſti ſanguine rubricata. Habuit enim Chriſti ſanguine tinctam memoriam per recordationē Tinctam intelligentiam per deuotionem. Tinctam uoluntatem per affectionem, & forte iuxta crucem tinctam faciem per ſanguinis Chriſti effuſionem, ut poſſit dicere illud Exo. 4. Sponſus ſanguinum mihi es Apo. 6. Luna, i. Virgo Beata tota facta eſt ſanguis.

Quintò fuit rubea, quia fuit ueſtis purpurea effecta. Vnde cātatur de Chriſto. Indutus ueſte purpurea. Color autem purpureus non ſtatim imprimitur, ſed ſicut Ambroſius in lib. de apologia dicit. Primo uellus ignobili ſuco inficitur. deinde eius ſpecies diuerſo ſępe colore mutatur cum pleno lauacro depuratur, & ſic color purpureus apponitur. Beata autem Virgo primo fuit ignobili ſuco infecta, quando fuit cum peccato originali concepta. Poſtmodum uero fuit diuerſo colore depicta, quando fuit uarietate uirtutum adornata. pſal. Omnis gloria eius filiæ regis. Deinde fuit lauacro Spiritus Sancti depurata, quando Spiritus in eam ſuperuenit, qui totaliter eam purificauit, & ſic fuit colore purpureo ſublimata ita, quòd nulli alteri niſi imperatori celeſti fuit idonea.

GRADVS GENERAQVE PVRITATIS recenſentur Beatæ Virginis Sermo CXXI.

PVRITAS Beatę Mariæ habuit magnam perfectionem quia fuit Virgo mente, & corpore, unde dicit Ambroſius in lib. de uirginibus. Virgo erat non ſolum corpore, ſed etiam mēte, quæ nullo doli ambitu ſincerum adulteraret affectum. Intantum enim eius puritas immenſa, & perfectá fuit, quòd cum ſit triplex puritas, ſ. diuina angelica, & humana, ipſam diuinam puritatē nouem menſibus in ſuo utero habuit. Ipſa puritatem angelicā tranſcendit, & omnē puritatē humanā ultra ſuperauit. Anſelmus. Decebat quippe, ut Virgo

Beata ea puritate niteret, qua sub Deo maior nequit intelligi.

Secundò eius puritas habuit impermixtionem, quia nulla quantumcunq; minima impuritas eius puritati se immiscuit. Sap.7. Nihil inquinatum in illam incurrit; Eccle. 24. Quasi balsamum non mixtum odor meus. Non enim se potuit sibi immiscere peccatũ originale, quia fuit à Spiritu sancto sanctificata, nec aliquod mortale, quia fuit à patris potentia roborata, nec aliquod veniale, quia fuit à splendore filij illustrata. Ideo poterat dicere illud Iudith. 14. Viuit dominus quia custodiuit me angelus eius, & hinc euntem, & ibi commorantem, & inde huc reuertentem. Deus enim per angelum suũ custodiuit eam in mundum euntem, quia ipsam ab originali per Spiritum sanctum purgauit, & commorantem in mũdo, quia eam à peccato mortali conseruauit, & de mundo ad patriam reuertentem, quia sine macula venialia eam de mundo exire fecit.

Tertiò eius puritas habuit trasfusionem, quia in alios trãsfundebatur. Quamuis enim esset pulcherrima à nullo tamen vnquam potuit concupisci. Et huius ratio est, quia eius pulchritudo aliorum corda meduliter penetrabat, & in eis omnes motus illicitos extinguebat. Istam puritatem non habuit nec Agnes, nec Catherina, nec aliæ virgines, quia quamuis illæ non concupierunt, tamen fuerunt ab alijs concupitæ, quia ipsarum puritas non erat tanta, quòd aliorum corda penetraret, & in eis motus illicitos extingueret sicut extinguebat puritas beatæ Virginis. Ideo odor suæ puritatis assimilatur odori myrrhæ, & cedri, ut habetur Eccles. 2. Sicut enim odor myrrhæ expellit uermes, & odor cedri fugat serpentes, sic & odor suæ puritatis in alijs expellebat motus brutales.

Quartò eius puritas habuit perpetuitatem, & conseruationem. Nunquam eius puritas fuit in aliquo interrupta, nunquam uel in modico diminuta, nunquam aliquo tempore interpolata, sed semper fuit augmentata semper renouata, immo totaliter ultimata. Hiero. in sermo. de Assump. Iute Maria sole perhibetur amicta, quę luci illi immarcessibili videtur immersa, neque summatim tangi, sed operiri magis, & circunfundi, & tanquam ipso igne concludi.

NEQUA-

NEQVAQVAM INDIGVISSE PVrificatione Beatam Virginem probatur. Sermo CXXII.

PVRIFICATIONE Virgo Maria non indigebat, nec ratione sui parturientis, nec ratione prolis, nec ratione legis, nec ratione mysterij, siue significationis.

Primò non indigebat ratione sui, quia erat tota purissima, tota sanctissima, tota mundissima. Si quidem Spiritus sanctus purificauit eius mentem. Luc. 1. Spiritus sanctus superueniet in te, Christus purificauit, & sanctificauit eius ventrem, Vnde sequitur. Et virtus altissimi obumbrabit tibi. Pater purificauit eius mentem. Ps. Sanctificauit tabernaculum suum altissimus.

Secundò non indigebat ratione prolis, quia in filio nulla fuit impuritas, sed omnimoda sanctitas. In ipso quidem fuit triplex natura, scilicet, anima lucida, deitas vera, caro immaculata. Sap. 7. Candor est lucis æternæ, quantum ad primum, scilicet, quo ad animam lucidam. Et speculum sine macula quantum ad carnem immaculatam, imago bonitatis Dei, quantum ad deitatem veram secundum quam filius Dei est imago Dei. Col. 1. Qui est imago Dei inuisibilis. Quod autem non indigeret purificatione ratione prolis patet, quoniã vas plenum amœno flore repletum balsamo, perfusum solari radio, nullam ex his immunditiam contrahit, sed efficitur magis purum, magis odoriferum, & magis lucidum. Christus enim est flos amœnus quo ad carnem. Cant. 2. Ego flos campi. Est balsamum odoriferum quo ad animam. Eccl. 24. c. Quasi balsamum non mixtum odor meus. Et est splendor paternus quo ad deitatem veram. Heb. 1. Qui cum sit splendor gloriæ, & figura substantiæ eius, &c. Virgo igitur beata ex quo portauit florem tam amœnum habuit maiorem puritatem munditiæ. Ex eo quòd habuit balsamum tam odoriferum, habuit maiorem redolentiam gratiæ. Ex eo quòd splendorem diuinum habuit maiorem lucem sapientiæ.

Tertiò

Tertiò nõ indigebat purificatione ratione legis. Lex enim purificationis tria supponebat, scilicet, fractionē. Ideo dixit. Mulier quæ sonat sexus fractionem. Supponit etiam seminū commixtionem. Ideo dicitur. Quæ suscepto semine. Tertiò supponit assimilationem, ut scilicet, filius sit similis parētibus in natura. Et ideo dicit. Peperit masculum. Ista autem tria in virgine pęnitus non fuerunt. Nam in ea nulla fuit fractio, sed perpetua illibatio, quia fuit Virgo ante partū in partu, & post partum. Dicunt tamen hæretici, quòd Virgo beata non fuit Virgo post partum, sed filios habuit de Ioseph, qui fratres Christi uocantur. Ad quòd respondet Hieronymus contra Claudium dicēs, quòd in scriptura fratres quatuor modis dicuntur, s. natura, ut Esau, & Iacob gēte, ut omnes Iudæi. Cognatione, ut Abraham, & Loth. Affectu qui in duos scinditur in specialem, & sic omnes Christiani dicuntur fratres, & communem, & sic omnes dicuntur fratres, quia sunt ex uno patre. Ibi non fuit seminum commixtio, quia non concepit ex seminum commixtione, sed mystico spiramine. Ber. in sermone de purificatione. Putas enim quòd dicturus Moyses mulierem quæ peperisset filium immundam esse non timuerit super matrem Dei blasphemiam irrogare. Et idcirco præmisit suscepto semine. Alioquin si non perituram prævidisset sine semine Virginem, quæ necessitas erat de suscepto facere mentionem. Patet itaque quòd lex matrem Domini non includit, quæ non suscepto semine peperit filium, tertio nō fuit in filio tantum assimilatio naturæ humanæ, sed etiam ibi fuit sublimitas diuinæ naturæ. Virgo enim peperit filium, & sibi similem quantum ad naturam humanam, & sibi dissimilem quantum ad naturam diuinam.

Quartò non indigebat purificatione ratione mysterij. siue significationis. Lex enim præcepit, ut puer di e 40. & puella 80. ut sæpius ingrediuntur corpus suum in utero formatum, quod est templum ipsius animę. Duplicauit autem Deus dies fœminæ, ex eo, quòd homo unum tantum peccatum commisit, fœmina duo, quia superbiuit, & fructum uetitum comedit. Quia superbiuit humiliata est sub viri dominio. Quia fructum uetitum comedit, punita est in fructu suo, ut scilicet,

in dolore pariat filios. Vir autem peccauit in uno, quòd scilicet, fructum comedit, & ideo in acquirenda sibi cibum punitus fuit, quando sibi Deus dixit. In sudore vultus tui uesceris pane tuo. Sicut igitur mulier duplici pœna, & homo punitus est extra uterum. Sic in utero homo una pœna punitur, ut. C. 40, diebus sit sine anima. Mulier autem duplici pœna, ut duplo corpus eius sit sine anima. Istud autē mysterium in Christi corpore non habuit locum, quia anima in corpus Christi non est ingressa 40. die, sed quando Virgo consensit statim in instanti operatione Spiritus sancti corpus organizatum fuit, & Deus animam de nouo creatam illi corpori infudit, & vtrunque suæ diuinitati uniuit, & ideo mox per Deus, & perfectus homo extitit Grego. Annunciante angelo, & Spiritu sancto adueniente mox uerbum in utero, mox intrat uerbū carnem.

VOLVIT TAMEN IPSA BEATA VIRGO *ex tribus purificari. Sermo CXXIII.*

PVRIFICARI uoluit Beata Maria propter exēplum, documentum, & sacramentum.

Primò propter exemplum, quia dedit nobis exemplum humilitatis, paupertatis, & cōitatis. Humilitas aūt aliqn̄ apparet in sermone, aliqn̄ in corde, aliqn̄ in humili conuersatione, aliquando in humili opere. Istam quadruplicem humilitatem habuit Maria. Nam ante conceptum ostendit humilitatem oris, cum dixit. Ecce ancilla Domini. Post conceptum manifestauit humilitatem cordis, ad quam Deus specialiter respicit. Vnde ipsa dixit: Respexit humilitatem ancillæ suæ. In partu ostendit humilitatem conuersationis, quia fuit ibi humiliter conuersata. Non enim pro se, uel pro filio habuit thalamum pictum, nec lectum eburneum, nec culcitris molitiem, nec præciositatem pannorum, pro seruientibus habuit bouem, & asinum. Humilitatem uero operis ostendit post partum, quando, scilicet, par turturum, aut duos pullos columbarum Deo obtulit. Ista autem erat oblatio pauperum, atq; humilium. Secundò ostendit exemplum paupertatis. Vbiq; enim

regina cœli seruauit paupertatem. f. in suo coniugio, quia nō fuit desponsata imperatori, sed fabro pauperi. In suo puerperio, quia non habuit copiam ciborum, sed penuriam extremam. In suo offertorio, quia obtulit oblationem pauperum. In filij nutrimento, quia sicut dicit Hiero. Colo, & acu acquirebat vnde se, & Saluatorem mundi nutriebat. Tertiò ostendit exemplum communitatis. Noluit enim esse singularis, sed cum cæteris feminis voluit esse communis. Vnde dicit Bern. in sermone de Purificatione. Putas non poterat commoueri animus Virginis ac dicere. Quid opus est purificatione? Cur abstineam ab ingressu templi, cuius vterus nesciens virum factus est templum Spiritus sancti. Cur non ingrediar templum, quæ templi dominum peperi, nihil in hoc conceptu impurum fuit, nihil illicitum, nihil purgandum. Nimirum cum proles ista venerit purgationem peccatorum facere. Verè beata Virgo non habes causam nec tibi opus est purificatione. Sed numquid filio tuo opus erat circuncisione. Esto igitur inter mulieres tāquam vna illarum. Nam & filius tuus sic est in medio puerorum.

Secundò voluit purificari propter documentum, vt, scilicet, nos purificandos esse doceret. Debemus etiam purificari intus, & extra. Intus quidem debet purificari voluntas ab omni mala affectione. Psal. Exercitabar, & scopebam spiritum meam. Intentionem ab omni duplicitate. Ioan. 4. Purificate corda vestra, &c. Rationem ab omni perturbatione. Sicut enim in aqua turbida imago non lucet, sic & ratio turbata non videt uerum. Prouerb. 15. Aufer rubiginem de argento, id est, perturbationem ab animo, & egredietur vas purissimum, id est, ratio erit clara, & pura. Ezech. 22. Purissimas reddam aquas eius. Tunc Deus purissimam aquam reddit, quando rationem turbatam claram, & pacificam facit. Debemus etiam purificari extra quantum ad omnes sensus exteriores corporis. Nam debent purgari oculi ab omni illicita visione. Psalm. Auerte oculos meos ne videant vanitatem. Aures à detractione. Eccles. 28. Sepi aures tuas spinis, & noli audire linguam nequam. Os à praua locutione. Ephes. 4. Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat.

cedat. Manus ab illicita operatione. Psal. Lauabo inter innocentes manus meas. Odoratum à lasciua odoratione. Amos 6. Optimo vnguento delibuti, & nihil compatiebantur super contritione Ioseph. Ista autem omnia sunt purganda à negligentia, & torpore. Ecclef.7. De negligentia purgate cum paucis.

Tertiò voluit purificari propter sacramentum. Illa enim oblatio quam faciebat puerpera templum Dei ingressura erat sacramentalis, & figuratiua. Portabat enim secum agnum, vel si erat pauper par turturum, aut duos pullos columbarum. Beata autem Virgo non obtulit agnum, siue quia pauper erat, siue quia verum agnum offerebat. Qui igitur vult intrare in templum cœlestem oportet, quòd intret aut per vitam actiuam, aut per contemplatiuam. Illi igitur agnum offerunt, & cœleste templum ingrediuntur, qui seruant innocentiam baptismalem. Psal. Ego autem in innocentia mea ingressus sum. Illi offerunt turturem, quæ est auis solitaria, & vaga, qui sequuntur vitam contemplatiuam. Illi offerunt columbam, quæ gregatim uolat, qui sectantur vitam actiuam. Vtraque autem auis bina ponitur, & vterque gemitum pro cantu habere dignoscitur, quia vita contemplatiua debet habere duplicem oculum. Vnum quo contempletur cœlestia ad desiderandum, alium quo videat terrena ad despiciendum. Similiter & actiua debet habere duplicem actum. Vnum erga se ad sui correctionem, alium erga proximum ad ipsius ædificationem. Vtraque autem uita debet habere duplicem gemitum. Nam complatiua debet habere gemitum amoris, qui fit pro desiderio cœlestis patriæ, & gemitum deuotionis, qui fit pro consideratione passionis dominicæ. Similiter actiua debet habere duplicem gemitum. Vnus est gemitus compunctionis pro peccatis proprijs, alius compassionis pro peccatis, & miserijs alienis.

INVENIT QVIDEM BEATA VIRGO *Deum, quia scilicet eum sciuit quærere.* Sermo CXXIIII.

QVÆSIVIT Deum Maria, & inuenire meruit, eo quòd ipsum quæsiuit suo loco, & tempore, & modo. Primò enim quæsiuit suo tempore, scilicet tempore gratiæ, & ideo inuenire meruit gratiã Dei, & per consequẽs ipsum Deum. Ideo dixit sibi angelus. Inuenisti gratiam apud Deum. Hoc significatum est. Luc. 2. Vbi dicitur, quòd post triduum inuenerunt in templo filium. Primus dies fuit tempus ante legem, & tunc non poterat inueniri. Vnde dixit vnus ex eis. Exo 4. Obsecro domine, mitte quem missurus es. Secunda dies fuit tempus sub lege, & tunc etiam non poterat inueniri. Vnde dicebat vnus ex eis. Isa. 64. Vtinam disrumperes cœlos, & descenderes. Tertia dies est tempus gratiæ, & in ista die si quæritur de facili inuenitur. Ideo dixit. Isa. 55. Quærite Dominum dum inueniri potest. Secundò quæsiuit eum in suo loco. Sed notandum, quòd Christus in tribus locis fuit quæsitus, scilicet in præsepio à pastoribus. In templo à parentibus. In sepulchro à sanctis mulieribus. Pastoribus quidem dictum fuit per angelum. Luc. 2. Inuenietis infantem in præsepio positum pannis inuolutum. Vbi notandum, q̃ Christus inuenitur in humilitate, ideo dicitur. Inuenietis infantem. Inuenitur in paupertate, ideo subditur. Pannis inuolutum. Inuenitur in carnis asperitate, ideo subditur. Positum in præsepio. In hijs tribus locis Maria Deum quæsiuit, & inuenit, scilicet in humilitate, scilicet quando se ancillã nominauit. In paupertate quando omnia terrena contempsit. Et in carnis maceratione seu asperitate quando virginitatem deuouit. Homines autem mundani econtra Deum quærere volunt in delitijs, diuitijs, & honoribus, sed ibi non inuenitur. Iob. 28. Non inuenitur in terra suauiter viuentium, idest carnalium. Abyssus dicit. Non est mecum, idest humana cupiditas, quia non habet fundum, quia sicut dicitur. Eccles. 5. Auarus non implebitur pecunia. Et mare loquitur. Non est

mecum,

mecum, ideſt feruens ſuperbia. Superbus enim ad inſtar maris ſemper tumet, ſemper feruet, ſemper eſt in motu tribulationum, & turbationum. Iſa. 57. Impij quaſi mare feruens, quod quieſcere non poteſt. Secundò Chriſtus fuit quæſitus in templo à parentibus. Vnde dixit ei mater. Ecce pater tuus, & ego dolentes quærebamus te. Primò enim quæſierunt apud ſeipſos, & nō inuenerunt. Poſtmodum quæſierunt inter cognatos, & notos, nec ibi ſimiliter inuenerunt, deinde quæſierunt in comitatatu, nec tandem ibi inuenerunt. Vltimo quæſierunt in templo, & tandem ibi inuenerunt. Eſt enim quadruplex amor, ſcilicet priuatus, mundanus, domeſticus, & diuinus. Non potuerunt igitur apud ſeipſos inuenire eum, quia non inuenitur in amore proprio ſiue priuato, cum ille amor ſit periculoſus. 2. Thim. 3. Erunt homines ſeipſos amantes. Secundò non inuenitur in comitatu hominum mundanorum, quia non inuenitur in amore mundano. Ioan. 14. Spiritum veritatis quem mundus non poteſt recipere. Tertiò non inuenitur inter cognatos, & notos, quia non eſt in amore domeſtico, ideſt in amore parentum. Bern. Quomodo ò bonæ Ieſu inter cognatos meos te inueniam, qui inter tuos cognatos minime es inuentus. Inuenerunt autem ipſum in templo Dei, ideſt, in amore ſpirituali, & diuino. Ioan. 14. Si quis diligit me ſermonem meum ſeruabit. De hijs quatuor amoribus dicitur. Luc, 14. Si quis venit ad me, & non odit patrem ſuum, aut matrem, hoc refertur ad amorem domeſticum. Adhuc autem, & animam ſuam, hoc refertur ad amorem priuatum. Et qui non baiulat crucem ſuam, hoc refertur ad amorem mundanum. Illæ enim crucem baiulat qui crucifixus eſt mundo, & mundus ſibi. Et venit poſt me, hoc refertur ad amorem ſpiritualem, & diuinum. Tertiò quæſitus eſt in monumento à ſanctis mulieribus, ſed in monumento iacentem ibi minime repererūt, propter hoc Virgo Beata cum eis ire noluit ſiue propter dolorem quem habuiſſet in videndo ſepulchrum, ſiue propter dolorem quem incurrerat totiens percutiendo pectus ſuum, quia pro certo ſciebat reſurrexiſſe filium glorioſum, & immortalitate indutum. Credendum enim eſt, quòd Chriſtus

post resurrectionem primo matri apparuerit. Et hoc ostendi potest primo per auctoritatem Sedulij qui dicit. Semper Virgo manens huius se visibus astans luce palam Dominus prius obtulit. Secundò per Romanæ Ecclesiæ antiquam consuetudinem, quia Romanus Pontifex in die Paschæ ad Sanctam Mariam Maiorem primam stationem facit, per hoc innuens, Beatæ Mariæ factam fuisse primam apparitionē. Tertiò per quandam moralem rationem, Christus enim præcepit, vt patrem, & matrem honoraremus. Sed qualiter ipse matrem honorasset si prius extraneos de sua resurrectione lętificasset, & matri desolatæ vltimo apparuisset. Tertiò quæsiuit eum debito modò. Modus autem quærendi secundùm Dionysium triplex est. Primus est per sensibilium manuductionem. Et iste est paruulorum incipientium, de quo dicitur. Rom. 1. Inuisibilia Dei à creatura mundi per ea, quæ facta sunt intellecta conspiciuntur. Sap. 13. A magnitudine enim spei, & creaturæ cognoscibiliter poterit horum Creator videri. Secundus modus est per intellectualium operationem. Et iste modus est magis prouectorum, & proficientium, qui reliquerunt sensibilia, & visibilia, & conuertunt se ad intellectualia, & tales Deum inueniunt. Prouer. 8. Qui vigilauerint ad me inuenient me. Tertius modus est per immediatam vnionem. Et iste modus est perfectorum qui reliquunt sensibilia, & intellectualia, & immediatè ad diuina ascendunt, & Deiformes effecti immediatè Deo se vniunt. Et istum modum quærendi Deum habuit Beata Virgo. Deus enim est ignis, Sol, & amor. Beata autem Virgo intantum fuit igne diuino inflammata, quòd quodammodo fuit in ignem conuersa. Dicit enim Chrys. de Paulo. Vt enim ferrum missum in ignem totus est ignis, sic Paulus igne charitatis succensus totus effectus est charitas. Si ergo hoc dicitur de Paulo multo fortius hoc dici potest de Maria. Intantum etiam fuit Sole diuino perlustrata, quòd Sole fuit amicta. Apocalyp. 12. Mulier amicta Sole. Intantum fuit amore diuino repleta, quòd tota fuit amore liquefacta. Cantic. 5. Anima mea liquefacta est, vt dilectus locutus est.

MENTIS QVIETE POTIEBATVR BEATA Virgo, eo quòd ad optima ntebatur ea. Sermo CXXV.

QVIETEM interioris hominis, & vacationem mentis semper Maria Virgo dilexit, & ideo in thalamo suo clauso ostio morabatur. Et sicut dicit Bern. nõ est credendum, q angelus apertum ostium inuenerit, sed subtilitate suæ naturæ clauso ostio introierit. Voluit autem Virgo beata tumultus fugere, & sibi uacare multis de causis.

Primò ut orationes suas securius Deo effunderet.

Secundò ut castitatem suam cautius custodiret. Istas duas rationes assignat Bern. super Missus est dicens. Ingressus est angelus secretarium pudici cubiculi, ubi illa clauso ostio orabat in abscondito, quia nimirum sibi in proposito erat frequencias hominum fugere, colloquia vitare, ne uel orantis silentium turbaretur, uel continentis castitas turbaretur.

Tertiò desiderauit quietem mentis habere ad suscipiendam gratiam Spiritus sancti se humiliando, quia sicut dicitur Isa. 66. Super quem requiescet spiritus meus nisi super humilem & quietum. Hinc est, quòd Apostoli receperunt Spiritum sanctum sedentes, idest à curis sęcularibus quiescẽtes. Hinc est, quòd etiam filij Israel manna recipere non potuerunt quandiu fuerunt in Aegypto, uel quandiu habuerunt farinam Aegypti, & donec transierunt mare Aegypti. Ille est in Aegypto qui adhuc est cum peccato: Ille habet farinam Aegypti, qui adhuc habet occasiones peccati. Ille nondum intrauit mare Aegypti, qui adhuc præmitur curis mundi. Quia igitur beata Virgo perfectam quietem habuit, ideo Spiritus sanctus in ea perfectè quieuit. In quibusdam enim nullo modo requiescit. In quibusdam enim requiescit, sed nõ perfectè. In quibusdam verò requiescit, sed perfectè. Nam in peccatoribus non requiescit, qui ibi est pugna continua. In sanctis peregrinantibus requiescit semiplenę, quia in eis est requies semiplena. In sanctis verò triumphantibus est requies plena, & ideo in eis perfectè requiescit. Et quia in

Beata Maria fuit requies perfecta, quia caro spiritui non resistebat, sed ipsa sensualitas totaliter rationi obediebat, ideo Spiritus sanctus in ea perfectè requiescebat. Legitur Gen. 8. quòd Noe tribus vicibus emisit columbam. In prima uice nō requieuit, quia loca paludosa inuenit. In secunda uice requieuit, sed non perfectę, quia ad archam redijt. In tertia uice perfectè requieuit, & ideo ad archam vltra non redijt, per quod datur intelligi, quòd loca paludosa, idest immunda Spiritus sanctus fugit. In cordibus verò sanctorum peregrinantibus non perfectè quiescit. In cordibus verò sanctorum triumphātium quiescit, & perfectè quiescit, quia in eis nullam carnis repugnantiam inuenit. Caro enim spiritui non repugnabat, nec aliquos inordinatos motus emittebat, sed pęnitus obediens erat.

Quartò uacationem, & quietem dilexit, vt sensus suos mūdos custodiret, qui quidem ex conuersatione mundanorum sæpe corrumpuntur. Seneca. Quoties cum hominibus habitaui, totiens minus homine redij. Legitur in vitis patrum, quòd Arsenius Deum orauit qualiter posset saluari. Venit ad eum uox dicens. Arseni vis saluari, fuge homines, tace, & quiesce. Beata quidem Virgo in seruitio Dei sensus suos mancipatura erat, & ideo eos mundos seruare uolebat. Nam oculos uoluit seruare mundos, cum quibus Deum videre debebat, aures cum quibus Deum loquentem audire debebat. Nares cum quibus debebat odorem Christi sentire. Os cū quo Deo ore loqui debebat. Manus cum quibus debebat gestare Deū. Et ideo turbas hominum fugiebat, & in thalamo suo clausa manebat, ut sensus suos mundos custodiret.

Quintò uacationem, & quietem dilexit, ut diuinas consolationes reciperet, quæ non recipiuntur in tumultu multitudinis, sed in solitudine mentis. Oseæ. 2. Ducam eam in solitudinem, & ibi loquar ad cor eius. Consolationes enim diuinę nō infundūtur in cutis humanis, sed in solitudine, idest in quiete mentis. Legitur 3. Reg. 17. quòd quandiu Elias fuit in solitudine lautè à Domino pascebatur, quia mittebat sibi singulis diebus panes, & carnes, & bibebat de torrente. Postquam autem solitudinem deseruit, & ad ciuitatem se transtulit vix buccellam

cellam panis habere potuit, quia quando homo est in mentis quiete pascitur diuina consolatione. Cum vero tumultum patitur vix modicam consolationem habere meretur. Veruntamen in isto facto Eliæ ostenditur, quòd consolationes sanctorum habent imperfectionem, admixtionem, & interruptionem. Habent quidem imperfectionem, quod notatur per hoc quòd non pascebatur in meridie, sed tantum mane, & uespere. In mane quidem & uespere est lux, & calor, sed in quadã imperfectione, per quod notatur, quòd sancti viri habent in præsenti Dei cognitionem, & amorem, sed imperfectè. In futuro autem habebunt Dei perfectam cognitionem, & pfectũ amorem. Ideo sponsa petit Can. 1. Indica mihi ubi pascas, ubi cubes in meridie. Secundò habent ad mixtionem, quia sæpe saltim aliquibus uenialibus admiscentur, quod notatur p hoc quòd licet Elias haberet delicatum cibum, tamen habebat insipidum potum, quia bibebat de torrente aquam. Isa. 1. Vinum tuum mixtum est aqua. Tertiò habent interruptionẽ, quia Deus ab eis sæpe subtrahitur, & hoc ut feruentius quæratur, & cautius custodiatur, & hoc significatur per hoc, qꝫ illa talis refectio ab Elia fuit sublata. In virgine quidem Maria ista talia locum non habent, quia diuinæ consolationes in ea semper perfectè fuerunt, semper impermixtè, & semper pꝑpetuè. Ideo enim aliquas consolationes perdunt, aut quia Spiritum sanctum extinguunt. Vnde Apostolus monet 1. Thes. 5. Spiritum nolite extinguere, aut quia ipsum contristant. Ephe. 4. Nolite contristare Spiritum sanctum Dei, in quo signati estis, aut quia Spiritui sancto resisterunt. Actu. 7. Dura ceruice, & incircuncisi cordibus, & auribus uos semper Spiritui sancto restitistis. Extinguitur autem spiritus sanctus per mortale peccatum. Contristatur per multiplicationem uenialium, resistitur sibi per inordinatum sensualitatis appetitum. Sed in beata Virgine nihil fuit extinguens, quia nullum unquam commisit peccatum, nunquam aliqua uenialia perpetrauit, nihil resistens, quia de carne sua nunquam aliquis motus illicitus pullulauit. Et ideo nunquam Spiritum sanctum seu spirituales consolationes emittere potuit.

QVAESITA BEATAE VIRGINIS CVM *Angelo qua, & quam sancta fuerint, docet.* Sermo CXXVI.

QVOMODO fiet istud, dixit Maria ad Angelum, quoniam uirũ non cognosco. Inter Angelum, & Virginem gloriosam quasi quidam dialogus factus fuit. Nam Virgo interrogauit, & modum requirit. Angelus modum exponit. Virgo consentit, & consentiens, ut sic fiat rogat, & petit.

Primò ergo Virgo interrogat, & modum requirit. Interrogauit Zacharias Angelum, & punitus fuit. Interrogauit Maria, & laudata fuit. Huius rationem assignat Petrus Rauennas dicens. Ille pectorum cognitor non uerba, sed corda præuidit, non quid quisque dixerit, sed quid senserit indicauit. Erat enim interrogantium dissimilis causa species per diuersa. Hæc contra naturam credidit, ille pro natura dubitauit. Hæc integræ ordinẽ rei requirit, ille quòd Deus fieri iubet, fieri non posse præscribit. Ille impellentibus exemplis ad fidem non accedit. Hæc ad fidem sine exemplo præcurrit. Hęc miratur de partu uirginali. Hic disputat de conceptu coniugali. Et sic patet, quòd Virgo non dubitauit de facto, sed tantum requisiuit de modo. Bern. super missus est. Non dubitat Virgo de facto, sed modum quærit, & ordinem. Non enim quærit an fiat, sed quomodo. Amb. super Lucam. Non de effectu Virgo dubitauit, sed effectus qualitatem inquisiuit. Nõ ergo fidem renuit, non officium recusauit, sed accommodauit affectum, & spopondit obsequium dicens. Quomodo fiet istud, &c. Tribus enim modis potest aliqua mulier filium generare. Aut spiritualiter sicut fit in baptismo, uel in conuersione ad fidem, iuxta illud 1. Cor. 4. Nam in Christo Iesu per Euangelium ego uos genui, aut naturaliter sicut de muliere, & uiro, aut super naturaliter, s. operante Spiritu sancto. Quomodo ergo fiet istud angelo Dei. i. quomodo intelligis tu, ꝙ istud filium debeam generare. Si dicis spiritualiter, scilicet, quòd erit filius meus spiritualis magnum quidem erit talem

filium spiritualem habere, sed tñ ad me nihil pertinebit, q̃ de mea substantia nihil habebit. Si vero naturaliter intelligis, scilicet, quòd ipsum naturaliter generabo, & quòd uoluntas Dei sit, quòd de Ioseph sponso meo debeam generare eũ, gaudebo quidem de tam nobili prole, sed tamen dolebo de perdita virginitate. Si autem intelligis, quòd supernaturaliter, & diuina virtute generabo, gaudebo quidem de prole tã tam magnifica, & de virginitate conseruata. Bern. super missus est. Cum Dominus testis conscientiæ meæ sciat uotum esse ancillæ suæ uirum non cognoscere, qua lege, quo ordine placebit sibi, ut illud faciam. Si oportebit me frangere uotũ, ut talem filium pariam, & de filio gaudebo, & dolebo de proposito, fiat tamen uoluntas eius. Si autem concipiam virgo, & pariam virgo, quòd utique si sibi placuerit ei impossibile non erit, tunc uerè sciam, quòd Dominus respexit humilitatem ancillæ suæ. Et ideo angelus sibi modum exposuit, scilicet, quòd non spiritualiter, nec naturaliter, sed supernaturaliter, & mirabiliter filium generabis dicens. Spiritus sanctus superueniet in te hoc est concipies non humano semine, sed mystico spiramine, quia Spiritus sanctus in te descendet, & & de tua carne virginea accipiet, & corpus suum sua uirtute perficiet. Et quoniam virgo posset dicere, quomodo ipsa cum sit pura creatura posset lucem diuinam, quæ est inaccessibilis sustinere, angelus subiunxit. Et virtus altissimi obumbrabit tibi. Deus quidem ignis inextinguibilis est. Est etiam lux inaccessibilis primo Thimo. sexto. Lucem habitat inaccessibilem. Est etiam dulcedo ineffabilis. Eccle. vigesimoquarto. Spiritus meus super mel dulcis, &c. Habendo igitur Virgo beata Deum in utero habuit ibi diuinum ignem diuinam lucem, & diuinam dulcedinem. Si igitur caro tactum modici carbonis non potest sustinere, si oculus non potest solem respicere, si palatum mel dulcissimum non potest ferre, quomodo pura creatura posset pati tantum caminum diuinitatis, posset respicere in solem tam infinitæ claritatis, posset sustinere suauitatem tam infinitæ dulcedinis, proculdubio non potuisset, nisi uirtus altissimi sibi obumbrasset. Et ideo dixit Angelus. Et virtus al-

tissimi obumbrabit tibi. Ignis enim inextinguibilis, & diuinus se sibi obumbrabit, quando inter se, & animam Virginis corpus assumptum posuit, & sic tantum ardorem sustinere potuit. Sicut aliquando homini ad ignem vehementissimum existēti, quia inter se,& ignem aliquod mediū ponit,& sic calorem ignis sustinere potest. Similiter lux diuina sibi obumbrauit,quando ipsa lux teste,idest carni terrenæ se vniuit. Nam testam siue laternam creauit,quando corpus suum in vtero Virginis fecit,& tunc laternam intrauit quando ipsam carnem sibi vniuit, & sic Virgo,quæ non potuisset videre diuinam lucem in sui essentia vidit postea ipsam in laterna. Ber. Quia Deus spiritus est,& nos vmbra corporis sui, temperauit se nobis, vt per obiectum vnitæ carnis videamus verbum in carne, Solem in nube, lumen in testa, cereum in laterna. Similiter dulcedo diuina obumbrauit quando tantam dulcedinem exteriori carne velauit, & sic eam sustinere potuit, sicut accidit alicui homini habenti bolum dolcissimū in ore qui eius tantam dulcedinem temperat atque velat. Bene igitur virtus altissimi obumbrauit sibi quando ignis diuinus corpus medium posuit, & lux ineffabilis testām intrauit, & dulcedo tam mirabilis se uelauit. Et sic patet, quòd tota fuit inflammata in qua habitauit ignis inextinguibilis; tota illuminata in qua habitauit lux inaccessibilis tota plena dulcedine melliflua, in qua habitauit dulcedo ineffabilis. Tunc Maria consensit humiliter dicens. Ecce ancilla Domini. Non enim filius in ea uenisset nisi ipsi prius consensum præbuisset. Vnde dicit Bern. Ex ore tuo Virgo Beata pendet consolatio miserorum,redemptio captiuorum, liberatio damnatorum,salus denique miserorum filiorū Adā. Non est autem credēdum, quòd ipsa uerba ista,ita rude protulerit, sed quòd ipsa in terra genua flexit, terram osculata fuit, oculos & manus ad cœlum leuauit, & præ nimio gaudio lachrymas continere non potuit, & tūc cūm magno cordis desiderio exclamauit. Ecce ancilla Domini. Istud aduerbium. Ecce aliquando facit demonstrationem ad oculum sicut ibi Ioan. 1. Ecce Agnus Dei. Aliquando ad intellectum sicut ibi. Isa. 7. Ecce Virgo concipiet. Non enim fiebat de-

monstratio ad oculum, quia nondum nata erat Beata Virgo, sed fiebat demonstratio ad intellectum. Aliquando uero demonstrat affectum sicut habetur Ioan. 4. quando scilicet Iudæi dixerũt de Christo qui super Lazarum lachrymatus fuit. Ecce quomodo amabat eum. Quando igitur Virgo dixit. Ecce ancilla Domini, potest esse demonstratio ad oculum, ut sit sensus. Ecce præsens est prompta, & parata ancilla Dei ad obediendum: Vel potest fieri demonstratio ad intellectum. Quæsiui à te modum concipiendi, & exposuisti. Et ecce ancilla Domini. Modum ipsum intellexit, quod scilicet non naturaliter, sed supernaturaliter concipere debeam. Vel potest demõstrare affectum, ut sit sensus. Ecce ancilla Domini offer Deo suum desiderium, & affectum, & ideo ipsum meum affectum compleat per effectum. Vltimo Maria orauit, ut sic ueniat sibi sicut angelus dixerat cum ait. Fiat mihi secundùm uerbum tuum. Istud signatum est. Iosue. 15. ubi dicitur, ꝙ Asa sedens asino dixit patri. Terram arentem & australem dedisti mihi iunge mihi, & irriguam, deditq; ei irriguum superius & irriguum inferius. Asa sedens asino est Virgo Maria, quæ dominabatur corpori suo qui habuit terram arentem, idest carnem ab omni amore concupiscentiæ desiccatam, & terrã australem, idest animam afflatu Spiritus sancti inflammatã, & tñ petijt irriguum superius, & inferius quando dixit. Fiat mihi ſm uerbum tuũ. Nihil superius Deitate, nihil inferius mortali carne. Tunc igitur irriguum superius, & inferius habuit quando in eius utero uerbum caro factum fuit.

CVM SIT BEATA VIRGO Regina cœli, ex hoc habuit sex prærogatiuas. Sermo CXXVII.

REGINA cœli est Virgo Maria, de qua dicitur in Psal. Astitit Regina à dextris tuis. Commendatur autem Regina ista à Propheta in Psalmo isto à sex ꝓgatiuis. Primò à prærogatiua excellentis pulchritudinis cum dicitur: Omnis gloria eius filiæ Regis. Non enim curauit de pulchritudine faciei exterioris, quia sicut dicitur. Prouerb. ult.

Falax gratia, & vana pulchritudo, sed curauit de pulchritudine faciei interioris. Ideo dixit. Omnis gloria eius filiæ Regis ab intus. Pulchritudo autem faciei sicut dicit August. in lib. de Trinit. est quando ipsa facies est decenter colorata, hilariter affecta, & bene proportionata. Charitas autem facit animam coloratam, quia signatur per aurum. Finalis vero perseuerantia facit animam bene lætam. Cum magna enim lætitia anima de mundo recedit, quando vsque ad finem in bonis operibus perseuerauit. Ideo dicitur. Isa. 55. In lætitia egrediemini. Diuersitas autem virtutum facit animam bene proportionatã, quando, scilicet ad magnitudinem vnius uirtutis sequitur magnitudo alterius virtutis. Ista tria in Beata Maria fuerunt, quæ faciem eius animæ pulchram fecerunt. Ideo subditur. In fimbrijs aureis, &c. Ipsa habuit finalem perseuerantiam, quæ notatur per fimbriam, quæ est finis uestimenti. Habuit etiam charitatem quod notatur per hoc, quòd ista fimbria dicitur fuisse aurea. Proportionalitas autem signatur ex hoc, q̀ dicitur. Circundata uarietate, idest uirtutum diuersitate. Nam in ea magnitudini fidei respondebat magnitudo spei. Magnitudini spei respondebat magnitudo charitatis. Istas quatuor uirtutes proportionatas habuit Virgo Maria. Nam habuit magnam fidem. Luc. 1. Beata quę credidisti, &c. Magnam spem. Ecclesiast. 14. Ego mater pulchræ dilectionis, &c. Magnam charitatem intantum, q̀ præ nimia charitate languebat. Cantic. 5. Nunciate dilecto meo quia amore langueo. Magna, & fortia opera. Prouerb. ult. Manum suam misit ad fortia. Secundò commendatur ista Regina à uestium preciositate cum dicitur. Astitit Regina à dextris tuis in uestitu deaurato. Quæ uestimenta intelliguntur, aut prout ea habuit in mundo, aut prout ea habet in cœlo. Nam in mundo existens habuit uestimentum deauratum, idest corpus incorruptum, & illibatum, animam uero habuit circundatam uarietate, idest omnium uirtutum diuersitate Ecclesiast. 24. In me omnis gratia uitæ, & ueritatis, in me omnis spes uitæ, & uirtutis. Vel possunt intelligi ista uestimenta prout ea habet in cœlo nunc. Habet uestimentum deauratum, idest corpus gloria immortalitatis indutum. Et est circundata

uarietate, ideſt, omnium ſanctorum uniuerſitate, qui eam circundant, uenerantur, & laudant. Ideo ſignificata eſt per cortinam tabernaculi, quæ ſicut dicit gloſ. ſuper iſtum Pſalmum, erat contexta de quatuor coloribus, ſcilicet de byſſo retorta, & cocco biſtincto, hiacintho, & purpura. Per byſſum intelligitur candor, & caſtitas Virginum, quæ fuit retorta, quia habuerunt munditiam in mente, & corpore, per coccùm qui eſt coloris rubei intelligitur ordo martyrum, qui fuerunt ſanguine, & cocco biſtincti, quia ſanguine proprio fuerunt tincti in corpore, & ſanguine Chriſti in mente. Per hiacinthum, qui ſicut dicit Iſidorus. Vno modo dicitur flos, qui eſt ad modum uiolæ, & habet colorem cœleſtinum intelligitur ordo Confeſſorum, qui fuerunt cœleſtes in conuerſatione, iuxta illud. Philippen. 3. Noſtra conuerſatio in cœlis eſt. Per purpuram intelligitur ordo Apoſtolorum. Sicut enim purpura eſt ueſtis Regalis, ſic & Apoſtoli fuerunt ſpiritualiter ueſtis Chriſti, quia ſuis prædicationibus, & doctrinis eum ornauerunt. Vnde dicit pater filio. Iſa. 48. Omnibus alijs uelut ornamento ueſtieris. Iſta ergo cortina, ideſt Virgo Maria contexta fuit hijs quatuor coloribus, ideſt ex hijs quatuor ordinibus, qui omnes eam circundant uenerantur, & laudant. Et quamuis deſcribens habitum Reginæ non faciat mentionem de corona eius, tamen Apocalyp. 12. fit mentio, ubi dicitur, quòd in capite eius erat corona ſtellarum duodecim, quæ fuerunt eius duodecim gratiæ ſingulares, quas ponit Bernard. quarum quatuor fluxerunt in ſua carne, quia fuit uirginitatis primiceria ſine corruptione fœcunda, ſine grauedine grauida, & ſine dolore puerpera. Aliæ quatuor fluxerunt in eius mente, ſcilicet, deuotio credulitatis, martyrium cordis, reuerentia humilitatis, magnitudo pudoris. Aliæ quatuor fluxerunt ſibi de cœlo, ſcilicet, quia fuit ſanctificata in utero, ſalutata ab Angelo, obumbrata à Spiritu ſancto, & à Dei Filio impregnata.

Tertiò deſcribitur iſta Regina à ſponſi nobilitate cum di. Concupiſcet Rex decorē tuum, &c. Quia ipſe eſt magnæ reuerentiæ,

uerentiæ, quia omnes adorant eum. Quia ipse est erga sponsam dilectionis immensæ. Quia ipse Rex intantum eius odorem dilexit, quòd eam in sponsam accepit, & in Reginam eam sublimauit, intantum, quòd sicut Rege absente Regina Regnum gubernat, sic Virgo Beata quando Rex Christus per mortem se absentauit, Ecclesiam Dei in illo triduo rexit, quia fidem illibatam seruauit. Similiter quando Rex Christus ad cœlum ascendit, ipsa tanquam Regina Ecclesiam rexit, quia totius Ecclesiæ, & Apostolorum magistra extitit, & remansit. Similiter quando Rex faciem suam alicui abscondit, tunc ipsa Regina maxime misericordiam suam ostendit, quando homo ad ipsam cum vero corde, & vera deuotione recurrit. Vnde illud, quòd vanæ mulieres dixerunt de Luna nos exponamus de ista Regina. Hierem. 44. Sacrificauimus Reginæ Cœli, & libauimus ei libamina, & fecimus ei placentas, & tunc saturati sumus panibus, & bene nobis erat, malumque non vidimus. Ex eo autem tempore quo cessauimus sacrificare Reginæ cœli, & libare ei libamina, indigemus omnibus, & gladio, & fame consumpti sumus. Debemus quidem Reginæ nostræ sacrificare corpora nostra per mortificationem, & libare corda liquida per quandam lachrymosam compassionem, & offerre sibi placentas, idest, conscientias mundas, & tunc ab ipsa saturabimur pane, idest, interna refectione, nec videbimus malum pœnæ æternæ, quia acquiremus bonum gratiæ, & gloriæ. Illi autem qui eam non honorant habent penuriam gratiæ, & gloriæ, consumuntur fame consolationis diuinæ, & gladio tentationis diabolicæ.

Quartò describitur ista Regina ab odoris suauitate, cum dicitur. Myrrha, & gutta, & cassia. Vbi dicit glo. Hic laudat Propheta sponsum ab vxore, & ornatu. Sequitur in glosa. His autem aromatibus odores virtutum signantur, qui odores nuptiali gaudio adhibentur, vt in nuptijs fieri solet. Habent autem istæ species aromaticæ has proprietates, vt dicit glosa. Myrrha enim est amara, & conseruat carnes à putredine, & vermes expellit malæ concupi-

scentiæ, & sic castitas custoditur. Gutta expellit omnes inflaturas, & tumores. Et ideo signat humilitatem, quæ cordis duritiam curat. Cassia in aquosis locis nascitur, & crescit,& signat pietatem,quæ non nascitur in cordibus illorũ, qui sunt duri, & aridi, sed tantum in cordibus illorum,qui sunt compassibiles, & deuoti. Istæ igitur tres species aromaticæ,idest, virtutes.s myrrha castitatis,gutta humilitatis, & cassia pietatis in Maria fuerunt, quæ magnum odorem fecerunt. Nam eius castitas, siue virginitas fuit odorifera angelo. Humilitas odorifera Deo. Pietas eius fuit odorifera toti mundo. Ipse autem species aromaticæ spirabant odorem à vestimentis eius, & domibus eburneis. Vestis fuit eius anima qua Christus vestitur, & ornatur, & fuit odorifera, quia fuit aromatibus omnium virtutum plena: Domus autem eburnea fuit eius corpus,quia fuit domus Christi, iuxta illud Eccl. 24. Qui creauit me requieuit in tabernaculo meo. Et fuit domus eburnea propter castitatem, quia elephas dicitur esse animal castum, & frigidum; & ideo in ebore castitas designatur. Istę autem species aromaticæ.s.eius castitas, humilitas, & pietas spirabant odorem ab eius anima, quæ fuit vestis Dei, & omnibus aromatibus virtutum fuit plena,& ab eius carne quæ fuit domus eburnea, quia fuit decorata virginali munditia.

Quintò describitur ista Regina à domicellarum, siue adolescentularum strenuitate. Solent enim Reginæ domicellas siue adolescentulas habere, quæ sibi strenue famulentur, & seruiant. Ista igitur Regina nostra habet tria genera famulatum. Primæ sunt filiæ regum, de quibus dicitur. Delectauerunt te filiæ regum in in honore tuo. Secundæ sunt filię Tiri, de quibus subditur. Et filiæ Tiri in muneribus. Tertiæ verò sunt virgines, de quibus subditur. Adducentur regi virgines. Tres enim sunt status mulierum, quæ ipsi Reginæ seruiunt, scilicet, bonæ viduæ, quę signantur per filias Regum, quia ipsæ corpus suum in castitate, & munditia bene regunt. Aliæ sunt coniugatæ, quæ signantur per filias Tiri. Tirus enim interpretatur angustia,& signat coniugatas, quæ multas in mundo patiuntur angustias

siue

ſiue in ſuſtinendo virum, quando eſt nimis auſterus, ſiue in pariendo filios, & educando, & nutriendo eos, ſiue in alijs neceſſarijs procurandis. 1. Cor. 7. Tribulationem carnis habebunt huſcemodi. Tertiæ ſunt virgines, quæ votum perpetuæ virginitatis poſt ipſam emiſerunt, quia ipſa prior omnibus emiſit. Filiæ igitur Regum, ideſt, bonæ viduæ Reginam ſuam delectat, quando ſe in munditia, & caſtitate conſeruant. Filiæ tiri, ideſt, bonæ coniugatę ſibi munera offerũt. quando operibus miſericordiæ intendunt, & in ſuo coniugio ordinatè viuunt. Virgines autem poſt ipſam adducuntur, quando ipſam in munditia, & uirginitate imitantur.

Sextò deſcribitur iſta Regina à prolis fœcunditate cum dicitur. Pro patribus tuis nati ſunt tibi filij. Et poſſunt ibi uocari patres ipſi Patriarchæ, vel Prophetæ, vel Iudæi infideles à quibus ipſa originem duxit. Filij autem vocari poſſunt Virgines, vel Apoſtoli, vel deuoti Chriſtiani. Eſt ergo ſenſus. Pro patribus tuis nati ſunt tibi filij, i. virgines coniugia contemnentes, vel pro patribus tuis, ideſt, Prophetis, qui Chriſtum venturum prædixerunt, nati ſunt tibi filij, ideſt, Apoſtoli, qui Chriſtum iam veniſſe prædicauerunt. Vel pro patribus tuis. i. iudęis infidelibus, qui Chriſtum perſequũtur, nati ſunt tibi filij, qui Chriſtum vera fide confitentur. Sequitur. Conſtitues eos principes ſuper omnem terram. Primi enim filij. i. virgines principes ſuper omnem terram conſtituuntur, quia vniuerſali eccleſiæ principantur. Secundi filij .ſ. deuoti Chriſtiani ſuper omnem terram principes conſtituuntur, quando conculcant terrena, & ſe ſubleuant ad cœleſtia appetenda. Tales enim qui ſic terrena conculcant omnia poſſident ſicut quidam ſapiens per talem reductionem oſtendit dicens. Qui omnia contemnit omnia ſub pedibus habet omnibus præeſt. Qui omnibus præeſt omnib. dominatur, Qui omnibus dominatur omnia poſſidet. Igitur qui omnia contemnit omnia poſſidet. Ideo dicit Apoſtolus 2. Cor. 6. Tanquam nihil habentes, & omnia poſſidentes.

VBI ET QVIBUS REQVIEVIT Beata Virgo. Sermo CXXVIII.

REQVIEM perfectam habuit Virgo Maria. Requieuit enim in seipsa,& requiescit in nobis. In se quidem ipsa requieuit in hoc mundo, & modo requiescit in cęlo. In hoc mundo vero requieuit in anima,& corpore. Corpore quidem,quia ipsa eius caro cum anima pugnam non habuit quemadmodum in præsenti habet cum omnibus, Gal. 5. Caro concupiscit aduersus spiritum. Anima verò cum Deo per amorem vnita fuit,& ideò cum Deo perfectè requieuit. Ideo dicere poterat cum Propheta. In pace in idipsum dormiam,& requiescam.

Secundò requiescit modo in cœlo cum corpore, & anima. Eccl. 24. In ciuitate sanctificata similiter requieui. Requiescit eius corpus cum Deo quantum ad omnes sensus. Nā eius oculi requiescunt in videndo faciem Christi. Aures eius in audiendo vocem Christi. Nares eius in sentiendo odorem Christi. Os eius loquēdo ore ad os cum Christo. Manus eius in tangendo personā Christi. Similiter eius aīa modo perfectè in Deo requiescit. Nā eius intelligentia requiescit in plenitudine summæ veritatis. Eius voluntas in dulcedine sūmæ suauitatis. Eius memoria in cōtinuatione ęternitatis, pp ista dr̄ de quolibet beato,& multo fortius de ipsa, quæ est beatorū beatissima. Isa. 32. Sedebit populus meus in pulchritudine pacis in tabernaculis fiduciæ in requie opulenta. Ipsa enim modo sedet, & quiescit in pulchritudine pacis quantum ad visionem,& pulchritudinem summæ veritatis, in tabernaculis fiduciæ quantum ad securitatem æternitatis, in requie opulenta quantum ad dulcedinem summæ suauitatis.

Tertiò requiescit in nobis. Eccle. 24. Et in hijs omnibus requiem quæsiui. Præmisit enim sex genera hominum in quibus requiescit dicens: Girum cœli circuiui sola, & profundum abyssi penetraui, & in fluctibus maris ambulaui, & in omni terra steti,& in omni populo,& in omni gēte primatū habui,& oīum excellentiū sublimiū colla propria virtute calcaui, Et in hijs omnib. requiem quęsiui. Ex quibus

verbis habetur, quòd ipsa contemplatiuos continuè facit desiderare cœlestia. Ideo dicitur. Girum cœli circuiui sola. Tūc enim girum cœli circuit, quando contemplatiuos cœlestia desiderare facit. Ipsa præsumptuosos à sua præsumptione reuocat faciendo eos timere tormenta æterna. Ideo dicitur. Profundum abyssi penetraui. Tunc enim profundum abyssi penetrat, quando facit, vt præsumptuosi pœnam æternam formident. Ipsa tribulatos ad patientiam animat inter aduersa, ideo subditur. In fluctibus maris ambulaui. Tunc in fluctibus ambulat, quando amaricatos ad patientiæ virtutem reuocat. Ipsa auaros facit despicere terrena, ideo dicitur. In omni terra steti. Tunc in cordibus terrenorum stat quando eos ad contemptum terrenorum adiuuat. Ipsa peccatores facit superare vitia, & peccata, ideo dicitur. In omni gente, & in omni populo primatum habui. Peccatores dicuntur gentes gentiliter viuentes, siue genitales. Dicuntur etiam populi, idest, depopulati, quia dæmones eos per diuersa vitia depopulantur, & destruunt. Tunc enim ipsa in omni gente primatum tenet, & populo quando facit ut ipsi peccatores vincant, & superent omne peccatum. Ipsa superbos reuocat ad humilia, ideo subditur. Et omnium excellentium, & sublimium colla propria virtute calcaui. Tunc enim excellentes, & sublimes calcat, quando superbos, & arrogantes ad uiam humilitatis reuocat. In omnibus autem supradictis sex generibus hominum sic correctis, sic reuocatis ipsa requiescit, ideo subdit, Et in hijs omnibus requiem quæsiui.

CHRISTI INCARNATIO SEV *Beata Virginis fœcunditas assignatur Rori.*

Sermo CXXIX.

ROS significat Christi incarnationem, uel fœcunditatem Virginis.

primò namq; significat Christi incarnationem. Ros quidem generatur in aeris interstitio temperatè calido, & temperatè frigido. Tria interstitia sunt cœlum, mundus, & infer-

infernus. Christi incarnatio non est facta in supremo interstitio, idest, in cœlo, quia naturam angelicam non assumpsit. Heb.4. Nusquam angelos apprehendit. Nec est facta in infimo, idest, in inferno, quia dæmones non redemit nec eis pepercit.2. Petr.2. Deus angelis peccantibus non pepercit. Sed facta est in medio, idest, in mundo, quia naturam humanã assumpsit. Gal.4. Misit Deus filium suum factum ex muliere factum sub lege. Ista autem roratio, idest, incarnatio facta ex calido, & frigido. Duo enim induxerant Deum, vt homo fieret. s. abundantia charitatis ex parte sui, quæ fuit quasi calor. Rom.5. Commendat Deus charitatem suam in nobis quoniam cum adhuc peccatores essemus Christus pro nobis mortuus est. Et miseria generalis ex parte nostri, quæ fuit quasi frigus. Psal. Propter miseriam inopum, & gemitũ pauperum. Ex tali igitur calido, idest, ex charitate Dei, & ex tali frigido, idest, generali miseria generis humani facta est ista roratio. i. filij Dei incarnatio. In hoc tamen deficit similitudo, quia ibi est temperatus calor, & temperatum frigus, hic vero est nimium caloris, Eph. 2. Deus qui diues est in misericordia propter nimiam charitatem suam qua dilexit nos cum essemus mortui peccato conuiuificauit nos Christo. Est etiam hic nimium frigus languoris. Ps. Omnes declinauerunt simul inutiles facti sunt.

Secundò ros significat Virginis fœcunditatem, quod ostenditur per triplicem similitudinem. Primò quia facta est ad instar conchæ marinæ, quæ ex rore cœlesti generat margaritam, Nam sicut dicit Isid. Concha marina certo tempore se aperit, & rorem cœlestem recipit, & sic margaritam intra sua viscera gignit. Sic beata Virgo consentiendo animum suum aperuit, quando dixit. Ecce ancilla domini. Et tunc ros Spiritus sancti in eam descendit, qui margaritam, idest, Christum in eius utero generauit. Istam rorationem Spiritus sancti, & apertionem Virginis petebat Isa. dicens. Rorate cœli desuper, & nubes pluant iustum, aperiatur terra, & germinet saluatorem. Secundò ista Virginis fœcundatio facta est ad instar terræ, quæ rore cœlesti perfusa generat viridem herbam. Deut.32. Fluat, vt ros eloquium meum, & quasi stil-

ꝛæ super gramina. Cui verbo alludens ecclesia ait. Descende- in uterum virginis sicut ros super gramen. Ista igitur terra sic rore madefacta genuit lilium Paradisi Oseæ. 14. Ego quasi ros Israel germinaui quasi lilium. Israel interpretatur vir videns Deum, & significat Virginem Mariam, quæ fuit uirilis in omni sua actione, & fuit uidens diuinam essentiam p con templationem, & germinauit lilium, idest Christum candidũ per innocentiam, & odoriferum per virtutum fragrantiam. Tertiò ista Virginis fęcundatio facta est ad instar uelleris, quod rore plenum, irrigauit aream, & impleuit concham, ut habetur Iudicum 5. Istud vellus significat Virginis uterum, in quo fuit plenitudo totius diuinitatis, ex qua plenitudine ir rigata est area, idest vniuersalis ecclesia, & impleta est concha, idest omnium fidelium corda. Ber. Rigaturus Dominus aream cœlesti rore totum uelus prius infudit, redempturus etiam genus humanum uniuersum precium contulit in Mariam.

Tertiò ros significat Spiritus sancti infusionem, qui quidẽ in Maria se diffundens multa bona in ea operatus est. Primò enim fecit in eam contra estum carnalis concupiscentiæ refrigerationem. Eccl. 43. Ros obuians ardori uenienti humilem efficiet eum. Ideo dixit sibi Angelus. Et virtus altissimi obumbrabit tibi, idest ab estu omnis concupiscentiæ refrigerabit. Secundò dedit sibi spiritualis dulcedinis prægustationem. Nume. 11. Cum descenderet super castra ros descendebat, pariter & manna. Castra Dei fuit animus Virginis Mariæ, qui sic fuit uallatus, & munitus, quòd nunquam ingredi potuit inimicus. Cum igitur in istud castrum descendebat ros, i. Spiritus sancti roratio descendebat, pariter & manna, idest cœlestium pręgũstatio. Ipsam autem prægustationem habere promeruit propter munditiam, & puritatem quã semper seruauit. Sicut enim dicit glo. super illud uerbum Psalm. Qui dat iumentis escam ipsorum, & pullis curuorum inuocantibus eum. Pulli enim curuorum quandiu habent pilos albos à parentibus deseruntur, & tunc cœlesti rore pascũtur. Quia igitur Virgo beata semper fuit alba, idest purissima, ideo semper fuit cœlesti rore pasta. Tertiò fecit in ipsa spiri-
tualem

tualem exultationem. Prou. 19. Sicut ros super herbam, sic hilaritas regis. Rex enim .i. Christus sibi arrisit quando animũ suum inuenerabili exultatione profudit. De qua exultatione ipsa dicit. Exultauit spiritus meus in Deo salutari meo. Et ista exultatio fuit sicut ros super herbam, quia magnam in ea fecit fœcundationem operum, & refrigerationem omnium uitiorum. Quartò dedit sibi uitæ æternæ messionem. Dicitur enim Gala. 6. Qui seminat in spiritu, de spiritu metet uitam æternam. Et quoniam ista in spiritu seminauit, ideo uitam ęternam messuit. Istam autem messionem non habuit se, sed à rore cœlesti, ideo poterat dicere cum Iob 29. Ros morabitur in messione mea. Quintò dedit sibi totius uitæ perfectionem, quæ quidem consistit in orando, & contemplando. In huius figuram dicitur Gen. 27. In pinguedine terræ, & in rore cœli desuper erit benedictio tua. In ipsa etiam fuit ros cœlestis .i. cœlestium donorum magna auiditas. In ipsa etiã fuit pinguedo terræ, idest operum misericordiæ magna fœcunditas, quæ dicitur pinguedo terræ, quia ipsa opera misericordię fiunt tantum in terra, & non in cœlo. Et in istis duobus consistit uitæ perfectio, s. in faciendo misericordiæ opera, & in desiderando cœlestia.

SIMILITVDINES ROSAE ATTRIBVVNTVR Beatæ Virginis. Sermo CXXX.


ROSA dicitur Virgo Maria prout ipsa dicit Eccles. 24. Quasi plantatio rosæ in Hierico. Hierico interpretatur Luna, & significat ecclesiam militantem, in qua ad modum Lunæ quandiu est in præsenti uita multos habet defectus. In hac igitur hierico, idest in ecclesia militanti ipsa est plantata, quia ipsa inter nos, & Deum est media constituta. Rosa aũt potest considerari quantum ad sui qualitatem, amœnitatem, & uirtutem. Qualitas autẽ eius potest esse quadruplex. Vna est, quia rosa calida est, & frigida. Est enim frigida in folijs, & calida in semine, ita ꝙ passiones calidas sanat frigiditate foliorum, & passiones frigidas

ſanat caliditate ſeminum. Secunda eſt, quia roſa eſt aquoſa, & tota rorida.i.rore plena. Ros autem intra latens excutitur calore ſolis, vel ignis. Tertia eſt, quia roſa quanto plus conteritur tanto maior odor ſentitur. Quarta eſt, quia roſa de ſpinis naſcitur, ſed tamen naturam ſpinarum non imitatur. Propter iſta quattuor Virgo beata roſæ aſſimilatur. Quidã enim ſunt frigidi in amore Dei. Ipſam paſſionem frigidam ipſa ſanat dum eorũ corda ad amorem Dei inflammat. Ideo dicitur Prouerb. vlt. Non timebit domui ſuæ frigoribus niuium, omnes domeſtici eius veſtiti duplicibus. Frigus niuis eſt frigiditas mentis. Sed contra iſtud frigus ipſa domeſticos ſuos, ideſt, ſibi deuotos veſtit duplicibus.ſ.charitate Dei, & proximi. Quidam etiam ſunt calidi, ideſt, malo igne concupiſcentiæ inflammati. Sed iſtam paſſionem ipſa ſanat, quia ignem malæ concupiſcentiæ extinguit, & rorem gratiæ refrigerantis infundit, ideo dicitur Eccl.43. Ros obuiãs ardori uenienti humilem efficiet eum. Secundò ipſa eſt tota rorida, ideſt, rore Spiritus ſancti plena ſicut angelus ei dixit. Aue gratia plena Dominus tecum. Iſtum autem rorem diuinæ gratiæ ab ea excutimus, quando per feruentia deſideria exoramus. Iſta autem talis excuſſio aliquando fit calore Solis, aliquando calore ignis. Sol eſt Chriſtus. Mal.4. Vobis timentibus nomen meum orietur ſol iuſtitiæ. Ignis eſt ſpiritus ſanctus. Luce.12. Ignem ueni mittere in terram. Quando igitur ad ipſam afficimur uehemeter ex eo ꝙ ſol iuſtitiæ eſt, & in utero ſuo habuit, tunc virtute ſolis ab ea rorẽ gratiæ excutimus. Quando vehementer ad ipſam afficimur ex eo, quòd ignis Spiritus ſancti ipſam purgauit, & in ipſam ſuperuenit, tunc virtute ignis ab ipſa rorem gratię impetramus. Iſta autem deſideria feruentia in nobis ipſa generat immo etiam præoccupat. Sapient.6. Præoccupat qui ſe concupiſcunt, vt ſe illis prior oſtendat. Tertiò ipſa fuit contrita, ideſt, tribulationibus afflicta, & quanto plus ſuſtinebat maiores contritiones tanto maiores reddebat odores. Nam in Aegyptum expulſa dedit odorem patientiæ. In paſſione filij gladio perforata, dedit odorem fidei perfectæ. In tribulationibus eorum, dedit odorem com-

compassionis. In tribulationibus quas patiebatur à Iudęis dedit odorem gratiarum actionis. In tribulatione quam post Christi ascensionem patiebatur ex filij absentia, dabat odorem sancti desiderij, & deuotionis. Post istos tales odores debet quilibet currere, & ire per desideria, & per bona opera. Cant. 1. Trahe me post te in odorem vnguentorum tuorum. Quartò ipsa fuit de Iudæis spinosis nata, sed tamen eorum mores non fuit imitata. Vnde cantat Ecclesia. Sicut spina rosam genuit Iudæa Mariam. Iudæi enim erant superbi, & ipsa humilima. Iudæi enim erant vitijs pleni, & ipsa gratia plenissima. Iudęi enim erant infideles, & ipsa fide plenissima. Iudæi enim erant terrena appetentes, & ipsa cœlestium auidissima, ideo dixit ei pater suus Dauid. Audi filia, & vide, &c. Ipsa enim populum suum, & domum patris sui fuit oblita, quia eorum mores non fuit imitata. Fuit etiam ista rosa nata de Eua spinosa, sed eius naturam non est imitata. Bern. in quodam sermone, O Virgo virga nobilis Iesse, per quam in ramo conualuit, quod perierat in radice. Ramus amaritudinis Eua. Ramus æternę dulcedinis Maria. Mira & profundissima dispensatio diuinæ sapientiæ, quòd nascitur talis virga de tali radice, talis filia de tali matre, talis libertas de tali seruitute proscripta, talis Imperatrix de tali captiua, de tam sicca spina tam florens rosa.

Secundò rosa potest considerari quantum ad suam amœnitatem, delectat enim visum, olfatum, gustum, & tactum. Sic beata Virgo delectat nos quantum ad spiritualem visum sua pulchritudine, quia eius facies est nimis gratiosa. Hester 2. Erat enim pulchra valde, & incredibili pulchritudine oculis omnium gratiosa, & amabilis videbatur. Delectat Angelos, quia eius facies est nimis delicata. Psalm. Vultum tuum deprecabuntur omnes diuites plebis. Diuites plebis sunt Angeli, qui præ cæteris habent diuitias regni cœlestis. Delectat etiam ipsum Christum, quia eius facies est nimis speciosa. Ps. Cuncupiscet Rex decorem tuum. Cant. 2. Ostende mihi faciem tuam sonet vox tua in auribus meis, uox enim tua dulcis, & facies tua decora.

Propter ista tria dicitur Iudith 14. Tu gloria Hierusalem, tu lætitia Israel, tu honorificentia populi nostri. Hierusalem interpretatur visio pacis, & signat Christum, qui est pax nostra. Israel interpretatur vir videns Deum, & signat angelũ qui semper videt faciem patris. Populus noster signat genus humanum. In visione igitur faciei beatæ Virginis Christus gloriatur, angelus lætatur, & genus humanum honoratur. Secundò delectat spiritualem olfatum pr̨e sui odoris immensitate. De cuius odore dicitur Can. 3. Odor vestimentorũ tuorum. i. virtutum tuarum sicut odor thuris, quia & Deo sunt gratum sacrificium, & recreant aĩum nostrum. De odore uirtutum ipsius dr̄ in Ps. Myrrha, & gutta, & cassia, &c. Myrrha quæ est amara signat castitatem, siue carnis mortificationẽ. Gutta quæ tumores frangit signat humilitatem. Cassia quæ in aquis nascitur signat fidem, quæ in baptismo percipitur. Istæ tres virtutes fuerunt in ea valde odoriferæ. Nam castitas, siue virginitas facit odorem angelo. Humilitas facit odorem Deo. Fides eius fecit odorem toti mundo. Tertiò delectat spiritualem gustum sua suauitate. Eccles. 24. Qui edunt me, adhuc esurient: & qui bibunt me, adhuc sitient. Ipsa enim reficit memoriam cogitationibus sanctis, intelligentiam intentionibus rectis, & voluntatem affectionibus mundis. Eccles. 45. Cibauit illum dominus pane vitæ, & intellectus. Ipsa enim cibat memoriam pane vitæ, quando in talibus cogitationibus eam reficit. Ipsa cibat intelligentiam pane intellectus, quando rectis intentionibus eam pascit. Ipsa voluntatem potat aqua sapientiæ, quando sapidis affectionibus eam nutrit. Quartò delectat spiritualem tactũ sua suauitate, & lenitate. Ideo dicit Ber. Quid ad Mariam trepidet accedere humana fragilitas nihil in ea austerum, nihil terribile inuenies tota suauis est. Et quia sic suauis est ideo quærenda est, & amplexanda per deuotionem. Prouerb. 4. Arripe illam, & exaltabit te, glorificaberis ab illa cum amplexatus fueris eam. Propter ista omnia cantat ecclesia. Speciosa facta es, & suauis in delitijs tuis sancta Dei genitrix. Per hoc, quòd dicitur speciosa, notatur quòd ipsa delectat spiritualem tactum, per hoc, ꝙ dicitur in delitijs notatur,



tur, quòd ipsa delectat spūalem gustum. Per hoc ꝙ dicitur sancta Dei genitrix notatur, ꝙ ipsa delectat spiritualem olfatum. In hoc ꝙ dr̄ Dei genitrix notatur ꝙ in utero suo fuit balsamum Paradisi, & ideo tota odorifera extitit.

Tertiò rosa potest considerari quantum ad suam virtutē. Siquidem ex rosis aliqñ electuarium, aliqñ oleum, aliquādo emplastrū, aliquando collirium, & insuper diuersæ præparationes fiunt ex ipsis rosis contra diuersas infirmitates. Maxime autem rosa habet virtutem super quadruplicem infirmitatem. Ipsa enim stomachum, & cor confortat, fluxum ventris refrenat, oculos clarificat, dolorem capitis sanat. Sic B. Virgo cor confortat dando. s. Dei charitatem, quæ intimū cor confortat, & fortem facit, ꝙ pp Christum mortem parui pendit. Can. 7. Fortis est, ut mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio. Aug. Omnia sæua, & immania facilia, & prope nulla facit amor. Ipsa fluxum peccatorum refrenat dando Dei timorem, qui vitare facit peccata. Prouer. 15. Per timorem dñi declinat oīs a malo. Ipsa oculum intellectus clarificat dando diuinorum cognitionem. Quæ quidem cognitio oculū mentis illuminat. Ps. Præceptum domini lucidum illuminans oculos. Ipsa caput quæ est spes sanat, quando spem nostram tepidam ad cęlestia desideranda subleuat. Quod enim spes sit caput mentis dicitur 1. Thes. 5. Galeam spem salutis assumite. Propter ista dicitur Eccles. 24. Ego mater pulchræ dilectionis, & timoris, & agnitionis, & sanctæ spei. Ecce quòd cor confortat per charitatem. Et timoris. Ecce quia fluxum vitiorum restringit per timorem. Et agnitionis. Ecce quia spiritualem visum clarificat per diuinorum illuminationem. Et sanctæ spei. Ecce quia caput mentis sanat per spei subleuationem.

ANGELICA SALVTATIO AD VIRGINEM à quibus, qualiter, & propter quid sit dicenda,

Sermo CXXXI.

SALVTATIO angelica a patre ad quem spectat auctoritas fuit imperata. A filio qui est Dei sapientia fuit

dictata. A Spiritu sancto conscripta. De quo scriba dicit Propheta. Lingua mea calamus scribe. Et à tota trinitate fuit Angelo Gabrieli commissa. Et ideo ista talis, & tanta salutatio cum deuotione maxima est dicenda.

Videamus igitur à quibus debeat dici, qualiter, & propter quid. Debet autem maxime dici à viris cœlestibus, & deuotis. Quod significatur per hoc, quòd tres illam salutationem composuerunt. f. Angelus, qui dixit. Aue gratia plena Dominus tecum benedicta tu in mulieribus. Ecclesia quæ addidit Maria. Et Helisabeth quæ dixit. Benedictus fructus ventris tui. Angelus autem est cœlestis, & purus. Dionysius. Angelus est speculum purum, clarum, incontaminatum, incoinquinatum, & immaculatum. Ecclesia est sine macula, & ruga, ut dicitur Ephes. 5. Helisabeth pura, & iusta, & sine querela, vt habetur Lucæ 1. Ex hijs igitur datur intelligi, quòd quicunq; istam salutationem virginam dignè, & meritoriè vult dicere debet habere cor purum, & angelicum quantum ad Deum debet esse sine macula peccati, quantum ad seipsum, & debet esse sine querela quantum ad proximũ. Vel potest dici, quòd per angelum signantur Virgnes. Ber. Quid decorius virginitate, quæ de homine angelum fecit. Per ecclesiam significantur viduæ. Ecclesia enim quodammodo vidua remansit, quando sponsus suus ad cœlos ascendit. Per Helisabeth, quæ erat copulata coniugio intelliguntur coniugati. Illi igitur qui seruant virginitatem, & quæ dignè custodiunt suam viduitatem, & qui licitè vtuntur copula matrimoniali, hanc salutationem dignè dicere possunt. Et tam in peccatores non debent cessare ab eius laude. Hiero. in ser. de Assump. Si Virgo es lauda, quia meruisti esse, quod laudas. Si continens es etiam debes laudare, quia non aliunde constat, vt possis esse casta, quam ex gratia Christi, quæ plenissimè fuit in Maria, quam laudas. Quod si coniugata, aut certè peccatrix nihilominus confitere, & lauda, quia misericordia in omnibus profluxit, & gratia, ut laudes. Et quãuis non sit speciosa laus in ore peccatoris, noli tamen cessare quia inde tibi promittitur venia, vnde laudes.

Secundò videndum est qualiter ista salutatio sit dicenda.

Est

Est autem dicenda frequenter, humiliter, & deuotè. Frequenter quidem eam salutare debemus, quia ab ipsa frequenter beneficia recipimus, & multa. Isa. 23. Sume cytharam.i. salutationem angelicam.s. Aue, quæ quãdo dicitur facit Virgini quãdam melodiam. Et circui ciuitatem.i. Virginem gloriosam in qua omnes ciues.i. oẽs cogitationes fuerunt vnitæ in vnũ finem. Et dicitur circui, quia tota & in circuitu est laudanda, quia in ea nihil fuit, quod non fuerit laude dignum. Deinde subdit Proph. Bene cane. Frequenta cãticum, vt memoria tui sit. Ille bene canit, qui eam ore, corde, & opere laudat. Ille bene frequentãt, qui ab eius laude non cessat. Et talium Virgo B. habet memoriã, quia eos copiosè remunerat, dũ vitam ęternam eis donat. Eccl. 24. Qui elucidant me uitã ęternam habebunt. Secundò ista salutatio dicenda est humiliter, quæ quidem humilitas non tñ debet esse in corde, sed ẽt in corpore in genuflexione. Non.n. est magnum si ad istã salutationẽ mortalis homo genua ponitur in terra, ad cuius prolationẽ rex cęlorum descendit in terrã. Non est mirum si ad istã salutationem humiliat se vermiculus ad cuius prolationem rex glorię factus est paruus. Non est magnũ si seruus se humiliat, & genua flectit, qñ reginã cęli, & terrę salutat. Tertiò dicenda est deuotè. Tunc aũt deuotè dicitur, qñ dicit cũ cordis attentione, cum recta intentione, & cum fide, & cũ spei certitudine. Debet.n. dici cum cordis attentione ne conquerat, & dicat Isa. 29. Populus hic labijs me ho. cor aũt eorum lon. est a me: Debet dici cũ recta intentione. Multi enim salutant personas nobiles, vt videantur eis esse familiares, sic ẽt multi reuerẽter, & salutant B. Virginem, vt sibi esse deuoti credantur. De talibus põt dici Mat. 6. Receperunt mercedem suam. Debet ẽt dici cum fide, & spei certitudine, ut.s. quæ petimus ab ipsa nos hře speremus. Superba.n. esset illa dña, quę non resalutaret salutantes se Et quia regina nostra est humilima, ideo eos, qui salutant eam dignè ipsos resalutat ad se inuitando. Eccle. 24. Transite ad me omnes, qui concupiscitis me, & à generationibus meis adimplemini.

Tertiò videndum est propter quid ista salutatio sit dicenda. Est autem dicẽda propter exemplũ debitum, & fructum.

Propter debitum quidem, quia salutatio debetur amicis beneficijs, & Dominis. Et ipsa est amica nostra. Eccl. 24. Ego inquit ipsa mater pulchræ dilectionis, timoris, & agnitionis: i: quæ pulchræ diligo, & quæ amari uolo pulchrę. Cantic. 2. Surge propera amica mea. Est etiam benefica nostra. Sap. 7. Proposui pro luce habere illam. Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa. Eiusdem 8. Proposui hanc adducere mihi ad conuiuandum, sciens quoniam mecum communicabit de bonis suis. De beneficijs autem quæ ab ipsa recipimus dicit Augu. in oratione. Per te Virgo beata hęreditamus misericordiam miseri, & ingrati gratiā, peccatores ueniam, sublimia infimi, cęlestia terreni, Domini homines, mortales uitam, patriam peregrini. Ideo sibi potest conuenire illud Ro. vlt. Salutate Mariam, quæ multum laborauit in nobis. Laborauit quidem in Aegyptum fugiendo, in filium nutriendo, discipulus edocendo, paupertatem sustinendo, & pro nobis orādo. Est etiam domina nostra, quæ ubique dominatur Eccle. 24. In omni populo, & in omni gente primatum tenui, & omnium excellentium, & sublimium colla propria uirtute calcaui. Ipsa habet dominium in cœlo, ideo dicit in omni populo, s. angelorum. In mundo, ideo subdit. Et omniū excellentiū, &c. Secundò debemus salutare eam propter exemplum. Habemus enim ex hoc exemplum ab Angelo, qui eam salutauit in thalamo. Vnde dicitur Luc. 1. Ingressus Angelus ad eam dixit. Aue gratia plena. A Ioanne qui eam salutauit in utero. Vnde dicitur. Exultauit in gaudio infans in utero meo. A Christo qui eam salutauit in cœlo 3. Reg. 1. c. Surrexit Rex in occursum matris adorauitq; eam, i. salutauit, quando ipsā in cœlum deduxit. Debemus igitur erubescere eam non salutare postquam eam tales salutant. Eccl 41. Erubescite à salutantibus de silentio. Ber. Inuitat nos ad Mariæ salutationem Gabrielis exemplum Ioannis tripudium, & resalutationis lucrum. Tertiò debemus eam salutare propter fructum. Si enim salutamus eam cum deuotione ipsa resultat nos cum gratiarum exhibitione. Specialiter autem tres gratias dat resalutātibus. De quibus dicitur Eccl. 24. Obuiauit illi quasi mater honorificata. Obuiamus nos illi sanctis Desiderijs, & deuotis

laudibus. Obuiat ipsa nobis auxilijs opportunis: Dat autem nobis panem gratiæ. Vnde sequitur. Cibauit illum Dominus pane uitæ, & intellectus. Dat virtutum perseuerantiæ. Vnde sequitur. Et firmabitur in illo, & nō flectetur. Dat exaltationem gloriæ. Vnde sequitur. Et exaltabit illum apud proximos suos.

EADEM SALVTATIO QVAE ATTVLERIT Diabolo, Beatæ Virginis, & nobis. Sermo CXXXII.

SALVTATIO virginea, qua fuit ab Angelo salutata est diabolo ualde odiosa, & est Virgini ualde gratiosa, & est nobis ualde fructuosa.

Est enim dico diabolo ualde odiosa nec mirum; quia per illam fuit territus. Can. 6. Terribilis ut castrorum acies ordinata. Per illam fuit confusus. Iudith. 14. Vna mulier Hebræa fecit confusionem in domo Nabuchodonosor. Per illam fuit contritus Gen. 3. Ipsa conteret caput tuum. Per illā fuit mortuus; Vnde dicitur Iudic. 6. idest, in figura. Inter pedes Iael ruit & defecit, & mortuus est, scilicet, Sysara, i. diabolus. Interpretatur enim Sysara exclusio gaudij, & significat diabolum, qui est exclusus à cœlesti gaudio. Quando igitur diabolus illam salutationem audit, ita est ac si audiret tonitruum, quo terretur. Psalm. Vox tonitrui tui in rota. Cum enim illa salutatio profertur ita territur tanquam si ebrius rotaretur, ita est, ac si uideret baculum, siue clauam, qua percutiatur. Numc. 24. Consurget virga de Israel, & percutiet duces Moab, idest dæmones, ita est sibi, ac si videret gladium, quo iugularetur. Iudith. 15. Amputauit Iudith pugione caput Holofernis. Iudith interpretatur glorificans, & significat virginem, quæ Deum semper glorificauit. Holofernes interpretatur infirmitas descensionis, & significat diabolum, qui multos eneruat robustos, & multos pacificos ad discensionem prouocat. Tunc enim Iudith caput Holofernis amputauit, quando Beata Virgo dominium suum ab eo abstulit. Ita est etiam sibi, aç si uideret claunm, & malleum, quo

excerebretur. Iudic.6.in figura. Sinistram manum misit Iael ad clauum,& dexteram ad fabrorum malleos tempus Sysare ualidę perforans.

Secundò ista salutatio est virgini valde gratiosa. Cũ enim illam audit gratiosè eam ualde recipit,quia ibi recitãtur sex priuilegia,quæ ipsa habuit. Primum est, quia fuit speculum totius munditiæ,quod notatur cum dicitur. Aue,idest sine ve alicuius culpæ. Sap.7.Candor enim est lucis æternæ,& speculum sine macula. Secundum est, quia ipsa est lucerna totius ciuitatis supernæ, quod notatur in hoc quòd dicitur Maria, quæ interpretatur illuminatrix. Vnde illud quòd dicitur de Domino potest dici de domina. Apoc.21. Lucerna illius,s.ciuitatis supernæ est agnus. Similiter lucerna illius est agna,i. Virgo beata. Bern. Mariæ præsentia totus illuminatur orbis, adeo ut etiam ipsa superna ciuitas clarius rutilet virgineę lãpadis illustrata fulgoribus. Tertium est, quia ipsa est aquæductus exiens de Paradiso. Ber. Propterea humano generi tãto tempore fluenta gratiæ defuerunt, quia nondum intercesserat aquæductus. Quartum est,quia ipsa fuit thalamus regis gloriæ,qui.s.nouem mensibus in eius utero habitauit, quod notatur per hoc,quòd dicitur. Dominus tecum. Psal. Tanquã sponsus Dominus procedens de thalamo suo. Eccle. 24. Qui creauit me requieuit in tabernaculo meo. Quintum est,quia ipsa facta est receptaculum benedictionis, quod notatur per hoc ꝙ dicitur. Benedicta tu in mulieribus. Eua quidẽ incurrit maledictionem,& ista attulit benedictionem. August. Impleta est Maria gratia. Eua euacuata est culpa, maledictio Euæ in benedictionem Mariæ mutatur. Auctrix peccati Eua, auctrix meriti Maria. Eua occidendo obfuit, ista viuificãdo profuit. Obedientia pro inobedientia permutatur; fides pro perfidia compensatur. Sextum est,quia ipsa est mensa supernæ refectionis,quod notatur ꝑ hoc quòd dicitur. Benedictus fructus uentris tui. Istum enim fructum benedictum uentris sui dat nobis ad comedendum,& bibendum. Can.5. Comedite amici,& inebriamini charissimi. Dat etiam seipsam nobis ad manducandum. Eccl.24. Qui edunt me adhuc esurient, & qui bibunt me, adhuc sitient.

Tertiò

Tertiò ista salutatio est nobis valdè fructuosa, quia liberat à confusione æterna, præseruat à culpa, & dignos nos facit vita æterna. Ecclesiast. 24. Qui audit me, idest mandata mea de me salutando non confundetur. Et qui operantur in me, idest, qui non tantum salutant me lingua, sed etiam bona vita non peccabunt. Et qui elucidant me, idest, qui lucidè salutant me vitam æternam habebunt. Ista autem Regina est tam sublimis, & tam alta, quòd non posset à nobis dignè laudari propter suam sublimitatem. Est tamen tam humilis, & pia, quòd laudes nostras libēter recipit propter suam benignitatem. Quamuis igitur omnino insufficientes simus propter infirmitatem nostram, & ipsa excedat omnem laudē humanam, non tamen debemus cessare ab eius laude. Ecclesiast. 43. Benedicentes Dominum, & etiā Dominam exaltate eam quantum potestis, quia maior est omni laude. Nullus eā sufficienter potest laudare quàm sic salutat humiliter angelus dicens. Aue gratia plena. Quam sic singulariter elegit Pater æternus. Psalm. Elegit eam in habitationem sibi. Quam reuerenter Filius honorat. Luc 2. Erat subditus illis. Cui sic totaliter se commisit Spiritus sanctus. Luc. 1. Spiritus sanctus superueniet in te, &c. Quam vniuersaliter laudat & adorat totus mundus. Luc. 1. Ecce enim ex hoc Beatam me dicent omnes generationes.

CAVSAS CONTINET OMNES SALVTAtio illa ipsa, quibus meretur Beata Virgo salutari. Sermo CXXXIII.

SALVTATIO Beatæ Mariæ qua angelus eam salutauit omnes causas comprehēdit propter quas ipsa est merito salutanda. Si quidem salutanda est Domina tam formosa, ideo dicitur. Aue. Salutanda est Domina tam generosa, ideo dicitur. Maria. Salutanda est Domina tā gratiosa, ideo dr̄. Gratia plena. Salutanda est tam Dn̄a gloriosa, ideo dr̄. Dn̄s tecum. Salutanda est Dn̄a tam famosa, ideo dicitur. Benedicta tu in mulieribus. Salutanda est Domina tam fructuosa, ideo dicitur. Benedictus fructus uentris tui.

Primò

Primò igitur salutanda est Domina tam pulchra, & tam formosa, quod notatur per hoc quod dicitur. Aue, idest sine ve alicuius maculæ siue culpæ. Fuit enim sine macula in corpore, fuit sine culpa in mente, Ipsa enim habuit pulchritudinem mentis, & corporis. De pulchritudine corporis dicit Sanctus Epiphanius, quòd ipsa fuit staturæ mediæ, & quòd fuit coloris frumenti, & quòd habuit capillos flauos, & bonos oculos, & nigra supercilia, & nasum oblongum, & oblongas manus, digitos prolixos, & faciem longam. De filio autem dicit, quòd fuit coloris frumentitij, & quòd fuit sexpedum longitudine, & quòd habuit capillos longos, & flauos, & supercilia nigra aliquantulum circunflexa, & quòd habuit faciem longam aliquantulum inclinatam. Ex quibus apparet, quòd filius fuit matri multum consimilis. Quidam tamē expositor dicit, quòd Virgo Beata in oculis, & capillis fuit temperatè nigra. In colore vero fuit mixtim alba, & rubea. De pulchritudine mentis dicitur. Cant. 4. Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te. Sunt quædam animæ, quę non habent maculam alicuius peccati mortalis, & tamen non sunt pulchræ, quia multos defectus habent, & dato quòd sint totæ pulchræ, & quòd habeant omnes virtutes in sui perfectione sicut fuerunt Apostoli, non tamen fuerunt sine macula veniali. Virgo autem gloriosa & fuit pulchra, quia nunquam aliquod peccatum commisit, & fuit tota pulchra, quia omnes virtutes in sua perfectione habuit, & nullus defectus in ea vnquam fuit, & fuit sine macula, quia nunquam aliquod peccatum veniale commisit. Et ideo merito sponsus sibi dicit. Tota pulchra es amica mea, &c. Hugo de Sancto Vict. Quam pulchra es, & suauis quam scrutator rerum probat, quam inspector cordium laudat, quam diligit actor pulchritudinis, cui testimonium perhibet magister veritatis.

Secundò salutanda est Domina tam nobbilis & tam generosa quod notatur per hoc, ꝙ dicitur Maria, quę interpretatur Domina siue illuminatrix siue stella maris. Quæ triplex interpretatio triplicem eius nobilitatem insinuat. Quarum prima consurgit ex dominij vniuersitate. Secunda ex generis claritate. Tertia ex animi virtute. Prima igitur causatur ex do-

minij, vniuersitate, quæ notatur ex prima interpretatione, quæ dicitur Domina. Ad perfectum autem dominium sicut dicit Diony. in lib. de diui. nomini, tria requiruntur, s. præeminentia, continentia, & permanentia. Si enim aliquis debet esse Dominus oportet, q aliquibus præemineat, & q aliqua possideat, & contineat, & q ab ipso dominio non cadat. Ista tria habet Dña nostra. Vnde ipsa dicit. Eccl. 24. Ab initio, & ante sæcula creata sum. Ecce præminētia. Ipsa. n. oīa sæcula præcessit, & si non ipse tñ dignitate. Et vsque ad futurū sæculum non desinā. Ecce præeminentia. Et in Hierusalē potestas mea. Ecce continentia. Secunda nobilitas causatur ex generis claritate, & ista accipitur ex secunda interpretatione, quæ dr illuminatrix. Olim quidē in veteri Testō erant quatuor personæ clarissimæ. s. Patriarcha, Propheta, Rex, & Sacerdos. Ex ista quadruplici stirpe Virgo Beata descendit. Primò ex stirpe Patriarchali, quia descendit ab Abrahā Patriarcha. Secundò ex stirpe Prophetali, i. ex Nathā Propheta filio Dauid sicut dicit Dam. Vnde, & Lucas texit suā genealogiā p Nathā. Tertiò ex stirpe Regali, quia ex Dauid Rege. Ista duo. s. primam, & tertiam tangit Ecclesia dicens. Natiuitas gloriosæ Virginis Mariæ ex semine Abrahæ orta de tribu Iuda clara ex stirpe Dauid. Quartò descendit ex stirpe Sacerdotali. Ipsa enim fuit cognata Helisabeth vxoris Zachariæ. Zacharias enim fuit de tribu Leui. Helisabeth vero de filiabus Aaron sicut dicit Lucas. Et sic patet, quòd Virgo Beata cum tribu Sacerdotali cognationem habuit. Tertia nobilitas causatur ex animi virtute. Et ista intelligitur ex trina interpretatione quæ dicitur stella maris. Ex hoc enim habetur, quòd in ea fuit virtus humilitatis, virginitatis, & pietatis. Sicut enim stella est magna, sed vr parua, sic & Virgo Beata erat magna dignitate, sed fecerat se paruam per humilitatem. Notatur āsic sua virginitas, quia sicut stella sine sui corruptione radium emittit, sic ipsa sine sui violatione filium generauit. Notatur etiā eius pietas, quia sicut stella illa maris nautas in periculis dirigit, sic & ipsa tribulatis in periculis subuenit misericorditer. Habuit igitur nobilitatē virtutis, vnde ipsa dicit. Eccl. 24. In me omnis gratia vitę, & veritatis, in me omnis spes vitę, & virtutis.

virtutis. Quando igitur istæ duæ nobilitates, scilicet carnis, & virtutis inuicem coniunguntur merito collaudantur. Si vero separantur tunc nobilitas carnis non est laudabilis, sed vituperabilis. Nobilitas autem virtutis sine nobilitate carnis tanto amplius laudatur quanto per propriam vincens naturam laudabiliter operatur. Tertiò salutanda est Domina tam gratiosa, quod notatur per hoc quod dicitur. Gratia plena. Ipsa enim sicut dicit Ber. fuit gratiosa Deo per humilitatem. Angelo per virginitatem homini per fœcunditatem. Qualiter autem est gratiosa toti mundi cantatur per Ecclesiam. Maria mater gratiæ, mater misericordiæ tu nos ab hoste protege, & hora mortis suscipe. Ipsa enim est gratiosa peccatoribus eius misericordiam implorantibus, vnde dicitur. Mater misericordiæ. Ipsa est gratiosa omnibus morientibus, quia eos ab insidijs diaboli protegit. Ideo dicit. Tu nos ab hoste protege. Ipsa est gratiosa omnibus animabus de corpore egredientibus, quia eas in manu suscipit, & in cœlum deducit, vnde subditur. Et hora mortis suscipe. Fuit autem plena gratia in ventre, & in mente, & vtraque gratiam habuit præ cæteris creaturis. Nam in mente intantum fuit Dei gratia plena, quòd in ea nihil vacuum remansit. Quandiu enim vas potest aliquid recipere tandiu habet aliquid de vacuitate. Vnde omnis alia creatura aliquid vacuitatis habuit, quia maiorem gratiam recipere potuit. Virgo autem Beata intantum fuit plena gratia, quòd maiorem recipere non potuit. Secundò fuit plena gratia in ventre, quia ibi habuit fontem omnium gratiarum. Et ista fuit maior gratia, quàm habere potuit, nisi diuinitati vniretur maior gratia intelligi non potuit, quàm quòd esset mater Dei, vnde dicit Ber. Legimus Stephanum plenum gratia, & fortitudine, & Apostolos repletos fuisse Spiritu sancto, sed longè dissimiliter à Maria. Nam nec in illo habitauit plenitudo diuinitatis corporaliter quemadmodum in Maria, vnde dicit Bern. Nec illi conceperunt de Spiritu sancto quomodo Maria. Quartò salutanda est Domina tam gloriosa, quod notatur cum dicitur. Dominus tecum. Fuit enim secũ Dominus pater, qui eam fecit valdè potentem. Dominus Filius qui eam fecit valdè sapientẽ. Dominus Spiritus sanctus qui

qui eam fecit valdè clementem. Prouerb. vlt. Manum suam misit ad fortia. Ecce quam potens. Os suum aperuit sapientiæ. Ecce quam sapiens. Et lex clementiæ lingua eius. Ecce quàm clemens. Ber. in quodam sermone. Tecum Dominus, vt te sanctificet, tecum ut te conseruet, tecum ut faciat matrem de filia, Reginam de ancilla, cœlum de terra. Idem ibidem. Dominus tecum, scilicet pater cum filio, filius cum paraclito, tota Trinitas opere indiuiso. Quintò salutanda est Domina tam famosa, quod notatur cum dicitur. Benedicta tu in mulieribus. Olim quidem mulieres habebant quatuor maledictiones. Vnam habebat fœcundæ, quia cum dolore pariebant. Genes. 3. In dolore paries. Secundam habebant steriles, quæ erant maledictæ à lege. Duas alias habebant communiter. Vna est maledictio subiectionis. Genes. 3. Sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui. Alia est maledictio incinerationis. Vnde dictum fuit Adæ in persona sui, & omnium. Genes. 3. Maledicta terra in opere tuo donec reuertaris in terram de qua assumptus es, quia puluis es, & in puluerem reuerteris. Ab ista quadruplici maledictione Virgo Beata liberata fuit, & quadruplicem benedictionem habuit. Ipsa enim fuit sine dolore puerpera. Ipsa fuit sine sterilitate fœcunda. Ipsa fuit omnibus creaturis prælata. Ipsa est ueste immortalitatis induta. Qualiter autem fuit benedicta in mulieribus ostendit Ber. in quodã sermone dicens. Benedicta tu in mulieribus, quia singularis meriti es. Benedicta quia mulierũ salutatrix es. Benedicta quia Virgo, & mater es. O verè fœmina super fœminas, Bendicta super omnes benedictas præelecta. O verè gemma inestimabilis de thesauro cœlestis sapientiæ producta, & totius Trinitatis artificio incomparabiliter adornata. Deinde subdit. Tu es verè benedicta in mulieribus, quia tu es martyrum gloria, Virginum decus, innocentiæ speculum, castitatis exemplar, integritatis forma. Sextò salutanda est Domina tam fructuosa, quod notatur cũ dicitur. Et benedictus fructus ventris tui. Iste fructus fuit Iesus Christus filius Dei qui nobis attulit triplicem benedictionem. Nos enim eramus multis peccatis inuoluti, multis vulneribus tentationum confossi, & à cœlesti Regno exclusi.

Et

Et ideo venit Iesus cum salute, vt nos à peccatis saluaret, quia Iesus interpretatur saluator, vnde dicit angelus Matt. 1. Vocabis nomen eius Iesum, ipse enim saluum faciet populum à peccatis eorum. Venit enim Christus cum unguentis, vt vulnera nostra sanaret, quia Christus interpretatur vnctus. Eccl. 38. Vnguentarius faciet pigmenta suauitatis, & vnctiones cōficiet sanitatis. Venit filius Dei portans secum gloriam, vt eā nobis daret, & ad cœleste regnum perduceret. Vnde cantat ecclesia. Ecce aduenit dominator Dominus, & regnum in manu eius, & potestas, & imperium. Habet igitur Christus tria in manu sua, scilicet, regnum, quia vult ipsum nobis dare Habet in manu potestatem, quia potest ipsam dare. Habet in manu imperium, quia vult nos imperatores facere.

BEATA VIRGO SANCTIFICATA FVIT *secundum quadruplicem statum.*

Sermo CXXXIIII.

SANCTIFICATA fuit Virgo Maria quantum ad quadruplicem statum suum, scilicet, dum erat in vtero matris posita dum à Spiritu sancto fuit præuenta, dum à filio Dei fuit impregnata, & dum ad cœlos fuit assumpta.

Primò nanque fuit sanctificata dum esset in vtero matris suæ posita. Et hoc ostēditur auctoritatibus, rationibus, & exēplis. Nam ostenditur. Primo auctoritate prophetæ, qui dicit. Sanctificauit tabernaculum suum altissimus. Secundò auctoritate ecclesiæ, quæ eius natiuitatem celebrat. Ber. Neq; enim festiuis laudibus nascens honoraretur si non sancta nasceretur. Est itaque Virgo regia ueris honorum titulis cumulata, quæ proculdubio fuit ante sancta, quàm nata. Vnde etiam dicit Ildefonsus Tolletanus Archiepiscopus. Si non in utero matris sanctificata fuisset, natiuitas celebranda non esset. Nunc autem quia in ueneratione habetur auctoritate totius ecclesiæ: constat eam ab ipso peccato originali fuisse immunem. Tertiò auctoritate sanctorum, & maximè Bernar. qui dicit. Hanc enim cōstat omnimodè ab originali contagio sola Dei gratia priusquam nasceretur esse mundatam, quam nimirū

pietas

pietas Christiana perhibet, uel non minus à Hieremia in vtero sanctificatam, uel non magis à Ioanne Spiritu sancto repletam. Secundò hoc ostenditur rationibus. Vna est, quia tã preciosum thesaurum, s. Dei filium in eius vtero nõ potuisset nisi sanctus, & mundus fuisset, quia sicut dicit Propheta. Domum tuam decet sanctitudo in longitudine dierum. Et Dam. dicit. Sanctus enim ens in sanctis habitat. Alia ratio est, quia, sicut dicit Ansel. Decebat quippe ut beata Virgo ea puritate niteret, qua sub Deo maior nequit intelligi. Sed puritas hominis Dei, i. Christi esse, nec peccatum originale habere, nec vnquam cõmisisse. Puritas vero maior præ ista est originale habuisse, & omnino ab ipso mundatum esse quantũm ad reatũ, licet nũquam ad actum. Et ista est puritas illorum, qui in baptismo regenerãtur. Tertiò hoc ostenditur exemplis. Nã Hieremias fuit in utero sanctificatus sicut patet Hier. 1. Priusquã te formarem in utero noui te, & antequam exires de vulua sãctificaui te. Similiter & Ioannes Baptista, iuxta illud Luc. 1. Spiritu sancto replebitur adhuc ex utero matris suæ. Si igitur Hieremias fuit in utero sanctificatus, ut esset Propheta Dei dignior, multo fortius Virgo gloriosa sanctificari debuit, ut esset dignissima mater Dei. Si Ioannes Baptista fuit sanctificatus, ut esset dignus Christum digito ostendere, & ipsam baptizare, multo fortius sanctificari debuit Virgo beata, vt esset digna Christum de suis visceribus generare.

Secundò fuit sanctificata à Spiritu sancto, quando. s. fuit præuenta, iuxta illud Spiritus sanctus superueniet in te, &c. Tunc. n. Spiritus sanctus sic eam mundauit, & cõfirmauit, ꝙ ulterius in peccatum cadere nõ potuit, qđ tamen in alijs sanctificatis non repetitur, quia saltim uenialia committere potuerunt. Vnde dicitur de Ioanne Baptista. Antra deserti teneris sub annis, &c. Ista autem immunitas à peccato ueniali, & mortali causabatur in ea ex ligatione fomitis, qui ad malum inclinari poterat, ex inclinatione gratiæ, quæ ipsam ad bona omnia promouebat, & ex conseruatione diuinæ prouidentiæ, quæ ipsam ab oĩbus custodiebat. Fuit igitur eius sãctificatio excellentior illa, q̃ fit in baptismo, uel q̃ facta est alijs sanctificatis in utero. Nam in baptismo tollitur culpa, sed remanet

fomes inclinans ad mortalia, & uenialia. In alijs verò ſanctificatis in utero tollitur culpa, & remanet inclinatio fomitis ad ueniale, ſed non ad mortale. In virgine autem ablata fuit omnis culpa originalis, & omnis inclinatio, ſiue ad ueniale, ſiue ad mortale. Ber. Ego puto, quòd copioſior ſanctificationis benedictio, quàm in alijs ſanctis in utero ſanctificatis in eã deſcenderit, quæ non ſolum ipſius ortum ſanctificauit, ſed & vitam eius deinceps ab omni peccato conſeruaret, quod alteri nemini quidem in natis mulierum creditur eſſe donatum. Decuit namque virginem, ut ſingulari priuilegio uitam abſque omni peccato duceret, quæ dum peccati mortisq; peremptorem pareret, uitæ iuſtitiæque munus omnibus obtineret. Quod autem fuerit ſine peccato teſtatur. Aug. in lib. de natura, & gratia dicens. Excepta ſancta Virgine ſi omnes ſancti, & ſanctę cum hic uiuerent interrogati fuiſſent utrũ ſine peccato eſſent omnes una uoce clamaſſent. Si dixerimus, quia peccatum non habemus ipſi nos ſeducimus. Excepta, inquã, hac ſancta Virgine, de qua propter honorem Domini cũ de peccatis agitur nullam prorſus uolo habere quęſtionem.

Tertiò fuit ſanctificata quando fuit à filio Dei impregnata. Tunc enim omnimodè ad diuinos uſus tam mente, quã corpore dedicata fuit, & tota luce diuinitatis reſplenduit. Vnde dicit Alcuinus in lib. de tri. Virgo quidem Maria lana mũdiſſima fuit, quæ ſola in ſe digna eſſet filij Dei recipere diuinitatem ſicut lana conchilij ſanguinem, ut ex eadem fieret purpura imperiali maieſtate tantummodò digna, quãq; nullus eſſet dignus induere niſi auguſta eſſet præditus dignitate.

Quartò fuit ſanctificata quando ad cœlos fuit aſſumpta. Tunc enim omnes pœnalitates depoſuit, & tam in corpore, quàm in anima glorificata fuit. Can. 6. quæ eſt iſta, quæ progreditur quaſi aurora conſurgens, &c. Ipſa enim aſcẽdit quaſi aurora conſurgens. Ipſa enim aſcendit quaſi aurora per dotem agilitatis. Aurora enim quando apparet in Oriente ſtatim & ſubito eſt in Occidente. Ipſa aſcendit pulchra, vt Luna per dotem claritatis. Ipſa aſcendit electa, ut Sol per dotẽ ſubtilitatis, & impaſſibilitatis. Habuit etiam dotes animæ, ideo ſubditur. Terribilis ut caſtrorum acies ordinata. Caſtra

hic uocantur sancta agmina. De quibus dicitur Gen.32. Castra Dei sūt hæc. Ipsa igitur istis castris est terribilis, idest admirabilis, & maximè illis de cœlesti hierarchia superiori. Nā Seraphin in ea admirantur tam immensum amorem. Cherubin admirantur in ea tam profundam cognitionem. Throni tam tranquillam, & suauissimam fruitionem.

ASSERITVR BEATAE VIRGINIS *sanctificatio in utero matris suæ.* *Sermo* CXXXV.

SANCTIFICATA fuit Virgo Maria in vtero matris suæ. Spiritus enim sanctus ipsam mundauit ab originali quantum ad maculam, & reatum, quamuis ibi fomes remanserit quantum ad essentiam, sed tamen fuit ligatus, quia nec ad malum inclinabat, nec à bono retrahebat. Postmodum autem quando Spiritus sanctus in ea superuenit ipsum fomitem, quantum ad essentiam extinxit penitus, & purgauit, ꝓpter quod pars ab ea separata in corpus Christi de fomite nihil habuit. Cæteri quidem cum originali concipiuntur, Christus autem fuit sine originali conceptus, & sine originali natus. Virgo autem Maria medium tenet locum. Fuit enim cū originali concepta, sed sine originali nata. Istam differentiā videtur tangere Iob 3. ubi dicitur de die originalis culpæ, qui incępit quando aperti sunt oculi Adæ, & Euæ. Obtenebrentur stellæ caliginę eius expectet lucem, & non ueniat, nec ortum surgentis auroræ. Stellæ enim. i. cæteri sancti in illo die culpæ originalis fuerunt obtenebrati, quia fuerunt cum originali concepti. Et ideo dicitur. Obtenebrentur stellę caliginæ eius. Sed ista dies culpæ originalis non vidit lucem, idest Christum, nec in suo conceptu, nec in suo ortu. Et ideo dicit. Expectet lucem, & non videat. Auroram vero, i. Virginē Mariam non vidit quantum ad ortum, sed vidit quantum ad cōceptum. Et ideo dicit. Nec ortum surgentis auroræ. Spiritus enim sanctus sic ipsam in matris utero mundauit, & confirmauit, ꝙ ulterius, nec mortaliter, nec uenialiter peccare potuit, non quidem ipso tollente liberum arbitrium, sed defe-

ctum. Et ipsa sola gloriari potest se nunq̃ aliquod commisisse peccatum. Dicitur enim Prou. 20. Quis potest dicere mundũ est cor meum purus sum à peccato. Nullus nisi Christus potest dicere, mundum est cor meum à peccato originali. Nulla vero creatura nisi Virgo beata potest dicere mundum est cor meum à peccato, s. mortali, & ueniali. Mundum est à periculo cadendi in mortale, & ueniale. Mundum est cor meum ab omni inclinatione, uel difficultate ad bonum. Nulli etiam sancti nisi in utero sanctificati, & Apostoli per Spiritum sanctum confirmati dicere possunt. Mundum est cor meũ à peccato mortali. Mundum est à potentia cadendi in mortale, mũdum est ab omni inclinatione ad malum tamen non fuerunt mundati ab omni difficultate ad malum primum. s. à ueniali, nec à potentia cadẽdi in mortale, nec ab inclinatione ad malum, nec à difficultate ad bonum. Et ideo dicitur 1. Ioan. 1. Si dixerimus, quia peccatum non habemus ipsi nos seducimus. Quanuis autem Beata Virgo ex tali sanctificatione sic fuerit confirmata, q̃ non potuerit peccare, tamen potuit merita cumulare. Ista enim est differentia inter comprehensores, & viatores, quia comprehensores non possunt peccare, nec mereri. Viatores autem & possunt peccare, & possunt mereri. Et quoniam beata Virgo simpliciter fuit viatrix, & ſm qd fuit comprehendens, ideo ipsa fuit quodammodo in statu medio. Ipsa enim non potuit peccare. Et quantum ad hoc conueniebat cum comprehensoribus, & potuit mereri, & quantum ad hoc conueniebat cum viatoribus.

MIRABILIS COGNITIO ET SAPIENTIA Beatæ Virginis celebratur. Sermo CXXXVI.

SAPIENTISSIMA fuit Virgo Maria, vnde dicit Ber. Quid de Deo non sapiebat, in qua Dei sapientia latebat. Christus ut ait Apostolus est Dei virtus, & Dei sapientia, & in ipso sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei absconditi. Christus autem fuit in Maria, ergo Dei virtus, & Dei sapientia, & omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei fuerũt in Maria, vnde profunda, & occulta Dei

mysteria ipsa cognouit super omnem intellectum humanū, angelicum, & apostolicum.

Primò quidem cognouit super inellectum humanum, angelicum, & apostolicum, quia præ omnibus prophetis multo meliora, & maiora reuelata fuerunt sibi. Ipsa quidem cognouit ea non tantum audiendo per inspirationem, de quo modo dicitur in Psalm. Audiam quid loquatur in me Dominus Deus. Non tantum videndo per speculationem, de quo dicitur 1. Cor. 13. Videmus nunc per speculum in enigmate, sed etiam gustando per experientiam, & fruitionem. Prouer. vlt. Gustauit & vidit quoniam bona est negociatio eius odorando per deuotionem. Cant. 4. Odor vnguentorum tuorum super omnia aromata. Isti duo modi taliter distinguūtur, quoniam deuotio, quæ est circa humanitatem Christi comparatur gustui, Ioā. 6. Qui manducat meam carnem & bibit meū sanguinem, &c. Deuotio autem quæ est circa diuinitatem spiritualem comparatur adoratui. Nam faucibus sapores corporum, naribus uero odores spirituum discernuntur.

Secundò cognouit diuina mysteria, & maximè mysterium incarnationis Dominicæ supra intellectum angelicum. Nam illud mysterium cognouerunt superiores Angeli à Deo immediatè per infusam inspirationem. Medij uero cognouerunt à superioribus per traditam illuminationem. Inferiores vero aliqui cognouerunt ab Apostolis per prædicationē. Vnde super illud Ephe. 3. Vt innotescat potestatibus multiformis sapientia Dei, dicit glo. quòd angelicis spiritibus per prædicationem Apostolorum aliquid accreuit. Et Hieronymus dicit, quòd angelicæ dignitates mysterium incarnationis ad plenum non cognouerunt, donec filii Christi passio cō sumata, & per Apostolos per mundum prædicata. Virgo autem Maria illud cœleste mysterium tripliciter cognouit. Primò per angelicam nunciationem. Angelus enim nesciuit sibi reuelare modum incarnationis, sed tantum illud mysterium nunciauit. Vnde dicit Bernar. Spiritus sanctus superueniet ib te, idest super omnes Angelos, & creaturas in te ueniet, & ideo non me interroges, quia super me est, & non potero ad illud, Ascende ergo, & ne stes inter An-

gelos, quia paululum cum pertrãſieris inuenies, quem diligit anima tua. Secundò cognouit per diuinam inſpirationem. Ber. ſuper Miſſus eſt. Modum quo cum de Spiritu ſancto cõcipies Dei virtus, Dei ſapientia eſt. Chriſtus in ſuo ſecretiſſimo conſilio ſic obumbrando conteget, & occultabit, ut ſibi tãtum notus habeat, & tibi. Scies utque, ſed illo doctore, quo & actore. Non enim doctori poteſt niſi à donante, nec poteſt adiſci niſi à ſuſcipiente. Tertiò cognouit per beatam experientiam. Ber. ubi ſupra. Quis enim excepta niſi fortaſſis illa, quæ hæc ſola experiri meruit intellectu capere poſſit, qualiter ille ſplendor inacceſſibilis virgineis ſe infuderit. Et fortè dictum eſt obumbrabit tibi, quia ſola Trinitas per ſe, & cum ſola Virgine voluit operari. Soli datum datum eſt noſſe cui datum eſt experiri. Ac ſi dicat Angelus. Quid à me requiris, quòd in te mox experies? Idem. Nemo unquam ſicut beata Virgo guſtauit, quàm ſuauis eſt Dominus inebriabuntur ab vbertate domus Dei, quoniam apud eam immo intra eã erat fons uitæ.

Tertiò cognouit cœleſte myſterium ſuper intellectũ apoſtolicum, quia docuit totam congregationem apoſtolicam. Hieronym. in ſermo. de Aſſump. Aſcendente Domino Ieſu in cœlum Virgo uacat cum Apoſtolis in ſcola virtutum, ac meditatur in lege mandatorum Dei, conuerſatur cum ſenatoribus cœli intra curiam Paradiſi ſub diſciplina Spiritus ſancti totiuſque maieſtatis diuinę. Inuenitur prima inter primos cohortes ſummi regis quorum iam uita non erat è terris, ſed de cœlis. Idem ibidem. Inter Apoſtolos nimirum, Virgo B. poſt Chriſti reſurrectionem intrans, & exiẽs familiarius de Chriſti incarnatione, ac reſurrectione contulit.

APPELLATVR SPECVLVM Beata Virgo congruis rationibus.

Sermo CXXXVII.

SPECVLVM dicitur Virgo Maria quadruplici de cauſa. Primò propter ſpeculi compoſitionem. Speculum enim componitur ex vitro, & plumbo. Per vitrum, quod eſt

lucidum signatur eius virginitas, quæ fuit lucida coram Deo. Sap. 4. O quam pulchra est casta generatio. Per plumbum quod est ductile, & habet colorem cinereum intelligitur eius humilitas, quia ueri humiles ad omne bonum de facili ducuntur, & insuper reputant se cineres coram Deo iuxta illud. Genes. 18. Loquar ad Dominum meum cum sim puluis, & cinis. Et sicut plumbum per se, uel uitrum non facit speculum, nisi simul, coniungantur, sic nec Mariæ uirginitas sine humilitate fecisset eam speculum Dei. Et ideo coniuncta est humilitas uirginitati, & econuerso. Et sic facta est speculum Dei in quo refulsit Christus qui est imago Dei. De ista tali coniunctione uirginitatis, & humilitatis dicit Hugo de S. Vict. O uirginitas humilis, & humilitas uirginis, quomodo in unũ conuenistis, quid fecistis? sic sublimastis humilem, sic fœcundastis Virginem, ut Virgo pariat Dei filium, & humilis habeat sponsum Deum. Sicut ille qui speculum facit quantumcunque sit magnus, tamen totam suam imaginem ibi conspicit, sic & Christus matrem suam creauit, & tamen immensus se totus ibi recepit. Isa. 12. Exulta, & lauda habitatio Syon, quia magnus in medio tui sanctus Israel. Psalm. Nunquid Syon dicet homo, & homo natus est in ea, & ipse fundauit eã altissimus. Si autem speculum non esset tersum, & clarum nequaquam ibi quisquam suam imaginẽ conspiceret, sic nec Christus se in Mariæ utero posuisset nisi purissimus fuisset. Ideo potest dici de ea illud. Sap. 7. Candorem enim lucis æternæ, & speculum sine macula. Secundò dicitur speculum propter radij solaris penetrationem. Sicut enim radius solaris speculum intrat, & exit sine speculi corruptione, sic & Christus qui est uerus Sol istud speculum intrauit in conceptu, & exiuit in partu sine Virginis uiolatione. De hoc sic dicit Augustinus in sermone de Nat. Domini. Solis radius specular penetrat, & soliditatem eius insensibili subtilitate pertransit. Et talis uidetur extrinsecus qualis intrinsecus. Itaque nec cũ ingreditur uiolat, nec cum egreditur dissipat, quia in ingressu, & egressu eius speculum integrum perseuerat. Specular ergo non rumpit radius Solis, sic integritatem Virginis ingressus, aut egressus uitiare non potuit radius diuinitatis.

Tertiò dicitur ſpeculum propter rerum repræſentationem. Omnia enim, quæ ſunt in ſpeculo relucent, ſic in Beata Virgine tanquam in ſpeculo Dei debent omnes ſuas impuritates & maculas videre, & eas mundare, & corrigere. Nam ſuperbi ibi cognoſcent ſuas maculas reſpiciendo ibi ad ſuam humilitatem. Auari reſpiciendo ad ſuam paupertatem. Luxurioſi reſpiciendo ad ſuam virginitatem. Hieronymus in ſermone de Aſſumptio. Chriſtus Virginem matrem elegit, ut ipſa omnibus exemplum caſtitatis in ea tanquam in ſpeculo refulgeret forma virginitatis, habensque in ea magiſteria expreſſe probitatis. Ambroſius in lib. de Virginibus. Sit itaque in nobis tanquam in imagine deſcripta Mariæ uirginitas ex qua uelut ſpeculo refulget ſpes caſtitatis, & forma uirtutis. Hoc ſignatum eſt. Exod. 38. ubi dicitur, quòd Moyſes fecit labium æneum, & baſim ſuam de ſpeculis mulierum. Sacerdotes enim in illis ſpeculis maculas faciei ſuæ reſpiciebant, & eas lauabant, ut ſic irent mundi ad ſacrificandum, ſic etiam nos in hoc ſpeculo Dei noſtræ mentis maculas debemus aſpicere, ut ſic mundi poſſimus Deo mundo corde, & corpore deſeruire. Sicut enim ſpeculum omnium imagines tam maiorum, quàm minorum recipit, & de re quàm ſit pulchra, uel deformis ueritatem dicit, ſic & Virgo glorioſa omnes ad ſe uenientes recipit intra uiſcera ſuæ pietatis, & tamen ueritatem dicet in iudicio tam pro bonis, ut ſaluentur, quàm contra malos, ut merito puniantur. Non enim eſt ira fortior, quàm ira manſueti quando iraſcitur. Ideò Chriſtus qui eſt agnus manſuetus erit in iudicio terribilis, & fortis. Nam ſicut dicit Apocalypſi. 6. Reprobi dicent montibus, & petris. Cadite ſuper nos à facie ſedentis ſuper thronum, & ab ira agni. Timendum eſt igitur peccatoribus ne Beatæ Mariæ manſuetudo, & clementia eis in iudicio uertatur in iram. Nam ſicut dicit Propheta. Ipſa eſt teſtis in cœlo fidelis. Teſtis autem fidelis non mentietur, ſicut dicitur. Prouerb 14. Et ideo ad inſtar ſpeculi, declarabit, & manifeſtabit de omnibus ueritatem.

Quartò dicitur ſpeculum propter ipſius fulgorem. Sic & ipſa tota fuit fulgida. Hieronymus. Sanè credo, quòd Vir-

go Maria tota fuit fides in credendo, tota oculus in cognoscendo, tota charitas in diligendo, tota uirtus in operando, tota candor in concipiendo, tota splendor in pariendo, & tota decus in ascendendo.

BEATAE VIRGINIS DEFENDITVR PVritas, licet sponsum habuerit. Ser. CXXXVIII.

SPONSA Dei est Virgo Maria, quæ habuit duplicem sponsum, scilicet cœlestem, & terrenum, Sponsus terrenus fuit Ioseph. Et quamuis Beata Virgo fecerit uotum perpetuæ uirginitatis consensit tamen sponso suo Ioseph nõ in copulam carnalem, sed maritalem societatem. Et talis consensus facit matrimonium esse uerum, quia sicut dicit August. Matrimonium facit non facit copula carnalis sed pactio, coniugalis. Et satis uerisimile est, & credendum, quòd Deus utrique reuelauit, ꝙ debebant simul Virgines permanere. Et si forte dicatur, quòd ipsa Virgo consenserit in carnalem copulam intelligendum est, ꝙ nõ consenserit absolutè, sed sub conditione. s. si Deus hoc uellet. Voluit aũt Christus, ꝙ mater suam sponsum haberet multiplici ratione, Prima est ꝙ ipsa erat tenera puella ideo indigebat uiro maturo, & grandeuo, ut ab ipso custodiretur. Vnde dicit Ber. super missus est. Mos erat Iudæorum, ut à die desponsationis usque ad diem nuptiarum sponsi sponsas in custodiam reciperent, & earum pudicitiam eo curiosius seruarent, quo sibi ipsi fideliores existant. Secunda ratio est, quia ipsa erat Virgo uerecunda, ideo indigebat uiro sibi matrimonialiter coniuncto, ne tanquam adultera infamaretur. Bernard. ubi supra. Quis autem uidens eam non desponsatam, & tamen grauidam, non potius diceret meretricem quàm uirginem, nec dicebat hoc dici de matre Dei. Tolerabilius fuit Christum ad tempus de coniugio natum putari, quàm de fornicatione matrem inculpari. Ambros. super Lucam. Maluit Dominus aliquos de suo ortu, quàm de matris pudore dubitare. Sciebat enim teneram esse Virginis uerecundiam, & lubricam famam pudoris, nec putauit ortus sui fidem matris iniurijs astruendam.

Trrtia ratio est, quia erat sola, & ideo indigebat fideli socio à quo & ante partum, & in partu, & post partum associaretur & à laboribus releuaretur. Vnde Hieronymus super Matth. ponens istam rationem, & alias dicit desponsata Christus cōcipitur. Primo quidem, ut per generationem Ioseph origo Mariæ monstraretur. Secundo ne velut adultera à Iudæis reputaretur: tertio quoque, vt fugiens in Ægyptum haberet viri solatium. Quarta ratio est, quia ipsa erat diabolo suspecta, ne cesset illa Virgo de qua prophetauerat Isaias. Et ideo debuit esse in matrimonio, ut ipsum mysterium diabolo celaretur. Ber. ubi supra. Nunquid non poterat Deus apertū aliquod signum ostendere quomodo fieret, ut nec eius ortus infamaretur, nec matri criminaretur, poterat vtique. Sed non poterat latere dæmones, quod scirent homines. Idem ibidem. Necessario igitur Maria viro desponsatur, quia per hoc, & sanctum à canibus absconditur, & à sponso virginitas comprobatur, & tam Virginis uerecundiæ parcitur, quàm famæ prouidetur, & à secretis cœlestibus hostis excluditur.

Secundò habuit sponsum cœlestem .s. Deum, qui cum ea spirituale matrimonium contraxit. Et istud matrimoniū habuit triplicem gradum, triplicem consensum, triplicem bonū, & triplicem copulam siue coniunctionē. Habuit quidē triplicem gradum, quia fuit initiatum, ratificatum, & consumatū. Initiatum quidē per uerba de futuro ab Isaia qui dixit. Ecce Virgo concipiet, &c. Deinde fuit ratificatū per uerba de præsenti quādo ipsa consensit, & dixit. Ecce ancilla Dñi. Vltimo fuit consumatum, quādo filius Dei in thalamū uteri uirginalis naturam nostram sibi æternaliter copulauit. Vnde clamat Ecclesia. Eccè cōpleta sunt omnia, quæ dicta sunt de Virgine Maria. Secundo in illo matrimonio fuit triplex consensus. s. consensus animi, consensus uerbi, uel saltem consensus signi. His tribus modis consensit Virgo Beata. Et istum triplicem consensum ~~ipsa Virgo~~ Beata postmodum in suo cantico expressit. Nam consensum animi expressit cū dixit. Magnificat anima mea Dñm. Consensum signi expressit cum subdit. Et exultauit spiritus meus in Deo salutari meo. Exultauit. i. extra saltauit, i. tantum gaudium habuit in animo, ꝙ etiam manifestabatur

nifestabatur in exteriori signo. Consensum uerbi expressit cũ subdidit. Quia respexit humilitatem ancillæ suæ. Et hoc fuit quando dixit. Ecce ancilla Domini. Tertio in matrimonio fuit triplex bonum s.bonum fidei, prolis, & sacramenti. Fidei quidem, quia uotũ uirginitatis, quod Beata Virgo emisit semper illibatum seruauit. Fuit ibi bonum prolis, quia Dei filium de eius castis uisceribus generauit. Fuit etiam ibi bonum sacramenti, quia nunquam à filio suo diuisa fuit, uel separata. Quarto in illo matrimonio fuit triplex copula. Nam in matrimonio triplex coniunctio inuenitur. Vna causatur ex consensu animorum: secunda ex permixtione corporum: tertia ex indiuisibili habitatione ambotũ. Eodem modo inter Christum, & Virginem Beatam fuit cõiunctio aĩorum per mutuã charitatem. Cant. 6. Ego dilecto meo, & dilectus meus mihi. Fuit coniunctio corporum per naturæ unitatem, quia una est caro Christi, & matris, unde de hoc potest exponi illud, quod dr. Genes. 2. Erunt duo in carne una. Nam ad formandum corpus Christi fuerunt duo. s. Spiritus sanctus qui ipsam carnem Virginis mundauit, & corpus Christi formauit, & ipsa Virgo, quæ materiã ministrauit. Fuit etiã indiuisibilis habitatio amborũ ibi, qa sicut in uita sua dilexerũt se ita, & in morte nõ sunt separati. Io. 19. Stabat iuxta crucẽ Iesu mater eius.

TRAMONTANA STELLA EX MVLTIS Beatam Virginem significat. Sermo CXXXIX.

STELLA maris, quæ uulgariter dicitur tramontana signat Virginem Beatam multis rationibus. Primò ratione nominis. Istud enim nomen s. stella maris non conuenit Christo, nec alicui sancto uiro, nec alicui sanctæ fœminę, sed tantum Virgini Mariæ. Quod aũt conuenit Christo proprie patet, quia ipse est fons totius luminis, & ideo sibi magis cõpetit esse solem, q̃ stellã. Nec competit ẽt alicui uiro sancto, quia ipsa stella maris ita dirigit nauẽ, q ipsa non dirigitur à naui. Nauis. n. est Ecclesia. Apostoli igitur, & cæteri sancti, ita dirigebant Ecclesiã suis doctrinis, q ipsi nihilominus indigebãt dirigi ab Ecclesia sanctorũ meritis, & deuotis orõnibus, unde

vnde & Apostolus sæpe petebat orari pro se. Beata aũt Virgo nauem Ecclesiæ ita dirigebat suis doctrinis, & exemplis, ꝙ ipsa non indigebat dirigi aliquorum meritis, quia in ipsa erat plenitudo omnium meritorum. Non competit etiã alicui sanctæ fœminæ dici stella maris, nec coniugatæ, nec viduæ, nec virgini, nec pœnitenti. Stella enim maris vniuersaliter dirigit omnes nauigantes. Et Maria omnes nauigantes dirigit suis exemplis. Coniugatæ quidem sicut fuit Helisabeth informant tantum coniugatas, vt Dei mandata custodiant, vnde dicitur. Luc. 1. de ipsis cõiugatis. Erant iusti ambo pariter ante Deum. Viduæ vero sicut fuit Anna informant tantum viduas, vt ieiunijs, & orationibus insistant. Vnde dr̃. Luc. 2. de Anna vidua, ꝙ non discedebat de templo, &c. Virgines vero informant tantum alias virgines, vt impudicos vsus virorum fugiant, vnde dr̃. Genes. 24. qui Rebecca puella cum vidisset Isaac tulit pallium suum, & operuit se. Similiter pœnitentes sicut fuit Magdalena informant tantum pœnitentes, vt. s. habeant opera misericordiæ, & pœnitentiæ. Beata autẽ Maria omnes suis exemplis illuminat, & informat. Nã informat coniugatas, vt viris suis obediant, sicut ipsa semper obediens fuit Ioseph. Informat viduas, vt post mortem viri alios non accipiant, sed in viduitate permaneant, sicut ipsa vidua mansit post mortem Ioseph, informat virgines, vt hominum consortia fugiant, sicut & ipsa fugiebat, & in thalamo suo clausa manebat. Informat pœnitentes, vt opera pœnitentiæ faciant sicut, & ipsa faciebat, quamuis enim pœnitentes nunquã fuerit, quia nunquam fecit illud quod debuerit pœnitere, tñ sic opera pęnitẽtiæ faciebat, ac si fecisset vnde deberet pęnitere. Quia igitur Virgo Beata per mare huius mundi nauigãtibus radios exemplorum emittit, ideo stella maris vocari debuit.

Secũdò dr̃ stella maris ratione attractiuę virtutis. Sicut. n. illa stella ferrum ad se trahit, sic Maria ad se sæpe mentes ferreas trahit, & conuertit. Ferrum autem est durum, frigidum, & ponderosum, & signat peccatores, qui sunt frigidi ad amandum Deum, duri ad conuertendum, ponderosi propter amorem terrenorum, quia semper stant in imis, & nunquã se ad suprema subleuãt, sicut patet in Theophilo qui prius erat frigidus,

dus,& durus,& ponderosus, quē beata Virgo inflammauit, & conuertit, & ad cœlestia subleuauit.

Tertiò dicitur stella maris ratione stationis,quia hæc stella est quasi sine motu,& à suo puncto non discedit. Sic beata Virgo à puncto non discedit,idest, à filio,sed semper pro nobis iugiter intercedit,& orat,& nos custodit. Sicut enim dicitur de filio suo.Ecce non dormitabit nec dormiet,sic ipsa non dormitat,sed semper pro nobis orat,intercedit, & vigilat,vnde potest esse verbum suum illud quod dicitur Isa.21. Super speculam domini ego sum vigilans iugiter, & stans per diem,& super custodiam domini ego sum stans totis noctibus.Ipsa enim est virga de radice Iesse,de qua dicitur Hiere.1.Virgam vigilantem ego video.

Quartò dicitur stella maris ratione illuminationis. Bern. Tolle corpus solare,quod illuminat mundū,& ubi dies? Tolle stellā maris,& quid nisi caligo inuoluens,& vmbrę mortis & tenebræ relinquuntur. Hæc autem stella semper ad nos lumen suum emittit,ita ꝙ nec occidit nec occumbit. Aliæ stellæ.i.Apostoli in Christi passionę occubuerunt,quia lumen fidei amiserunt. Ipsa autem nūquam occubuit,quia lumen fidei semper seruauit. Sępe aūt contingit,ꝙ aliqui sancti aliquibus peccatoribus occidunt,quia suffragia eis sępe subtrahunt,quia indigni sunt.Iohel.2. Stellæ splendorem suum retraxerunt.Beata aūt Virgo nunquam occidit,sed oībus lumē suæ gratię emittit.Vnde ipsa dicit Eccl.24.Vsq; ad futurum sęculum non desinam.s.alicui in necessitatibus constituto.

Quintò dr̄ stella maris ratione directionis,quia nauigātes in mari huius mundi dirigit,& ad portū salutis deducit. Nā in mari huius mundi sunt multi fluctus persecutionum,multi venti tribulationum, multi scopuli persecutionum,multę tenebræ ignorantiarum. Et ideo ista stella maris omnes tales dirigit,& ad portum deducit. Fulbertus. Oportet hanc stellam semper attendere,quòd qui fecerit non inanis glorię uento iactabitur, nec scopulis aduersorum frangetur, nec absorbetur voluptatum voragine, sed prosperè perueniet ad portum quietis. Ber. super missus est. In angustijs in periculis, in rebus dubijs,cogita Mariam, inuoca Mariam, non

 recedat

recedat à corde, non recedat ab ore, ipsam sequens non deuias, ipsam rogans, non desperas, ipsam cogitans non erras ipsa non tenente corruis, ipsa protegente non metuis, ipsa duce non fatigaris, ipsa propitia peruenis. Idem. Ipsa est præclara, & eximia stella ex Iacob orta, super hoc mare & spaciosum necessario subleuata micans meritis, & illustrans exemplis. Si igitur insurgunt venti tentationum, si incurris scopulos tribulationum, respice stellam, voca Mariam, & si non impetres orationis eius suffragium non deseras conuersationis exemplum.

Sextò dicitur stella ratione girationis. Illa enim stella est sicut cardo, vel axis firmamenti. Sicut enim ostium voluitur, siue vsatur in cardine, & rota in axe, sic firmamentum contra ipsam. Eodem modo tota curia cœlestis circa beatam Virginem se voluit, & girat, quia eam tanquam dominam, & reginam circundant, iuxta illud quod cantat Ecclesia. Sicut dies verni circundabant eam flores rosarum, & lilia conuallium, idest, ordo confessorum, & virginum. Ideo dicit Propheta. Astitit regina à dextris tuis in uestitu deaurato circundata varietate. Sancti enim sunt quædam vestis beatæ Virginis, ipsam tanquam dominam, & reginam adornantes. Quæ quidem vestis est multiplici uarietate contexta. Nam Apostoli ibi ponunt colorem aureum, Martyres colorem rubeum, Confessores colorem indignum, Virgines & Angeli colorem candidum.

Septimò dicitur stella maris ratione situationis. Est enim hæc stella sita in summo poli respectu omnium aliarum, & est sita contra Aquilonem. Sic beata Virgo exaltata est super choros omnium angelorum, vnde cantat Ecclesia. Exaltata est sancta Dei genitrix super choros angelorum ad cœlestia regna. Est etiam sita ad Aquilonem, quia radios gratiæ suæ semper dirigit ad peccatores. Vnde etiam ipsa dicitur Luna, quia sicut Luna dat lucem suam noctibus, sic beata Virgo gratiam suam peccatoribus.

BEATAE VIRGINIS LAVDES *summuntur a stella matutina.* *Sermo* CXXXX.

STELLA matutina dicitur Virgo Maria, de qua dicitur Eccles. 51. Quasi stella matutina in medio nebulæ. In primo enim mundo erat triplex nebula, scilicet, superbiæ, auaritiæ, & carnalis immunditiæ. Ipsa igitur fulsit in medio nebulæ superbiæ per humilitatem, in medio nebulæ auaritiæ per paupertatem, & in medio nebulę carnalis immunditiæ per virginitatem. Assimilatur autem Virgo isti stellę propter nomina, propter propria, & propter officia. Ista autem stella habet multa nomina.

Primò enim dicitur Venus non quia sit dea amoris sicut fabulæ poetarum fingunt, sed quia illos in quibus dominatur disponit ad amandum. Secundò dicitur stella matutina ex eo ꝙ mane sequens denunciat, & diem inchoat. Tertiò dicitur lucifer ex eo quòd præ cæteris stellis, & planetis maiorem habeat lucem. Quartò dicitur hesperus inquantum, scilicet, noctem sequentem respicit, & eam illustrat. Ista quattuor nomina possunt Virgini conuenire iuxta alia quattuor, quæ dicuntur Eccl. 24. Ego mater pulchræ dilectionis, & timoris, & agnitionis, & sanctæ spei. Ipsa enim potest dici Venus inquantum homines in Dei amorem inflammat. Et quantum ad hoc ipsa est mater pulchræ dilectionis. Secundò potest dici stella matutina inquantum ipsa est principium nouæ vitæ sicut stella matutina est principium diei sequentis. Et quantum ad hoc dicitur mater timoris. Timor enim est principium gratiæ, & nouæ uitæ, iuxta illud Psal. Initium sapientiæ est timor Domini. Tertiò dicitur lucifer inquantum dat principium agnitionis diuinæ. Et quantum ad hoc dicitur mater agnitionis. Quartò dicitur hesperus inquantum respicit, & illuminat peccatores, qui sunt in tenebris culpæ. Et quãtum ad hoc dicitur mater sanctæ spei.

Secundo dicitur stella matutina propter ipsius stellæ propria. Illa enim stella multas habet proprietates, quia est calida,

lida,malitiæ matris refrenatiua, temperata, humida,& iocunda. Istę aūt proprietates non sunt in ipsa stella nisi quantum ad effectus. Eodem modo B. Virgo habet in nobis istos effectus. Dat.n.calorem dilectionis diuinæ,refrenat furorē iracundiæ, dat temperantiā,siue temperamentū discretionis maturæ,iocunditatem conscientię,humorem obedientię,humidum.n.male terminatur in termino proprio, sed in termino alieno,quia uerus obediens nō debet duci sensu proprio, sed alieno Ista quinque notantur Iac.3.quæ ad B.Virginem matrem sapientiæ possunt applicari. Sapientia,inquit, quæ de sursum est,primum quidem pudica est,deinde pacifica,siue modesta, suadibilis bonis, plena misericordia, & fructibus bonis. Nam inquantum ipsa dat calorem diuini amoris ipsa est pudica, quia facit animum pudicum.. Amor enim Dei omnem amorem illicitum extinguit,& omnem carnalitatem restringit. Inquantum ipsa refrenat furorem iracūdię, dicitur pacifica,quia facit animum pacificum.Inquantū dat temperamentum discretionis maturæ dicitur modesta, quia facit aīum modestum,& maturum.Inquantum facit cor humidum per veram obedientiā dicitur suadibilis,& bonis consentiens.Inquantum dat iocunditatem conscientiæ dr̄ plena misericordia,& fructibus bonis,quia conscientia quæ est plena bonis operibus multum est iocunda,iuxta illud Ps. Iocundus homo qui miseretur,& commodat.

Tertiò assimilatur stellæ matutinę pp quædam ipsius stellæ officia.Habet.n.terrere fures,fugere lupos, releuare infirmos,excitare ad cantandum aues,& lętificare viatores.Similiter officium B.Mariæ terrere dæmones. Iob.23. Si subito apparuerit aurora arbitratur vmbra mortis. Ps. Ortus est sol idest,lux solaris.i.Virgo Maria,& congregati sunt, & in cubilibus suis collocabuntur. Secundò fugat hæreticos. August. Gaude Maria Virgo cunctas hæreses sola interemisti. Tertiò consolatur pusillanimes. Idem. Sancta Maria succurre miseris, iuua pusillanimes. Vnde potest esse vox sua illud Baruch 4. Animæquiores filij estote, & clamate ad Deum. Quartò excitat angelos, & sanctos ad laudandum Deum, quod significatum est Exod. 25. Vbi dicitur, quòd

Maria

Maria sumpsit tympanum. Quinto lætificat omnes viatores qui tendunt ad patriam. Istud significatum est. Matth. 2. vbi dicitur, quòd magi uidentes stellam gauisi sunt gaudio magno valdè.

A STELLAE PURITATE, ASPECTU, ET *motu, similitudinariè honoratur Beata Virgo.*
Sermo CXLI.

STELLA dicitur Virgo Maria, Christus uerò Sol. Hugo de Sancto Victore. Maria stella, Christus Sol. Ideo peccatores uelut in nocte à Maria consolantur. Iusti uero tanquam in die à Christo sole illuminantur. Ideo si pertimescis ad Christum accedere, ad Mariam respice, genus tuum conspicis, nihil illic quod timeas inuenis. Dicitur igitur Maria stella iuxta illud. Nume. 24. Orietur stella ex Iacob, & consurget virga de Israel. Et assimilatur hic stellæ, & virgæ. Stellæ, quia semper erat in cœlo mente: Virgæ, quia habitabat in terra corpore. Stellæ, quia protulit radium in quo est lux diuinitatis. Virgæ, quia protulit fructum in quo est caro terrestris. De ista stella dicit Ber. Ipsa proprietas stellæ Virgini matri cōuenit valdè, quia sicut stella sine sui corruptione suū emittit radium, sic absque sui læsione Virgo peperit filium; nec syderei radij suam minuunt claritatem, nec Virginis filius suam integritatem. Notandum autem, quòd stella in sua essentia magnam habet puritatem, in apparentia paruitatem, in motu uelocitatem, & inter cætera corpora magnam dignitatem. Sic & Virgo puritatem maximam habuit quantum ad illa tria, de quibus dicitur. 1. Thess. 5. Integer spiritus uester anima, & corpus sine querela seruetur in Aduentu Domini nostri Iesu Christi. Habuit enim corpus purissimum, quia sine omni contagione. Vnde potest esse uerbum suum illud quod dicitur. Sap 8. Veni ad corpus coinquinatum. Habuit animam purissimam, quia sine peccati admixtione. Ibidem. Sortitus sum animam bonam. Habuit spiritum purissimum, quia semper fuit coniunctus cum Deo per amorem, qa sicut dr. 1. Cor. 6. Qui adhæret Deo vnus spiritus est cū eo.

Secundò stella in apparentia habet magnam paruitatem. Quamuis enim quælibet stella dicatur esse maior, quàm tota terra, tamen punctalis, & modica esse videtur. Eodem modo & Maria quamuis esset maxima, tamē de se sentiebat humilia. Nā humilitatem habuit in aīo, in uerbo, in facto, in signo in animo humilitatem habebat, quia nulli vnquā se præponebat, sed alios sibi sicut Ioseph quem sibi præposuit dicēs Lu. 2. Pater tuus, & ego dolentes quærebamus te. Nunquam se ingerebat, sed omnibus locum dabat, qui ad filium suū ire volebat, quod notatur Mat. 12. vbi dicitur. Ait quidā. Mater tua, & fratres tui foris stant quærentes te. Ber. Vbi Maria aliqn̄ præsumptuosa fuisse inuenitur? Foris stabat quærens lo-, qui filio, nec auctoritate materna aut sermonem interrupit, habitationem in qua filius erat irrupit. Secundò habuit istā humilitatem in verbo, quia non vocauit se matrem Dei, nec dn̄am mundi, nec reginam cœli, sed ancillam Christi cū subdit. Ecce ancilla domini. Item. Respexit humilitatem ancillæ suæ. Tertiò habuit istā humilitatem in signo. Magnum quidem signum humilitatis fuit, quia filio suo iā in cœlum ascendente, & ipsa in hoc mundo loco filij remanente, tamen in loco nouissimo poni voluit, volens seruare illud Luc. 13. Recūbe in nouissimo loco. Dicitur enim Act. 2. vbi enumeratis omnib. Apostolis subditur. Hij oēs erant vnanimiter perseuerautes in oratione cum mulierib. & Maria matre Iesu. Sicut. n. absente sole inter cætera sydera luna magis mundum illuminat, & tamen tenet infimum locum, sic Maria absente sole iustitiæ, & in cœlo regnante inter mundi lumina magis mundum illuminauit, & locum nouissimum tenuit.

Quartò habuit istā humilitatem in facto, quia postquam iā erat Dei mater effecta ancillā Helisabeth se fecit cum ei ministrauit. Ber. in montana Virgo cum festinatione abijt; & Helisabeth salutauit, & in eius ministerio quasi mensibus tribus humilis stetit. Deinde subdit. Hic fuit Virginis ascensus ut difficile rumperetur triplex funiculus, feruebat siquidem in corde charitatis, splendebat in carne virginitas, & in obsequio eminebat humilitas.

Tertiò stella habet in motu velocitatem. Nam à motu

sui superioris, idest, firmamenti mouetur citissimè, quia quotidie omnia loca lustrat in circuitu. Motu vero proprio mouetur lentissimè, quia per centum annos, ut dicunt mouetur per vnumq; gradum. Eodem modo Virgo Maria non mouebatur motu proprio, sed motu sui superiori, idest, Spiritus sancti. Nã ut mota fuit à Spiritu sancto, vt virginitatem seruaret statim votum emisit. Mota fuit à Spiritu sancto, vt conceptioni filij Dei assentiret statim acquieuit. Mota fuit ut ad seruiendum cognate pergeret, & mox ad montana conscendit. Mota fuit ut iam prægnãs, & vicina partui in Bethleem pergeret statim perrexit. Mota fuit, vt rediret, statim rediјt. Ecce quomodo non mouebatur à seipsa, sed à Spiritu sancto qui erat in ea, ubi semper regebat ipsam.

Quartò inter cętera corpora stella habet magnam dignitatem. Nam ſm Philosoph. in stellis non cadit corruptio nec casus, nec error. Sic & in ipsa stella nulla fuit corruptio, nec in sua natiuate, quia sine peccato nata fuit, nec in sua conceptione, quia de Sp. Sanct. generauit, nec in sua vita, quia nũquam aliqđ peccatum commisit. nec in sua morte, quia nec mortis nexib. deprimi potuit. Secundò in ipsa nõ fuit aliquis casus, quia cadere nõ potuit à gratia Dei, quia erat in gratia confirmata, nec à fide Dei, quia erat à Spiritusancto edocta, nec a charitate Dei, quia erat tota Deiformis effecta. Tertiò non fuit in ipsa aliquis error, quia in suis affectionibus, uel operationibus nunquam errare potuit, quia pater eam semper gubernauit. Filius eam semper duxit. Sp. sanct. tandem ipsam in ciuitatem supernam introduxit. Vnde pp ista tria potest dicere cum Proph. Tenuisti manum dexteram meã, & in voluntate tua deduxisti me, & cum gloria suscepisti me.

VTERVS B. VIRGINIS FVIT THALAMVS Christi, sed dotibus ornatus varijs.
Sermo CXLII.

THALAMVS Christi fuit vterus Virginis. Dicitur autem thalamus à Thelamone duce Romanorum. Qui cũ quandam Sabinam virginem rapuisset, dictũ est per

oraculum, ꝙ illa virgo Thalamoni in coniugem traderetur. Et qm̃ illæ nuptiæ fœliciter ſucceſſerunt, ordinatum fuit, vt cubiculum ſponſi, & ſponſæ thalamus diceretur. Quia igit͛ Deus nuptias in vteto virginali celebrauit, quando. ſ. naturã humanam ſibi copulauit, ideo eius uterus thalamus recte dici poteſt. Habet autem rex. i. Chriſtus thalamum ſuum ſimiliter, & regina ſuum. i. Virgo B. De thalamo autem regis dr̃ in Pſ. In ſole poſuit tabernaculum ſuum, & ſeipſum ſolem poſuit in tabernaculo ſuo. i. in Virginis vtero. Ex hoc fuit in filij conceptione. Et ipſe tanquam ſponſus procedens de thalamo ſuo. Et hoc fuit in natiuitate. Conſueuerunt autem thalami regales per tria diſtingui cubicula, ſcilicet, per cubiculum æſtiuale, hyemale, & commune. Conſueuerunt etiam pannis precioſis adornari, uarijs coloribus depingi, & diuerſis floribus aſpergi. In primo igitur thalamo virginali fuerunt tria cubicula, ſcilicet, eius ſpiritus, anima, & corpus. De quibus dicitur 1. Theſſ. 5. Ipſe autem ſpiritus pacis ſanctificet vos per omnia, vt integer ſpiritus veſter, anima, & corpus ſine querela ſeruetur in aduentu domini noſtri Ieſu Chriſti. In primo igitur cubiculo. i. in ſpiritu ſuo requieuit pater, quia eius ſpiritum Deiformem, & diuinum fecit. In ſecundo cubiculo. i. in eius anima requieuit Spiritus ſanctus, quia eius animam omni virtute, & gratia adimpleuit. In tertio cubiculo. i. in eius vtero requieuit filius, qui in eius vtero nouem mẽſib. habitauit Iſte eſt igitur ille architriclinus, qui in nuptijs vteri virginalis tria triclinia præparauit, & ideo facta eſt totius Trinitatis nobile triclinium. Quod iſte thalamus fuerit pannis purpureis, & gemmis adornatus dicitur Cant. 3. Ferculum fecit ſibi Rex Salomon de lignis libani. Ferculum dicitur uas eſcarum, & ſignat Virginis vterum, in quo fuit ille, qui eſt uas omniũ ſanctorum, & angelorum, & fuit de lignis libani, quia eius uterus fuit odoriferus, incorruptibilis, & ſerpentium infernalium expulſiuus. Poſtea ſubditur. Reclinatorium fecit argenteum, aſcenſum purpureum, media charitate conſtrauit. Iſta ſunt illa tria cubicula ſuperius dicta. ſ. eius ſpiritus, anima, & corpus, quæ fuerunt tã precioſis pannis adornata. Nam eius ſpiritus ſupe-

superior fuit ornatus purpura .i. dominicæ passionis continua memoria,& recordatione. Ideo dicitur, quòd ascensum purpureum fecit. Nam filij passionem semper in corde gerebat, ita quòd dicere poterat illud Exo.4. Sponsus sanguinum tu mihi es. Eius vterus in quo se Christus reclinauit fuit adornatus panno aureo, idest, pudore virgineo. Ideo dicitur. Reclinatorium fecit argenteum. Sicut enim aurum incorruptum est fulgidum, & preciosum, sic eius virginitas, eius reddidit incorrrptum quo ad se, fulgidum per exemplū quo ad nos, preciosum quo ad Deum. Eius anima quæ fuit media inter spiritum, & corpus fuit ornata panno gemmato, idest, charitati,& amore diuino. Nam subditur. Media charitate constrauit. Charitas enim est gemma lucida, quæ omnes alias virtutes facit esse fulgidas. De ista gemma charitatis dicitur Eccl.9. Gemmula carbunculi in ornamentum auri. Est enim charitas perfecta, quæ habet secum annexam humilitatem,& puritatem. Ideo in beata Maria fuit gēmula humilitatis,& carbunculus feruentis charitatis,& aurum incorruptibilis virginitatis.

Tertiò iste thalamus virginalis fuit varijs coloribus depictus, colore nigro humilitatis, albo puritatis, & rubeo charitatis. Can.1. Nigra sum. Ecce nigredo humilitatis. Sed formosa. Ecce albedo puritatis. Sicut pelles Salomonis, quæ erant rubricatæ. Ecce rubedo charitatis. Sicut enim color niger iuxta album positus, ipsum album commendat, sic ipsa humilitas virginitatem magis exornat. Si enim beata Virgo fuisset virgo, sed superba, nec Deo placuisset, nec filius Dei de ea carnem assumpsisset. Et sicut color rubeus inter album,& nigrum positus pulchritudinem magnam facit, sic charitas beatæ Mariæ humilitatem eius exornabat, virginitatem Deo gratam reddebat. Nam sine charitate,& humilitas esset ficta, & virginitas esset vacua. Fuit etiam iste thalamus virginalis diuersis floribus aspersus.s. rosa patientiæ. Ecclesiast. 24. Quasi plantatio rosæ in Hierico. Viola humilitatis profundæ, & lilio puritatis, & munditiæ. De istis duobus floribus dicitur Cant. 2. Ego flos campi, & lilium conuallium.

Habet etiam ista regina, idest, Virgo Maria thalamum suum in quo similiter tria cubicula fuerunt. Primum est eius vterus speciosus in quo habitauit diuina sapientia,& quantum ad hoc facta est sponsa ęterni regis. Eccl.24. Qui creauit me requieuit in tabernaculo meo. Secundum est eius animus viscerosus in quo habitat uniuersalis ecclesia. Et quantum ad hoc ipsa est aduocata generis humani. Omnes enim electos ipsa recipit intra viscera suæ pietatis,cum ipsa fit mater gratiæ,& mater misericordiæ. Tertius est eius locus gloriosus in quo ipsa habitat sublimata. Et quantum ad hoc ipsa est domina,& regina totius curię cęlestis. Propter ista tria dicitur Apoc.12. Mulier amicta Sole, & Luna sub pedibus eius,& in capite eius corona stellarum duodecim. Tunc enim sole amicta fuit,quando Christum qui est sol iustitiæ in suo utero habuit. Lunã autem sub pedibus habet,quia ecclesiam sub sua protectione tenet. Habet autem coronam stellarum duodecim,quia ipsa est regina trium ordinum.s. Martyrum, Confessorum,& Virginum,& nouem ordinũ angelorũ.

A CAVSA EFFICIENTI, MATERIALI, formali,& finali B. Virgo Dei templum uocatur. Sermo CXLIII.

TEMPLVM Dei est Virgo Maria iuxta illud Psal. Suscepimus Deus misericordiam tuã in medio templi tui. Dicitur autem Virgo beata templum ratione causæ efficientis,materialis,formalis,& finalis.

Causa autem efficiens huius templi fuit Deus trinitas. Nam pater istud templum fundauit. Ps. Fundauit eam altissimus. Spiritus sanctus consecrauit. Ps. Sanctificauit tabernaculum suum altissimus. Fundatum, & consecratum filius inhabitauit. Eccl.24. Qui creauit me requieuit in tabernaculo meo. Forma autem huius templi fuit,quia fuit valde amplum. Vnde dicitur templum quasi tectum amplum, vel tenens amplum. In ipsa enim Virgine gloriosa fuerunt quattuor ualde ampla. Primò quidem habuit amplum uterum ad Deum suscipiendum,quia sicut cantat ecclesia, quem cœli ca-

li capere non poterant tuo gremio contulisti. Petrus Rauennas. Quod erat in principio apud Deum intra se Virgo præcepit verbum, factaq; est magnum deitatis templum, quæ pusillum erat humanitatis hospitium. Idem. Ipsa quidem Virgo maior fuit cœlo, fortior terra, latior orbe. Nam Deum quem mundus non capit, sola concepit, portauit eum, qui portat orbem. Idem. Quantus sit Deus ignorat ratio, miratur huius Virginis vterum, cœlum pauet, tremunt angeli, creatura non sustinet, natura non sufficit, & una puellula in sui pectoris hospitio capit, recipit, oblectat, ut terris pacem, cœlis gloriam, salutem perditis, vitam mortuis dederit terrenis cum cœlestibus parentelam, Dei cum carne commercium fecit. Sic enim totum manna erat in urna, & totum erat in archa, & tota archa claudebatur in templo, sic & deitas tanquam manna dulcissimum tota erat in urna, idest, in Christi anima. Anima tota erat in archa, idest, in Christi carne deifica. Et hæc omnia claudebantur in terra, idest, in utero Virginis gloriosè. Secundò habuit amplum intellectum ad diuinum lumen recipiendum. Sicut oculus non sufficit intueri solem nisi in radijs suis, sic intellectus noster non potest cognoscere Deum nisi in operibus suis. Intellectus autem Virginis non indigebat radijs, quia habebat intra se præsentiam solis. Eccles. 28. Sicut sol oriens mundo in altissimis Dei, sic mulieres sanctæ species in ornamento domus suæ. Nec indigebat lumine lucernæ, idest, manuductione alicuius creaturæ, quia in utero suo habebat diuinam lucernam fulgētem. Ibidem. Lucerna splendens super candelabrum sanctum, & species faciei, scilicet, mulieris super ætatem stabilem, nec indigebat sicut filij Israel columna ignis, uel nubis, idest, manuductione alicuius angeli cœlestis, quia ipsa habebat illam columnam ignis, & nubis, idest, Christum in quo erat ignis deitatis, & nubes humanitatis. Ibidem. columnæ aureæ super bases argenteas, & pedes firmi super plantas stabilis mulieris. Tertiò habet amplum affectum ad compatiendum. Nam intra sinum suæ pietatis, & misericordiæ omnes recipit. Ideo dicitur de ea. Maria mater gratiæ, mater misericordiæ. Recipit pecca-

tores quibus impetrant Dei misericordiam. Ideo subditur. Mater misericordiæ. Recipit tentatos quos à diabolo protegit. Ideo subditur. Tu nos ab hoste protege. Recipit animas de hoc mundo egredientes quas suis manibus in cœlum deducit. Ideo subditur. Et hora mortis suscipe. Quarto habet amplum meritum ad subueniendum. Subuenit quidem omnibus per sua merita in mundo, & in iudicio. In mundo quia habet subueniendi potentiam, sapientiam, & voluntatem. Prouerb 21. Thesaurus desiderabilis, & oleum in habitaculo iusti. Potest quidem subuenire, quia habet thesaurum. Vult subuenire, quia habet pietatis oleum. Scit subuenire, quia fuit mater iusti, idest Christi qui est Dei sapientiæ habitaculum. Subueniet in iudicio. Non enim dicit sicut dixerunt virgines illę. Ne forte nō sufficiat nobis, & uobis, &c. quia & eius merita sufficient sibi ad exaltationem super angelos, & nobis sufficient ad necessitatem nostram. Prouerb. vltimo. Laudent eam in portis opera eius, scilicet, quæ iudicio faciet, quia tunc fideles suos, & deuotos suscipiet, proteget, & defendet. Materia vero huius templi spiritualis fuerunt aurum, argentum, & lapides preciosi. Virgo enim Maria super fundamentum fidei ędificauit aurum, idest animum. Deificatum, & diuino amore repletum. Ædificauit argentum, idest corpus virgineum. Ædificauit lapides preciosos, scilicet refulgentiam omnium virtutum. Causa vero finalis templi est duplex. Ad hoc enim fit templum, vt Deus ibi laudetur, & ut ibi habitare dignetur. Propter istum duplicem finem Deus istud templum spirituale construxit, scilicet propter Dei laudem, & sui habitationem. Sicut enim in templo Deus glorificatur, laudatur, & honoratur, sic & ipsa est ad Dei laudem, & gloriam, Dei lætitiam, & honorificentiam. Ideo dictum fuit in figura Iudith. 14. Tu gloria Hierusalem, tu lætitia Israel, tu honorificentia populi nostri. In ipsa etiā tanquam in suo templo Dominus habitat sicut asseritur. Lucæ. 2. Dominus tecum. Bern. Dominus pater tecum qui genuit quem concipis, & Dominus filius tecum quem carne tua induis.

AFFERVNTVR PLVRES CAVSAE, CVR *Beata Virgo terra dici possit. Sermo CXLIIII.*

TERRA dicitur Maria multiplici de causa.

Primò quanuis terra sit omnium elementorum infima est tamen prę omnibus elementis magis adornata, sic B.Virgo præ omnibus sanctis fuit magis infima per humilitatem, sed magis ornata propter virtutum uarietatem. Infimam se uocabat dicens Luc. 2. Respexit humilitatē ancillæ suæ, sed ornatam virtutibus se ostendebat, dicens Eccle. 24. In me omnis gratia uitę, & veritatis, in me omnis spes vitæ, & virtutis. Hieron. Cæteris sanctis gratia per partes p̄statur Mariæ uerò se tota infundit gratiæ plenitudo. Ipsa siq; dem fuit omnibus gratijs à Deo uisitata, amore Dei inebriata, & cunctis virtutibus locupleta. Psal. Visitasti terram, &c.

Secundò dicitur terra, quia licet videatur in superficie despecta, intus tamen continet preciosa, s. aurum, argentum, & lapides preciosos. Sic & Maria exterius videbatur despecta, tamen interius continebat cœleste thesaurum, s. Dei filium. Can. 1. Nigra sum. s. exterius per conuersationem, sed formosa interius per filij Dei in meo utero habitationem. Psal. Omnis gloria eius filiæ regis.

Tertiò dr̄ terra, quia licet sit multipliciter attrita est tu firmiter stabilita. Sic & Virgo Maria fuit multipliciter attrita in filij passione, iuxta illud Luc. 2. Tuam ipsius animam pertransibit gladius, sed tamen fuit fortis per constantem fidem Eccle. 1. Generatio præterit, generatio aduenit, terra uero in æternum stat. Nam generatio apostolorum præteriuit à fide, generatio Latronis, & Centurionis uenit ad fidem. Terra verò. i. Maria in æternum stat, quia fidem eius semper seruauit.

Quartò dr̄ terra, q̄a licet sit frigida. & sicca, est tñ supernorum luminarium maximę influentiè susceptiua, sic & B. Virgo fuit sicca ab humore cupiditatis. & frigida ab oī concupiscentia carnalitatis, fuit tñ diuinarum influētiarum maximè susceptiua. Nam secundum Ber. In uentre fuit plena gratia deitatis, in corde gratia charitatis, in ore gratia affabilitatis,

& in

& in manibus gratia misericordiæ,& largitatis. Quintò dicitur terra,quia terra exterius venustatur plantis, & intus ditatur thesauris.in intimis est plena tormentis, quia ibi infernus esse prohibetur. Sic & Virgo Beata fuit exterius ornata venustatè morum,interius ditata thesauro virtutum, in intimo cordis vulnerata doloribus tormentorum.Lucæ.2. Tuam ipsius animam pertransibit gladius. Cant.1. Nigra sum, sed formosa filiæ Hierusalem sicut pelles Salomonis, quæ erant rubricatę. Ipsa enim fuit nigra,& denigrata in filij passione præ vehementia doloris, sed erat formosa decore virtutis, & rubicunda feruore conuersationis. Sextò dicitur terra,quia sicut dicit August. in lib. de Trin. bona terra est altitudine montium, temperamento collium, & planitiæ camporum. Sic Virgo Beata fuit bona terra per cœlestium contemplationem. Ecclesiast. 24. Ego in altissimis habito. Fuit temperata per discretionem. De cuius temperamento discretionis dicitur. Luc. 2. Maria autem conseruabat omnia verba hæc conferens in corde suo.Fuit plana per humilem conuersationem,quia cum Apostolis, & cæteris mulieribus sanctis conuersabatur. Act.2. Vbi enumeratis omnibus Apostolis,in fine concludit Lucas. Hij omnes erant perseuerantes in oratione cum Maria matre Iesu.

EX TRIBVS BEATA VIRGO ASSIMILANDA est terra. Sermo CXLV.

TERRAE assimilatur Virgo Maria. Quæ quidem fuit terra bona, terra bono semine seminata, terra fœcundata, & terra ad germinandum apta.

Primò quidem fuit terra bona. Bona autem terra secundùm Virgilium cognoscitur per tria,scilicet per colorē,quia nigredo attestatur bonitati terræ. Secundo per saporem,quia si gleba terræ aqua aspergitur,& ad gustum ponitur,si est dulcis est bona, si est salsa est mala. Tertio per fossæ repletionē, quia si fossa repleta post aliquod tempus deficit mala est, si fuerit æquata erit mediocriter,si superabundauerit erit optima. Istis tribus modis cognoscitur, quòd Beata Virgo fuit

bona

bona terra. Primò per nigredinem humilitatis. Cantic. 1. Nigra sum, sed formosa. Homo qui diutius stat ad calorem Solis color eius nigrescit, & decoloratur. Christus enim qui est Sol uerus nouem mensibus in utero Virginis habitauit. Et ideo non fuit mirum si ipsam nigram, & humilem fecit, & ipsam ab omni colore mundano decolorauit. Ideo ipsa dicit. Nolite me considerare, quòd fusca sim eo, quòd decolorauit me Sol. Secundò cognoscitur fuisse bona terra per saporem, quia tota fuit dulcis, & suauis. Cantic. 6. Pulchra es amica mea suauis, & decora. Bernard. Quid ad Mariam trepidet accedere humana fragilitas nihil in ea austerum reperies, nihil terribile tota suauis est, & omnibus omnia facta est, & omnibus misericordiæ sinum aperit, ut de eius plenitudine accipiant vniuersi. Tertio cognoscitur fuisse bona terra per fossæ repletionem, quia à corde suo omnem amorem mundanum effodit, & sanctis meritis illud adimpleuit, & superabundauit. In omni enim opere suo superabundauit. Non enim tantum præcepta, non tantum consilia, sed in ipsis consilijs superabundauit. Nam consilio paupertatis addidit nihil proprium possidere, nec in speciali, nec in communi. Consilio virginali addidit seruare castitatem virginalem. Consilio obedientiæ addidit non solum obedire suo superiori, idest Deo, non solum suo æquali, idest Ioseph sponso suo, sed etiam suo inferiori, idest, Helisabeth in cuius obsequium tribus mensibus mansit.

Secundò ista terra fuit bono semine seminata. Nam Deus in agrum uteri sui seminauit semen æternum, antiquum & nouum, idest Deitatem suam, quæ est æterna, carnem suam, quę est antiqua, idest ab Adam producta, & animam, quæ de nouo fuit creata. De hijs tribus seminibus tanquam ex tribus farinis, factus est ille panis cœlestis, qui dicit. Ioan. 6. Ego sum panis viuus qui de cœlo descendi. Istud signatum est. Genes. 18. Vbi Abraham, idest Deus pater dixit Saræ, idest Virgini Mariæ. Accelera tria sata simile, & commisce, & fac panes subcineritios. Tunc enim Sara, idest Virgo Beata tria sata farinæ miscuit quando Christum existentem in hijs tribus substantijs de suis uisceribus generauit.

Tertiò ista tertia fuit fęcunda. Bona enim terra generas siue facit fructum tricesimum, melior sexagesimum, optima centesimum, Istum triplicem fructum terra virginalis protulit. Ipsa enim fuit nupta. Et quantum ad hoc protulit fructum tricesimum. Ipsa fuit vidua derelicta quando Ioseph sponsus suus defunctus fuit. Et quantum ad hoc protulit fructum sexagesimum. Ipsa fuit Virgo perpetua. Et quantum ad hoc protulit fructum centesimum. Quarto ista terra fuit apta ad germinandum. Isa. 45. Aperiatur terra, & germinet Saluatorem. Ipsa enim aperuit animum suum ad consentiendum quando dixit. Ecce ancilla Domini. Vbi dicit Bernard. Surge curre aperi. Surge per fidem. Curre per deuotionem. Aperi per confessionem, Responde verbum, suscipe verbum, profer tuum, suscipe diuinum, emitte transitorium, amplectere sempiternum. Secundo aperuit vterum ad concipiendum. Eius enim uterus fuit clausus omni viro, sed apertus Christo, ideo signatur per portam de qua dicitur. Ezech. 44. Quæ semper clausa fuit, & nullus per eam nisi Dominus introiuit. August. Quid est hæc porta clausa erit, nisi Maria, quæ semper intacta fuit. Et quid est vir non transibit per eam, nisi quia Ioseph non cognouit eam. Tertiò aperuit os suum ad benedicendum cum dixit. Magnificat anima mea Dominum. Psalm. Aperi os tuum, & implebo illud. Et bene dixit adimplebo, quia cum alias parce locuta fuerit, tamen prolixe locuta fuit, quando Deum benedixit. Econtrariò uerò nos sumus multum in verbis inutilibus prolixi, in laudando uerò Deum sumus multum auari. Quarto aperuit os suum ad miserendum. Zachar. 11. Aperi libane portas tuas. Libanus interpretatur candidatio, & signat Virginem Mariam totam pulchram, & candidam, quæ habet in se tres portas, scilicet, potentiæ, sapientiæ, & misericordiæ. Et ideo dicit portas in plurali. Quidam enim peccant per infirmitatem humanam, illis aperit portam suæ potentiæ, quia dat eis uirtutem resistendi. Alij peccant per ignorantiam illis aperit portam suæ sapientiæ, quia dat eis cognitionem sciendi. Alij peccant per malitiam, illis aperit portam suæ misericor-

diæ, quia dat eis gratiam pęnitendi. Quintò aperit manum suam ad largiendum. Prouer. vlt. Manum suam aperuit inopi. Aperuit quidem manum suam bonis, largiendo eis gratiã. Malis obtinendo misericordiam. Temperatis dando resistentiam, mortuis introducendo in gloriam. Propter ista quatuor dicitur. Maria mater gratię, mater misericordiæ, &c.

DISPENSATRIX BEATA VIRGO est triplicis thesauri Dei. Sermo CXLVI.

THESAVRARIA Dei est Virgo Maria. Habet enim Deus triplicem thesaurum, scilicet, potentiæ, sapientiæ, & misericordiæ. Thesaurus potentiæ est patris, sapientiæ filij, misericordiæ Spiritus sancti. Istum triplicem thesaurum Deus commisit dispensandum Virgini gloriosæ.

Primò quidem pater sibi commisit thesaurum suæ potentiæ intantum, quòd ipsa potenter Deum traxit, potenter diabolum contriuit, & potenter nos in gloriam introducit. Potenter quidem Deum traxit, quando virtute suæ humilitatis, virginitatis, & charitatis Deum in suum uterum uenire fecit. Magna enim potentia est vincere inuincibilem, uincere omnipotentem, superare illum quem cœli capere non poterant, & in suo utero continere. Can. 1. Cum esset rex in accubitu suo, idest in sinu patris, nardus mea dedit odorem suũ. Nardus est herba parua, & virtuosa. Inquantum est parua significat humilitatem, inquantum est odorifera significat virginitatem eius, inquantum est virtuosa significat eius virtuosam operationem. His tribus virtutibus virginis Christus electus, s. virginitate, humilitate, & charitate in eius uterum descendit. Secundò potenter diabolum contriuit. Magna quidem potentia est illum conterere. Iob 51. Non est potestas super terram, quæ comparetur ei, qui factus est, ut nullum timeret. Genes. tertio. Ipsa conteret caput tuum. Non enim solum in serpente infernali ipsa cõtriuit caudam, idest consumationem, & malum actum. Non solum corpus, idest malum consensum, sed etiam caput, idest malam

sugge-

ſuggeſtionem,& malum cogitatum,quia nunquam nec minimam cogitationem in eius cor immittere potuit. Tertiò potenter nos in gloriam introducit. Magna potentia eſt hominem tam infimum ducere ad cœlum. Iſta enim poteſtas data eſt Virgini Mariæ,vt in cœleſtem Hieruſalem animas introducat.Eccl.24.In Hieruſalem poteſtas mea.Iſta tria quando ſibi ad memoriam ueniunt magnum gaudium ſibi faciunt. Magnum gaudium habet de eo,ꝙ ſic Deum traxit, de eo ꝙ diaboli malitiam ſic euaſit, & de eo, quòd hominem ad cœlum introducit. Vnde in figura huius dicitur Iudith 3. Non permiſit me Dominus ancillam ſuam coinquinari, ſed ſine peccato, & pollutione reuocauit me gaudentem in victoria ſua,ideſt de eo, quòd ipſum per meam humilitatem deuici, quæ tamen ſua victoria eſt,quia gratia ſua adiuuante hoc feci in euaſione mea, ideſt de eo,quòd pęnitus malitias euaſi,in liberatione ueſtra.i.de eo, quòd de periculis mundi uos liberaui,& in cœlum deduxi.

Secundò filius commiſit ſibi theſaurum ſuæ ſapientiæ intantum ꝙ ipſa primo Dei cognitionem tribuit, ideo uocatur mater agnitionis.Eccl.24.Ego mater pulchrę dilectionis, &c. Secundò per mare huius mundi ſapienter nos dirigit,& ad portũ nos deducit,ideo uocatur ſtella maris. Tertiò actus noſtros ſapienter dirigit,& diſponit.Prouer.14.Sapiens mulier, ideſt Virgo beata,edificat domum ſuam, ideſt gubernat ſanctam eccleſiam.Inſipiens,ideſt Eua eſtructam quoque deſtruet manibus,quando,ſcilicet,manus ſuas ad pomum vetitum porrexit.

Tertiò Spiritus ſanctus commiſit ſibi theſaurum ſuæ miſericordiæ, & iſtum theſaurum ipſa diſpenſat largiter ſine aliqua retentione. Prouer. vlt. Mannm ſuam aperuit inopi, & palmas ſuas extendit ad pauperes. Secundò diſpenſat communiter ſine perſonarum acceptione. Vnde ipſa omnes communiter inuitat, & dicit. Tranſite ad me omnes, qui concupiſcitis me, &c. Tertiò diſpenſat uelociter ſine magna precum multiplicatione. Vnde ipſa poteſt dicere illud Iob trigeſimoprimo. Si oculus viduæ, ideſt animæ Chriſti præſentia viduatæ expectare feci, &c. Seruat enim

quod

quod dicitur Eccl.4. Cor inopis ne afflixeris, & ne protrahas donum anguſtianti. Quartò diſpenſat ſapienter, quia in maiori ſubuenit neceſſitate. Tunc enim maior eius ſentitur pietas, quando maior ſentitur neceſſitas, ideo uocatur Luna. Nā Luna eſt vicina terræ, lucet in nocte, & lucet abſente Sole. Ipſa enim eſt vicina peccatoribus, citò eis miſericordiam impendendo. Ipſa lucet in nocte aduerſitatis patientiam tribuendo. Ipſa quando Sol.i. Deus ſe abſcondit alicui lucet gratiam impendendo.

VT THRONVS MODO STAT PRO SOLIO, modo pro ordine angelico, ita Beatæ Virgini attribuitur. Sermo CXLVII.

THRONVS dupliciter accipitur.ſ. pro ſolio regali, & pro ordine ſupremę hierarchiæ, qui dicitur ordo thronum. Et quantum ad iſtas duas acceptiones virgo Maria poteſt dici thronus.

Primò quia ipſa fuit thronus.i. ſedes, & ſolium ſummi regis in ſuo utero, & nunc eſt in mundo, & erit in iudicio. Chriſtus enim fecit ipſam thronum ſuum dum eſſet in vtero ſuo. In huius figuram dicitur 3.Re.10. Fecit Rex Salomon thronum de ebore grandem, & ueſtiuit eum auro fuluo nimis. Iſte enim thronus fuit de ebore per virginitatem, & fuit de auro per feruentem charitatem, & fuit grandis per humilitatem. Nam quanto hic fuit humilior, tanto coram Deo fuit ſublimior. Chriſtus igitur requieuit in eius virginitate, qa diligit munditiam, requieuit in eius charitate, quia diligit fraternā concordiam, requieuit in eius humilitate, quia diligit mentē tranquillam. Secundò ipſa eſt thronus Dei peccatoribus, qui ſunt in mundo. Ideo dicitur Heb.4. Accedamus cum fiducia ad thronum gratiæ. Aliqui peccant ex amore malę inflammatæ ſicut Dauid., qui malo amore inflammatus in adulterium cecidit. Et ſicut Matthæus, qui terrena cupiditate allectus illicita lucra exercuit, iſti ad iſtum thronum accedentes inueniunt miſericordiam, ideo ſubdit. Vt miſericordiam conſequamur. Alij peccant ex ignorantia, & cęcitate ſicut Apo-

ſtolus,qui dicit. Ignorans feci in incredulitate. Iſti ad iſtum thronum accedentes inueniunt gratiā.Et ideo ſubdit. Vt gratiam inueniamus in tēpore opportuno. Tertiò ipſa erit thronus Chriſti in iudicio, & hoc quantū ad illos,qui erūt à dextris. Solus Chriſtus iudicabit.Apoc.12.De throno procedent fulgura,& uoces,& tonitrua. Ipſe enim Chriſtus omnes citabit dicens. Surgite mortui uenite ad iudicium. Et talis citatio dicitur tonitruum, qui non expergiſcitur,non dormit;ſed mortuus eſt. Citatos examinabit dicens. Eſuriui,& non dediſtis mihi manducare,&c. Vltimò contra ſic citatos,& examinatos ſententiā fulminabit dicens. Ite maledicti,&c.Et iſtud eſt fulgur,quod de throno ꝓcedit. Illi vero qui erunt à dextris ad Virginem glorioſam,tanquam ad thronum gratiæ,& miſericordiæ confugient.Pſal.Thronus eius ſicut Sol in conſpectu meo. Ipſa.n. in iudicio exiſtens erit ſicut Sol coram Deo, quia præ cęteris habebit maiorem ſplendorem,& maiorem calorem gratiæ. Et erit ſicut Luna perfecta, quia contra tam tenebroſam Dei indignationem erit deuotis ſuis ad lucē & conſolationem. Et erit ſicut teſtis fidelis,quia coram filio ſuo bonum teſtimonium perhibebit. Vnde dicit eccleſia.Recordare virgo mater dum ſteteris in conſpectu Dei,ut loquaris pro nobis bona, & ut auertas indignationem ſuā à nobis. Sicut Sol refulgendo,ut loquaris pro nobis bona,ſcilicet,pro nobis apud tuum filium teſtimonium perhibendo,& ut auertas indignationem ſuam à nobis ipſum reconciliando.

Secundò dicitur thronus ex eo, ꝙ habet proprietates Angelorum, qui throni dicuntur, quæ quidem ſunt ſex ſecundū beatum Diony. Prima eſt maxima celſitudo, quæ B. Mariæ conuenit, quæ ut dicitur Eccl.24. Ego in altiſſimis habito,& thronus meus,&c. Ipſa enim habitat in altis,quia ſuper omnes ſanctos eſt exaltata.Habitat in altioribus, ꝗa ſuper omnes Angelos eſt ſublimata. Habitat in altiſſimis,quia à dextris filij eſt collocata. Vnde dicitur in figura 2. Reg.2. Poſitus eſt thronus matris regis, quæ ſedet ad dextram eius. Secunda proprietas thronorum eſt regis circundatio, quæ ſibi conuenit. De qua dicitur Hiere. 31. Nouum faciet Dominus ſuper terram fœmina circundabit virum. Vbi triplex nouitas

notatur

notatur. Prima est, quia circundat.i. sine corruptione generat. Ber. Illud.n.est circũdatum, quod est ex omni parte clausum. Secunda est, quia circundat virum Ber. Si dixisset infantem, vel paruulum, nec nouum uideretur nec mirum, quia vir erat Iesus necdum natus sapientia non ætate, non corpore, sed animi vigore. Dicitur.n. vir non pp ętatem, sed pp sapientiæ plenitudinem quam habuit ab instanti cõceptionis. Tertia est, quia dr̃ super terram. Ecclesia quidem quotidie generat filios in cœlo sine corruptione, & cum gratię plenitudine vbi obitus sanctorum dicitur natale, quia tunc sancti nascũtur in cœlo. Et istud non est nouum. Sed ꝙ ista talis generatio fiat super terram, istud est omnium nouorum nouissimũ. Tertia proprietas thronorum est stabilis collocatio, & ista proprietas conuenit beatæ Mariæ similiter, quæ fuit stabilis filio in vita, in morte, & post mortem. Nam in vita stabilis fuit per amorem, quia nunquam ab eius amore discessit. In morte fuit stabilis per associationem, quia iuxta crucem suam semper stetit. Et post mortem fuit stabilis per fidem, & per amorem. Non enim sicut Apostoli, qui discesserunt à fide, sed non ab amore, nec a sancta societate sicut sanctæ mulieres, quæ semper iuxta crucem steterunt. Virgo autem beata immobilis semper stetit, & in fide, & in amore, & in societate. Quarta proprietas thronorum est regis susceptio, & ista etiam conuenit beatæ Mariæ, quæ excellentiori modò Christum suscepit. Omnes.n.tam boni quàm mali suscipiũt Christum per præsentiam, & essentiam. Boni verò suscipiũt per inhabitantem gratiam. Virgo autem beata Christũ suscepit per gratię plenitudinem in mente, & per pręsentiã corporalẽ in uentre. Quinta proprietas thronorum est regis dilatio & ista similiter conuenit B. Mariæ, quę Christum de cęlo detulit. Iõ vocatur ferculum à ferendo. Cant. 5. Ferculum fecit sibi Rex Salomon, &c. Vocatur & nubes. Isaiæ 19. Ascendet dominus super nubẽ leuem, & ingredietur in Aegyptũ. Ipsa enim tanquam pluuiam salutarem compluit. Isa. 45. Nubes pluant iustum. Vocatur etiam nauis. Prouerb. ultimo. Facta est quasi nauis institoris de longe portans panem suum. Sexta proprietas thronorum est familiaris appari-

tio,& ista similiter cōuenit beatæ Mariæ. Familiarius enim, & apertius sibi Christus mysterium incarnationis reuelauit, quam cæteris sanctis, vel etiam angelis. Nam Salomon dixit se illud ignorare Prouerb. 30. Tria sunt mihi difficilia, & quartum penitus ignoro, quod est via viri in adolescentia. Ioannes etiam Baptista se non sufficere soluere corrigiam calciamenti eius, idest, exponere profunditatem tanti mysterij. Gabriel etiam de modo requisitus ipsum non exposuit, sed ad Spiritum sanctum remisit dicens. Spiritus sanctus superueniet in te, &c. Bern. super Missus est. Ac si dicat Angelus. Quid à me requiris, quod in te mox experies. Sciens, scies, & fœliciter scies, sed illo doctore quo & actore: Ego sum missus nunciare virginalem conceptum non creare. Virgo autem Maria non tantum illud mysterium sciuit per infusam sapientiam, sed maxime per experientiam. Ber. Qualiter ille, idest, splendor inaccessibilis virgineis se infuderit uisceribus soli datum est scire cui datum est experiri.

CVM BEATA VIRGO TVRBATA EST IN *salutatione Angeli, quæ consideranda ueniant.* Sermo CXLVIII.

TVRBATA est Maria in sermone, & cogitabat qualis esset ista salutatio. In his uerbis ex parte Virginis ponuntur duo. s. eius turbatio, & eius prudens cogitatio. Ex parte angeli ponuntur alia duo. s. angelica cōfortatio, & nascituri filij commendatio.

Primò igitur ponitur Virginis perturbatio cum dicitur. Turbata est in sermone eius. Non est turbata turbatione impatientiæ, sed turbatione pudoris, timoris, & admirationis. Est ergo turbata, idest, verecundata, vel expauefacta, vel admirata. Primò igitur est turbata, idest, verecundata. Angelus quidem sibi apparuit in forma iuuenis pulcherrimi. Non enim sibi apparuit in ætate senili, quia illa ætas dicit defectum in virtute, & sensu, nec apparuit in ætate puerili, quia licet illa ætas dicat nouitatem, tamen dicit imperfectionem,

nem. Et ideo fuit conueniens, vt in ætatæ iuuenili, & mediocri appareret, quia illa ętas dicit nouitatem, & perfectionem, & ille uenerat nunciare illum, qui nouus erat quantum ad humanitatem, & perfectus quantum ad diuinitatem. Beata igitur Virgo illum pulcherrimum iuuenem videns, & nō cognoscens eum angelum esse, & se solam cū eo in thalamo vidēs fuit nimis turbata i. uerecundata. Hiero. ad Eustochium. Maria tantæ puritatis extitit, vt mater dñi esse meret tur, ad quam cum Gabriel Angelus in viri specie descendisset consternata, & perterrita respondere non potuit. Nunquam. n. à viro aliquo fuerit salutata. Ambrosius super Lucam. Trepidare quidem virginum est, & ad omnes virorum ingressus pauere, omnes eorum affatus vereri. Discant ergo mulieres propositum pudoris imitari. Disce virgo verborum vitare lasciuiam. Maria etiam angeli verebatur salutationem. Bernard. super Missus est. Solent virgines quæ verè virgines sunt esse pauidæ, & vt timenda caueant etiam tuta pertimescere. Proinde quicquid nouum, quicquid subitum fuerit totum suspicatur insidias totumque extra se reputant machinatum. Secundò fuit turbata. i. expauefacta. Angelus quidem cum luce, cum candida, & luminosa veste sibi apparuit, & ideo ex tali fulgore expauefacta fuit. Non enim venit Angelus in veste nigra, sed fulgida, & candida. Quod quidem conueniebat triplici ratione s. ratione annunciantis, quia candor vestimenti designabat fulgorem, & claritatem angeli. Secundò ratione annunciati, quia annunciabatur ille, qui est candor lucis æternæ, & speculum sine macula. Tertiò ratione illius cui fiebat annunciatio, quæ fuit tota candida, & ab omni peccato penitus aliena. Cuius conceptus fuit purissimus, & partus mundissimus. Beata igitur Virgo vidēns angelum cum tanta claritate venientem, & cū tam fulgida veste fuit turbata. i. expauefacta. Vnde cantat ecclesia. Et expauescit Virgo de lumine. Tertiò fuit turbata. i. nimis admirata. Et maxime de duobus. Primò de eò quòd Angelus clauso ostio intrauit. Ber. vbi supra. Non est suspicandum, quòd angelus apertum inuenerit Virginis ostiolum cui nimirum erat in proposito frequentias hominum fugere,

colloquia uitare, ne uel orantis silentium turbaretur, uel continentis castitas tentaretur. Nec fuit ei difficile per ostiolũ clausum Virginis abdita penetrare, cui utiq. ex naturæ suæ subtilitate; ꝙ licet corpus quantũcunq; solidũ, uel spissum peruium est ac penetrabile. Secundò admirata fuit de eo ꝙ tam nouam, & inauditam salutationem sibi fecit. s. ꝙ Deus debebat esse secum non tantum in mente per gratiam, sed etiam in ventre per susceptam naturam humanam. Petrus Rauen. Quamuis motu blando, affectu pio Virginem sibi Deus in matrem, famulam sibi verteret in parentem, viscera tamen eius turbata sunt, ipsa quoq; conditio cum eius conditor Deus quem tota creatura non capit, totum intra Virginis pectus se recipit. Nam vt angelum vidit eius mens contremuit, & in eius ingressus sensit deitatis ingressum.

Secundò ponitur ipsius Virginis prudens cogitatio cum dicitur. Cogitabat qualis esset ista salutatio. Circa quattuor versabatur eius consideratio. Primò circa salutantis qualitatem vtrum. s. esse bonus nuncius, vel non. Sciebat enim quòd diabolus se in angelum lucis sæpe transfigurat, sed tamẽ Dei reuelatione statim cognouit, quia erat bonus angelus, & specialis Dei nuncius. Bernard. vbi supra. Sciebat nempe Virgo prudens, quòd frequenter angelus Sathanæ sæpe se in angelum lucis transfigurat. Sed quia simplex, & humilis erat nil tale de sancto angelo penitus æstimabat de ipso angelo. Et ideo qualis esset ista salutatio cogitabat. Secundò eius salutatio versabatur circa salutantis nouitatem, quia nunquam auditum est à sæculo, quòd aliqua fœmina ab aliquo angelo sit uocata benedicta, uel plena gratia. Et ideo talis nouitas verborum eam quodammodo turbauit, & eam in admirationem adduxit. Petrus Rauennas. Angelus venerit in specie blandus, in sermone terribilis humana proferens, diuina promittens. Vnde & Virginem quam leniter sollicitauit visus, turbauit auditus. Augustinus in sermone de Annunciatione. Post illius benedictionis præsagium terretur Virgo nouitate verborum. Tertio eius cogitatio uersabatur circa suam indignitatem; quia non reputabat se dignam Angeli uisione, & salutatione. Ber. vbi supra.

supra. Nimirum indignam sese angelica salutatione, & visione reputabat, & forsan in mente talia meditando voluebat. Vnde hoc, vt angelus domini ueniat ad me? Quartò eius cogitatio uersabatur circa Dei bonitatem, quæ tanta erat, quòd per ipsam humanum genus saluare, & redimere disponebat. Bernard. vbi supra. Vt quid Virgo debitam tibi dixeris gratiã Angelorum, quæ inuenisti gratiam apud Deum. Inuenisti quæ ante te inuenire nemo potuit, gratiam videlicet apud Deum. Quam gratiam? Dei & hominum pacem, mortis destructionem, uitæ reparationem. Hieronymus in sermone de Assumptione. Hæc est quæ cœlis gloriam dedit, Deum terris, gentibus fidem, vitijs finem, uitæ ordinem, moribus disciplinam. Ista quatuor diligenter reuoluens in corde suo noluit statim respondere, sed cogitabat qualis esset ista salutatio. Petrus Rauennas. Cito nanque respondere fatuitatis est humanæ, cogitare verò ponderis est maximi, & iudicij permaturi. Bernard. vbi supra. Turbata est, sed non perturbata. Quod ergo turbata est fuit verecundię virginalis, quòd uerò non perturbata, fuit fortitudinis, quòd verò tacuit, & cogitauit prudentiæ. Turbatus sum, inquit, Propheta, & non sum locutus, & cogitaui dies antiquos. Sic Maria turbata est, sed non fuit locuta, sed cogitabat qualis esset ista salutatio. Ex parte verò angeli duo ponuntur.

Primò eius confortatio cum dixit. Ne timeas Maria, &c. In hoc enim cognoscitur Angelus bonus à malo, quia bonus Angelus in principio terret, in medio confortat, in fine lætificat. Ideo iste Angelus in principio Virginem terruit, quando ipsa turbata fuit. In medio confortauit, quando dixit, ne timeas Maria. In fine lætificauit, quando grauidam de Dei filio dereliquit. Angelus uerò malus, quando se in angelum lucis transfigurat, in principio multum terret, in medio diuersis tentationibus multum conturbat, in fine verò multum contristat. Et quoniam Deus illa quattuor uidetur Angelo reuelasse, circa quæ cogitatio Beatæ VIRGINIS uersabatur, ideo Angelus ad illa quattuor per or-

dinem respondit. Primò enim eius cogitatio uersabatur circa salutaris qualitatem, utrum, scilicet, esset bonus angelus, uel non: Ideo dixit sibi: Ne timeas Maria, nihil hic doli, uel fallaciæ, nullas hic insidias suspiceris. Non sum homo, sed spiritus, non Sathanæ, sed angelus Dei. Secundò uersabatur eius cogitatio circa salutationis nouitatem, quia multum mirabatur, quòd Angelus plenam gratia uocauerat cum hoc nunquam auditū foret. Ideo dixit ei Angelus. Inuenisti gratiam apud Deum. Vt dicit Petrus Rauennas. Ne timeas Maria. Timet siquidem non qui inuenit, sed qui perdit. Quid ergo timet, qui securitatem concipit rerum, parit gaudia sæculorum. Timor non est ubi diuinum negocium est non humanum. Quid timet Maria cui iudex est causa assertor integritas, testis innocentia? Tertiò uersabatur eius cogitatio circa suam indignitatem, quia non reputabat se dignam Angeli visione, vel salutatione. Ad quod respondet Angelus dicens. Ecce concipies, & paries filium. Ac si dicat. Quæ concipies Dei filium digna es proculdubio videre Angelum. Quæ es mater Dei, digna es salutari ab Angelo Dei. Bernardus super Missus est. Ne timeas Maria. O si scires quantum tua humilitas altissimo placeat, quanta de te apud ipsum maneat sublimitas, angelico te indignam, nec alloquio, nec obsequio iudicares. Non mireris Maria, quòd Angelus ad te uenit, nam & maior Angelo uenit. Non mireris Angelum dominicum, nam & Dominus angeli tecum. Postremò quidem Angelum videas, cum iam angelicè viuas.

Quartò uersabatur eius cogitatio circa Dei bonitatem, quæ tanta erat, quòd per ipsam Dominus humanum genus saluare disponebat. Et istam suam cogitationem Angelus approbat, dicens. Vocabis nomen eius Iesum, Hebraicè, Sother Græcè, Latinè Saluator dicitur. Hoc enim nomen est, quod cæcis visum, surdis auditum, claudis gressum, mutis sermonem, uitam mortuis dedit, totamque diaboli potestatem de obsessis corporibus virtus huius nominis effugauit.

Secundò

Secundò ponitur ex parte angeli filij nascituri commendatio cum dicitur. Hic erit magnus,& filius altissimi vocabitur. Dicitur enim Christus fuisse magnus, & paruus. Nam dicitur fuisse maior angelo,& minor. Maior iuxta illud.Heb. 1. Tanto melior angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hæreditauit. Minor iuxta illud Psalm. Minuisti eum paulominus ab angelis. De Domino enim Iesu Christo est loqui secundùm quatuor modos. Primo de ipsa persona ratione diuinæ naturæ, & quantum ad hoc ipse est maior angelis, & Rex,& Dominus angelorum. Secundo de persona ratione humanæ naturæ, & quantum ad hoc potest dupliciter considerari, vel secundùm quòd ipsa natura humana est vnita diuinæ, & iterum maior est omnibus angelis, vel secundùm quòd consideratur in se circunscripta diuinitate, & secundùm hoc est minor singulis. Quantum ergo ad primos tres modos maior est angelis, & sic intelligitur uerbum Apostoli qui dicit. Tanto melior, &c. Quantum vero ad quartum modum est minor angelis, & secundùm hoc intelligitur verbum Prophetæ qui dicit. Minuisti eum paulominus ab angelis.

PVLCHRA SVNT, QVAE CONVENIUNT, *vt vas Dei dicatur Beata Virgo.* *Sermo* CXLIX.

VAS Dei fuit Virgo maria. Fuit enim vas purum, & nouum, vas profundum, vas solidum, vas admirandum, vas admirabile, & vas aromaticum.

Primo igitur fuit vas purum, & nouum. 3. Regum 2. Afferte mihi vas nouum,& mittite in illud sal. Istud autem vas nouum fuit vterus virginis, qui fuit nouus, quia ab omni uetustate culpæ fuit penitus mundus. In istud vas sal sapientiæ fuit missum, quando Christus qui est Dei sapientia in eius uterum intrauit. Non solum autem istud vas fuit nouum, & purum, sed etiam purissimum. Prou. 25. Aufer rubiginem de argento, & egredietur vas purissimum. Triplex enim rubigo genus humanum occupauerat. Prima est rubigo culpæ

originalis. Psal. Ecce enim in iniquitatibus cōceptus sum, &c. Ista rubigo ab ipso vase Dei fuit ablata in sui sanctificatione, quando, scilicet in vtero matris fuit sanctificata. Psalm. Sanctificauit tabernaculum suum altissimus. Secunda est rubigo culpæ actualis. Prouer. 20. Quis potest dicere mundum est cor meum ? purus sum à peccato ? Ista rubigo fuit ab ipso vase Dei ablata in Spiritus sancti superuentione, & filij Dei cōceptione. Quamuis enim nunquam venialiter peccauerit, tamen ex tunc peccare nō potuit, Spiritu sancto ab ea liberum arbitrium non auferente, sed in bono confirmante. August. in libro de natura, & gratia. Excepta Dei genitrice Maria si omnes sancti, & sanctę Dei dum adhuc viuerent interrogati fuissent vtrum sine peccato essent, omnes vna voce clamassent. Si dixerimus quia peccatum non habemus ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est excepta inquam Sancta Virgine, de qua cum de peccatis agitur propter honorem Dei nullam prorsus volo quæstionem habere. Tertia est rubigo pęnalitatis, quia multæ pęnalitates tam mentales, q̃ corporales hominem circundat propter quod clamat Apostolus. Rom 7. Infęlix ego homo, quas me liberabit de corpore mortis huius ? Ista rubigo fuit ab ipso uase ablata in sui Assumptione, quia tunc corpus suum induit immortalitatem, & anima impassibilitatem. Potest igitur esse uerbum patris ad Spiritum sanctum, vt sibi dicat de argento, idest de corpore, & animæ Mariæ fulgido. Aufer rubiginem culpæ originalis, & egredietur uas purissimum. Aufer omnem rubiginem omnis culpę actualis, & egredietur uas purissimum, aufer omnem rubiginem omnis pęnalitatis, & egredietur uas purissimum. Secundo fuit uas profundum, quia per profundam humilitatē, & ideo profundè meruit Dei gratia adimpleri. Cor nostrum est uas quod tunc profundè foditur, quando homo profundè humiliatur. Sed sunt quidam quorum cor tantum cauatur, & foditur in superficie, quia habent solū humilitatē in ore, & in exteriori cōuersatione, superbiam uero in corde. Eccl. 24. Est qui nequiter se humiliat, & interiora eius plena sunt dolo. Alij sunt qui habent cor fossum & concauum usq; ad medium, sicut sunt serui Dei, qui sic humiliantur exterius

in signo conersationis, sic interius humiliantur in medio cordis. De quibus dr. Mich. 6. Humiliatio tua in medio tui. Nullus unquam fuit qui ita cor concáuum habuerit .i. usque ad fundum qui se humiliauerit sicut Christus, & B. Virgo. Illę. n. profundè se humiliat qui inferius descendere non pōt, sicut fecit Christus quando descendit ad susceptionem nostræ naturæ, & usque ad tolerationem pœnæ. Phil. 2. Exinaniuit semetipsum, &c. Sic etiam B. Virgo non potuit se profundius humiliare cū esset mater Dei dixit se ancillam, & pedissequā Dei. Et quia profundius humiliauit se quàm aliqua creatura, ideo tantam gratiam recepit quantam aliqua pura creatura recipere non potuit. Tertiò fuit uas solidum, quia nunquam frangi potuit. Eccl 50. Quasi uas auri solidum ornatū omni lapide precioso. Cæterę mulieres franguntur in conceptu per uiolentiam, franguntur in partu per dolorem, & afflictionem, franguntur in uia per multorum peccatorum perpetrationem, quia quodlibet peccatum frangit cor humanum. Eccles. 21. Cor fatui quasi uas confractum, omnem sapientiam non tenebit, Franguntur in obitu per incinerationem. Virgo autem Maria fuit uas solidū, quia in suo conceptu habuit integritatem, in partu iocūditatē, in uita peccati immunitatē, in obitu induit immortalitatem. Quartò fuit uas admirādū. Eccle. 41. Vas admirabile opus excelsi. Si n. esset aliquod uas quod maius seipso contineret illud esset uas mirabile. Rursus si esset aliquod uas, quod uinum, & aquam sine aliquo medio simul contineret, & tamen nulla commixtio fieret, illud esset uas mirabilissimum. Tale uas fuit Virgo Beata, quia illud quod in utero suo continebat maius seipsa erat. Vnde dicit August. & cantat Ecclesia. Sancta & immaculata uirginitas quibus te laudibus efferam nescio, quia quem cœli capere non poterant tuo gremio contulisti. Ipsa enim existens clausa conceptum filij Dei recepit. Existens clausa similiter in partu ipsum effudit. Ideo uocantur. Cant. 4. Hortus conclusus fons signatus. Ipsa etiam in uase sui uteri habuit uinū diuinitatis, & aquam humanitatis, & tamen nulla facta est commixtio, seu confusio naturarum. Vnde cantat Ecclesia. Deus homo factus, id quod fuit permansit, & quod non erat

assumpsit, non commixtionem passus, neque diuisionem. Quintò fuit vas aromaticum. In eius enim vtero, & animo fuerunt omnes species aromatum omnium virtutum, de quibus ipsa dicit. Eccles. 24. In me omnis gratia vitæ, & veritatis, in me omnis spes vitæ, & virtutis. Nam ibi est species aromatica, quę viuificat mortuos, ideo dr̃. In me oĩs gratia vitæ. Ibi est alia, quæ illuminat cæcos. Et ideo dr̃. Et veritatis. Ibi est alia, quæ sanat infirmos. i. desperatos. Ideo dr̃. In me oĩs spes vitæ. Ibi est alia, quæ corroborat, & confirmat debiles, & languidos. Ideo subditur, & virtutis. In isto etiam vase continentur vnguenta contra omnes infirmitates. Nam ibi est vnguentum quod deprimit tumorem superbiæ. s. consideratio suæ humilitatis. Aliud est ibi quod extinguit sitim auaritię. s. consideratio suæ paupertatis. Aliud est ibi, quod expurgat immunditiam luxuriæ, scilicet consideratio suæ virginitatis.

BEATAE VIRGINIS VBERA VT EIVS *pietatem notant, ita spiritualia dicuntur.*

Sermo C L.

VBERA spiritualia habet Virgo Maria, quæ sunt eius pietas, & charitas quibus nos consolatur, & nutrit, iuxta illud. Isa. 46. Satiemini ab vberibus consolationis vestræ. Habent enim vbera vim attractiuam, conuersiuam, & effusiuam. Primò quidem habent vim attractiuam cum sint spongiosa, & porrosa. Eodem modo ubera B. Mariæ habent vim attractiuam, quia nós ad se, & ad Deum trahunt. Sunt autẽ quatuor, quæ naturaliter attrahunt. s. simile, calidum, & quędam proprietates rerũ sicut patet in adamante, & vacuum. Ista quatuor inducunt Virginem Mariam, vt p̄ vbera suæ charitatis nos ad se trahat. Propter ista quatuor possumus sibi dicere. Aperi mihi soror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea. Primo quidem quod attrahit est simile. Et ideo ipsa debet nos attrahere per similitudinem naturæ, ideo dicitur. Soror mea. Eccles. 13. Omne animal diligit sibi simile. Eph. 5. Nemo unquam carnem suam odio habuit, sed nutrit, & fouet eam. Secundum quod attrahit est calidum,

lidum, & ideo ipsa debet nos attrahere propter calidum charitatis intimè, ideo dicitur. Amica mea, idest quæ me intimè diligis, & quam ego intimè diligo. Cant. 7. Ego dilecto meo .s. intendo per amorem, & ad me cōuersio eius. Idē. Dilectus meus mihi, & ego illi. Tertium quod attrahit est proprietas naturalis, & ideo ipsa debet nos attrahere propter pietatem suæ misericordiæ. Sicut enim Domino semper proprium est misereri semper, & parcere, sic etiā & ipsi Dominæ, ideo subditur. Columba mea. Sicut enim columba caret felle, sic & ipsa non habet fel amaritudinis, sed tota plena est dulcedine pietatis. Cant. 1. Meliora sunt ubera tua uino. Vbera Euæ fuerunt plena uino, scilicet sententia mordacis iustitiæ, sed ubera Mariæ fuerūt meliora, quia plena sunt lacte dulcis misericordiæ. Quartum quod attrahit est uacuum, & ideo debet nos attrahere per uacuūm humilitatis profundè, ideo subditur. Immaculata mea. Ipsa enim omnino euacuauit se à maculis mundi, & maximè à macula superbiæ. Sicut enim superbia facit cor inflatum, sic & humilitas facit cor uacuum, & à tali uacuitate debemus attrahi nostræ Reginæ, scilicet, ut non alta, sed humilia sentiamus. Secundò ubera habent uim conuersiuam. Sunt enim posita in pectore, ut cordi sint uicinia, ut sic per calorem cordis fiat decoctio sanguinis, & ad materiam lactis facilius conuertatur, ideo dicitur lac esse sanguis bis coctus, semel in uenis, semel in mamillis. Istam uim conuersiuam habent ubera Beatæ Virginis Mariæ. Faciunt enim in nobis quatuor conuersiones propter quas ipsa dicit. Ecclesiastic. 24. Ego mater pulchræ dilectionis, & timoris, & agnitionis, & sanctæ spei. Primo nanque per ubera charitatis, & pietatis ipsa conuertit frigus nostrum in calorem, quando expellit torporem à nobis, & introducit calorem diuini amoris. Secundo conuertit cor nostrum à mœrore in gaudium, & delectationem, quando, scilicet, aufert tristitiam sæculi, & dat timorem Dei, scilicet, timorem filialem, qui quidem est delectatio cordis iuxta illud. Ecclesiastic. 1. Timor Domini delectat cor, & dabit gaudium, & lætitiam in longitudine dierum, ideo sequitur. Et timoris. De ista delectatione dicitur.

Isa. 15. Delectabitur infans ab urbe. Tertiò conuertit tenebras nostras in lucem, quando scilicet, expellit ignorantiam, & errorem, & dat ueram Dei cognitionem, ideo subditur. Et agnitionis. Isa. 45. Mamilla regum delectabilis. Reges fuerunt Apostoli, & sacri expositores, horum regina fuit Virgo Maria. Tunc igitur uerborum regum mamillam lactamus, quando eorum sacris doctrinis, meritis, & exemplis, in Dei cognitione erudimus, Quartò conuertit tempestatem in trāquillitatem, quando scilicet, aufert dubietatem uacillautem, & dat spem animum tranquillātem, ideo subditur. Et sanctę spei. Spem enim animæ firmat, & tranquillat, iuxta illud Hebræ 6. Confugimus ad tenendam nobis spem, quam sicut anchoram habemus tutam ac firmam. Istam spem propheta ab uberibus virginis se gloriabatur recepisse dicens. Spes mea ab uberibus matris meæ.

Tertiò ubera habent vim effusiuam, quia lac effundunt. Est autem lac candidum, nitidum, frigidum, & pingue, & significat quatuor beneficia, quæ recipimus ab uberibus charitatis Marię. De qbus dicit Thro. 4. Candidiores Nazarei eius niue, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, saphiro pulchriores. Est igitur lac candidum, quia Nazarei, idest eius deuoti ab ipsa recipiunt candorem innocentiæ, ideo dicitur. Candidiores Nazarei eius niue. Secundò lac est nitidum, quia ab ipsa accipiunt nitorem munditiæ, ideo subditur. Nitidiores lacte. Tertiò lac est naturæ frigidæ contra ęstum, qa ab ipsa recipiunt refrigerium contra ęstum concupiscentiæ, ideo subditur. Rubicondiores ebore antiquo. Ebor enim est est naturæ frigidæ. Quartò lac est pingue, quia ab eius uberibus recipimus pinguedinem deuotionis internæ, ideo subditur. Saphiro pulchriores. Saphirus enim habet colorem ethereum, ideo significat cœleste desiderium.

EA REFERVNTVR DE BEATA VIRGINE, quæ item de uellere. *Sermo CLI.*

VELLVS significat Virginem Mariam propter quinque causas.

Primò

Primò quia uellus est de carne, sed sine corruptione carnis decisum, sic etiam Christus natus est de Virginis carne, sed sine carnis corruptione. Quid Gedeonis uellus, quod utique de carne, sed sine carnis vulnere decisum in atea ponitur nisi carnem assumptã de carne virginis, & sine detrimento virginitatis. Amb. Maria rectè uelleri comparatur, quæ Dñm ita concepit, ut cum toto hauriret corpore, nec eiusdem corporis scissuram pateretur, sed etiam mollis ad obsequium, solida ad sanctimoniam, Quanuis igitur uellus sit de corpore, nescit tñ corporis passionis, quia licet Maria fuerit in carne, tamen vitia carnis nesciuit, nec unquam aliquam corruptionem sensit, sed semper impolluta, & illibata permansit.

Secundò dicitur, ꝙ fuit rore Spiritus sancti perfusa, hoc significatum est Iudic. 6. Vbi dicitur, ꝙ uellus impletum est rore area sicca remanente quod Gedeon expressit, & conchã impleuit. Vellus quidem bibulus est, & multum roris recipit, sed expressum leniter effundit. Cor enim Virginis erat bibulum, i. ualde sitibundum ad rorem Spiritus sancti recipiendũ, & ideo præcipuè meruit plenitudinem gratiarũ. Petrus Rauen. Ille cœlestis imber illapsu placido se in virgineum uellus effudit. Ber. Totaq; diuinitatis unda bibulo se nostrę carnis in uellere se collocauit, donec patibulo crucis pressa terris omnibus pluuiam salutis effunderet, ac uitalibus partita stillicidijs, fidei germina irrigaret. Quia igitur istud uellus virgineum sic est plenum, ideo potest tam leui desiderio tangi quin statim impleat concham, idest animam nostram.

Tertiò dicitur, quòd fuit cœlesti pluuia madida. Psalm. Descendit sicut pluuia in uellus. Plane cœlestis imber virgineum uellus infudit, & tota diuinitatis unda in carne se contulit, ac demum crucis per patibulum extersum expressit omnibus terris pluuiam salutis, ac humanis mentibus stillicidia gratiæ præstitit.

Quartò dicitur uellus, quia ad instar uelleris fuit tincta, maximè colore rubeo, & sic eius caro effecta est purpura cœlesti Imperatore solummodo digna. Alcuinus in hbr. de tri. B. Maria lana mũdissima fuit, & virginitate clarissima, quæ

sola

rat Spiritus ſanctus, totam incanduerat diuinus amor, ita ut in ea nihil eſſet, qđ mundanus uiolaret affectus. Sicut enim aurum ad pręſentiam ignis liqueſcit, ſic & eius anima ad pręſentiam ignis diuini tota liquefacta fuit. Can. 5. Anima mea liquefacta eſt. Secundò continebat ſplendorem diuinum, & ideo tota fuit illuminata. De quo ſplēdore dicit᷑ Heb. 1. Qui cum ſit ſplendor gloriæ, &c. Sol enim iuſtitiæ ipſam nouem menſibus induit, & ideo totam ſplendidam fecit. Apoca. 12. Mulier amicta ſole. Tertiò continebat theſaurum ſapientiæ, & ideo tota fuit ſapientifica. De quo theſauro dicitur Coll. 2. In quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ Dei abſcōditi. De iſto theſauro ſapiētiæ effudit flumina doctrinarū. Eccl. 24 Ego ſapientia effudi flumina. Et quia ſic eſt ſapientifica, ideo ſic ſapienter eccleſiam Dei diſponit. Prouer. 14. Sapiens mulier ędificauit domum ſuā. Quartò continebat fontem miſericordiæ, & ideo totā fuit piiſſima, de quo fonte dr̄ Gen. 2. Fons egrediebat᷑ de loco uoluptatis. De iſto fonte ſuæ gratiæ, & miſericordiæ hauriunt illi, qui ſunt in via ad aliquā ſuauitatem. Hauriunt illi qui ſunt in patria ad plenam ſatietatem. Can. 5. Bibite amici mei, & inebriamini chariſſimi. Quintò continebat niueum candorem, de quo dicitur Sap. 7. Candor enim lucis æternæ, & ſpeculum ſine macula. Et ideo remanſit ibi puritas. Can. 4. Tota pulchra es amica mea. Anſelmus. Decebat vt Virgo beata ea puritate niteret, qua ſub Deo maior nequit intelligi. Sextò continebat diuinum odorem, de quo dicitur Eccl. 24 Ego quaſi vitis fructificaui ſuauitatem odoris. Et ideo remanſit ibi mira ſuauitas, ideo adoleſcentulæ clamant, & dicunt. Trahe me poſt te, ideſt odorē vnguentorum tuorum currimus. Septimò continebat ſuauē dulcorem, illum, ſcilicet, qui dicit ibidem. Spiritus meus ſup mel dulcis, & hæreditas mea ſuper mel, & fauum. Et ideo remanſit ibi mira pietas ideo uocatur mater gratiæ, & mater miſericordiæ.

Secundò eius uenter dicitur beatus ratione ipſius uentris continentis. Ipſe quidē uenter primo fuit thalamus Chriſti. Pſ. Ipſe tanquā ſponſus procedens de thalamo ſuo. Eccle. 24. Qui creauit me requieuit in tabernaculo meo. Secundò fuit

habita-

habitaculum Spiritus sancti, vnde dixit ei Angelus. Spiritus sanctus superueniet in te. Verè superuenit, quia super omnem creaturam in eam uenit, uerè superuenit, quia desuper miraculosè concepit, verè superuenit, quia ipsa os cordis, non infra, sed desuper habuit. Tertiò fuit apotheca carismatum, quia Deus ibi reposuit medicinas contra omnia genera infirmitatum. Eccl. 38. Altissimus de terra creauit medicinam. Eiusdem 43. Medicina omnium in festinatione nebulę. Hoc est in Christi carne purissima festinata, qa citò decisa, & in corpus formata. Ber. Apotheca est Maria omnium gratiarum, in qua cœlestis pigmentarius cum omnibus suis vnguẽtis se collocauit, cum omnibus delitijs accubuit. Quartò fuit fons omnium gratiarum. Can. 4. Fons hortorum, &c. Alij fontes hauriunt aquam ab inferiori, & redundant ad superius, iste autem fons cœlestis aquas suarum gratiarum haurit à superiori, qa monte libani, i. ab altitudine Trinitatis, & fluit ad nos inferios per dona suæ largitatis. Quintò fuit aceruus tritici, & liliorũ. Cant. 7. Venter tuus sicut aceruus tritici uallatus lilijs. Eius enim uenter fuit uallatus illo tritico, de quo dicitur Io. 12. Nisi granum frumenti cadens in terram, &c. Quod quidẽ fuit ad instar tritici. Aceruus enim tritici in imo est latus, in summo angustus, in medio autem nec nimis latus, nec nimis angustus, qúia Christus quantum ad naturam infimam, idest humanam fuit nobis manifestus, quantum vero ad naturam summam, idest diuinitatem fuit nobis ualde angustus, i. ualde obscurus. Quantum uero ad naturam mediam, i. animam fuit nobis partim occultus, & partim manifestus. In huius. n. significationem dñr tres Missę in Natali. Vna in nocte profunda, & significat eius diuinitatem, quæ nobis totaliter fuit obscura. Secũda dicitur in aurora, & significat eius animam, quæ partim nobis fuit occulta, & partim manifesta. Tertia dr̃ in luce manifesta, & clara significat eius humanitatẽ, quæ nobis fuit totaliter manifesta. Iste venter fuit plenus aceruo tritici, fuit uallatus lilijs, ideo dicit lilia in plurali, qa omnia, quę in ipsa fuerunt, pura, & munda fuerunt. Habuit enim mundas cogitationes, affectiones, intentiones, locutiones, & operationes, Nos autem miseri vix unum lilium habere possumus,

sumus; vel cogitationem sanctam, vel affectionem mundam, vel intentionem rectam, vel operationem bonam. Et dicit vallatus, quia eius venter vndique circundatus fuit lilijs puritatis, & munditiæ, scilicet intus & extra, sursum, & deorsum, à dextris & à sinistris, ante & retro, ita quòd hostis ad eius cor nunquam intrare potuit, nec aliquam impuritatem immittere potuit. Nam intus inueniebat lilium puritatis extra lilium castitatis, sursum lilium contemplationis, deorsum lilium humilitatis. A dextris lilium temperantiæ, à sinistris lilium patientiæ, ante lilium prudentiæ de futuris, retro lilium iustitiæ de præteritis. Nos autem miseri non sumus vallati lilijs puritatis, sed spinis & vrticis malarum concupiscentiarum, & ideo corda nostra sunt dæmonibus paruia in quæ malas suggestiones ingerunt, & prauas delectationes immittunt.

BEATAE VIRGINIS VERBA LAVDANDA *sunt quinque conditionibus. Sermo CLIII.*

VErba Beatæ Mariæ habuerunt quinque laudabiles conditiones.

Primò eius verba non fuerunt multum prolixa, sed valdè pauca, & breuia. Non enim in tota serie Euangelij inuenitur fuisse locuta nisi septies, & tunc breuiter est locuta. Primo enim locuta est cum angelo bis, scilicet. Quomodo fiet istud. & Ecce ancilla Domini. Bis locuta est Helisabeth, scilicet eam salutando; & postea in Dei laudem prorumpendo dicens. Magnificat anima mea Dominum. Bis locuta est cum filio, scilicet semel in templo quādo dixit, fili quid fecisti nobis sic, & semel in nuptijs quādo dixit, vinū non habēt, & semel ministris dicens, quodcūq; dixerit uobis factæ. Semper breuiter est locuta nisi quando in laudem Dei prorupit. Discant ergo mulieres raro loqui, & nunquam in verbis effluere, nisi fortè in oratione, & Dei laude.

Secundò eius verba non fuerunt leuiter prolata, sed multū præmeditata. Luc. 2. Maria autem conseruabat, &c. Vbi dicit Beda. Virginalis munditiæ Maria custodiens secreta

Christi, quæ nouerat nemini diuulgare uolebat, sed hæc reuerenter expectabat quando, scilicet hoc necessarium esset. Et licet ipsa secreta ad tempus tacuerit ore, tamen vigili meditatione scrutabatur corde. Bern. Ve nobis qui spiritum habemus in naribus, ve qui totum spiritum proferimus, & qui vndiq; confluimus. Maria autem conseruabat ea, quæ audiebat in corde suo. Fuit enim velox ad audiendum, tarda verò ad proferendum. Beda. Imitemur fratres piam matrem Dei, seruantes omnia verba & facta Saluatoris nostri. Harum meditatione diurna, & nocturna importunos inanum cogitationum atque nocentium repellemus incursus. Harum crebra consolatione nos, & proximos à fabulis superfluis, & malè dulcoratis detractionum colloquijs castigemus, & ad diuinæ laudis frequentiam ascendere festinemus.

Tertiò eius verba non fuerunt præsumptuosa, sed ipsa in loquendo multum fuit timida, & uerecunda. Bernard. Vbi Maria aliquando loquitur nunquam præsumptuosa fuisse videtur. Foris stabat quærens loqui filio, nec auctoritate materna sermonem interrupit, aut habitationem in qua filius habitabat irrupit. Eius quidem sermo certissimus index fuit ingenitæ mansuetudinis, ac verecundiæ virginalis, aliorum verecundiam suam reputans defectum vini non potuit dissimulare, vbi verò à filio increpata fuit, tanquam mitis, & humilis corde nihil respondit, nec tamen desperauit, sed admonuit ministros, quòd quid eis diceret facerent. Et subdit Bernard. Timens Maria audiuit filium in parabolis loquentem discipulis ministeria reuelantem, miracula facientem, vidit in cruce pendentem expirantem, vidit resurgentem, & ascendentem, & in hijs verecundiam Virginis auditur.

Quartò eius verba non fuerunt vacua, sed multum fructuosa, & virtuosa. Nam locuta est cum angelo, & ad eius verbum Deus factus est homo, locuta est cum Helisabeth, & tripudiauit Ioannes clausus in utero, locuta est cum filio in templo, & Deus hominibus factus est subditus, locuta est in nuptijs, & manifestauit gloriam suam Iesus Christus.

Quintò eius verba non fuerunt improuida, sed multum discreta.

discreta. Nam ille qui loquitur debet videre quid, quando, cui, ubi, & qūo loquatur. Maria igitur discretè considerauit quid loqueretur, quia uerba non uana, nec fabulosa, sed omnia uerba sua fuerunt utilia, & ad nostram ædificationem pertinentia. Considerauit etiam cui loqueretur, quia non cuilibet uiro, sed Dei angelo, in quo instruuntur mulieres uitare uirorum locutiones. Considerauit ubi loqueretur, quia non in foro locuta fuit, sed in domo, in quo etiam instruuntur mulieres, ut in foro non loquantur, sed à uiris in domo instruantur. Considerauit iterum quando loqueretur, quando, scilicet fuit magis opportunum, sicut dicitur. Ecclesiast. 8. Omni negocio tempus est, & opportunitas. Beda. Quod de Domino, uel à Domino dicta, uel acta cognouerat, mater Virgo diligenter retinebat in corde, ut cū tempus prædicandæ, uel scribendæ incarnationis eius adueniret sufficienter uniuersa prout essent gesta quærētibus explicare posset. Considerauit etiam quo modo loqueret, quia non clamosè, sed maturè, & tacitè loquebatur. Nunquam enim locuta est clamosè nisi in filij passione. Tunc enim secundùm Augustinum fortiter eiulauit. Sed de garulis mulieribus dicitur. Prouerb. 7. Garula uaga quietis impatiens non ualens in domo consistere.

VT PVLCHRAE DICATVR VIRGA BEAta Virgo, flos & ipsamet consideratur. Sermo CLIIII.

VIRGA dicitur Virgo Maria, flos filius eius iuxta illud. Isa. 11. Egredietur Virga de radice Iesse, &c. Ista autem Virga commendabilis est quantum ad se, & quantū ad florē. Quantum ad se commendabilis est quadrupliciter. Primo quantum ad modum prodeundi, quia non dicitur fuisse orta, sed egressa. Egredietur inquit Virga de radice Iesse, ipsa enim Virga fuit orta de radice Iudæorum, sed tamen egressa est natura radicis. Radix.n. ad imma, virga verò ad alta tēdit, radix uerò ad terram, Virga in aere, & Solis calore, & cœli rore crescit, sic Iudæi petebant imma uitiorum, illa verò alta

virtutum, illi erant fixi in terra per cupiditatem terrenorum, hæc in aere per auiditatem cœlestium, illi pascebantur amore carnali, hæc nutriebatur amore spirituali, illi constringebantur frigore infidelitatis, hæc fouebatur calore diuinitatis. Secundo ista virga commendabilis est quantum ad modum germinandi, quia non germinauit operatione humana, sed virtute diuina, ideo significata est per virga Aaron, quæ miraculosè floruit, & amigdalas fecit, ut habetur. Nume. 17. Sic Virgo Beata miraculosè, & supersubstantialiter filium generauit, qui secundùm August. assimilatur amigdalo siue nuci, quia in nuce sunt tria, scilicet exterior pellis fragilis, in medio testa dura intus verò nucleus dulcis. In Christo quidem fuerunt tres substantiæ, scilicet, caro exterior, quæ habuit infirmitatem, & Deitas interior, quæ habuit omnem dulcedinem, & anima media, quæ contra omnes passiones habuit fortitudinem, vt nunquam per impatientiam vinceretur. Quamuis enim fuerit virga multum gracilis, tamen fructum portauit qui totum mundum satiauit, immo qui totum mundum suo robore sustentauit. Tertio ista virga commendabilis est quantum ad virtutem operandi. De cuius virtuosa operatione dicitur in Psalm. Virgam virtutis tuæ emittet Dominus, &c. Olim quidē diabolus dominabatur in mundo. Nam in cordibus auarorum dominabatur per cupiditatē terrenam, in cordibus superborum per ambitionem variam, in cordibus delitiosorum per carnalem concupiscentiam. Et ideo Deus hanc virgam creauit in qua tria posuit, scilicet stimulum, hamum, & viscum. Stimolo autem vrguntur siue punguntur boues, hamo capiuntur pisces, visco capiuntur aues. Diabolus quidem erat bos inquantum exercebat agriculturam, idest inquantum inducebat homines ad auaritiam terrenorum, erat piscis inquantum homines natare faciebat in aquis delitiarum, erat auis inquantum homines volare faciebat per sublimitatem honorum. Deus igitur huic virgæ stimulum apposuit quando carni Virginis se vniuit, & sic bouē, idest diabolum de cordibus auarorum eiecit. Ecclesiastic. 38. Stimulo boues agitat. Tunc etiam isti virgæ hamum apposuit quando Deitatem suam sub esca carnis uelauit, & sic

istum malum piscem cepit. Iob. 40. An extrahere poteris hamo Leuiathan. Ibidem. In oculis eius quasi hamo capies eum. Isti etiam virgæ laqueum siue viscum posuit, quando sapientiam suam in humana carne de Virgine assumpta occultauit, & sic istam auem irretiuit, & cepit. Iob. 40. Nunquid illudes ei quasi aui. Eiusdem 18. Tenebit plantam eius laqueo. Quarto commendabilis est ista uirga quantum ad officium utendi. Vsus enim virgæ ad quatuor officia vtilis uidetur esse ad quæ Virgo Mariá fuit nobis concessa. Primus usus est ad dominij ostentationem, & sic ea utuntur Reges & Principes, & quantū ad hoc data est nobis Virgo Maria, ut uidelicet sit nostra Domina, & Regina. Psal. Virgam virtutis tuæ, &c. Secundus usus est ad defensionem & percussionem, & sic ea utuntur bellatores, & quantum ad hoc data est nobis, ut à dæmonibus nos defendat, & eos percutiat. Nume. 17. Consurget uirga de Israel, & percutiet duces Moab; Isa. 30. Ad uocem Domini pauebit Assur virga percussus. Tertius usus est ad directionem, & sic pastores uirga utuntur, ut gregem suum regant & dirigant, & quantum ad hoc data est nobis, ut in præsenti uita nos dirigat, & ad pascua æterna deducat. Quartus usus est ad sustentationem, & sic ea utuntur infirmi & debiles, & quantum ad hoc data est nobis, ut nostram infirmitatem sustentet & regat. Psal. Virga tua, & bacculus tuus, &c. Secundò ista uirga commendabilis est quantum ad florem, qui quidem flos est ipse Christus qui dicit. Cant. 3. Ego flos campi. Dicitur autem Christus flos campi & non horti triplici de causa. Primo quia ut flos horti nascitur, terra aperitur. Flos autem campi sine terræ apertione nascitur, idest Christus sine Mariæ uiolatione. Secundo dicitur flos campi, & non horti, quia flos horti est clausus, flos uerò campi omnibus est apertus. Similiter etiam odor pietatis Christi nulli clauditur, sed omnes ad ipsum possunt accedere, & misericordiam inuenire. Tertio dicitur flos campi. In partibus ultramarinis dicitur nasci quidam flos qui habet stipitem asperum, & quinque folia habet, idest, quinque vulnera passionis,

mum virginalis vero centesimū. Istud ostendit Christus Mat. 13. Vbi dicitur ꝙ bona terra fecit fructum tricesimum, sexagesimum, & centesimum. Secundò ostendit Christus de ipsa virginitate quanti sit honoris. Intantum igitur Christus honorat virgines, ꝙ facit eos ioculatores, & familiares suos, siue domesticos, & seruitores. Apoc. 14. de virginibus. Cantabant quasi canticum nouum ante sedem Dei, ecce quia sunt ioculatores Dei. Hij sequuntur agnum, ecce quia sunt de familia Dei. Sine macula sunt ante thronum Dei, ecce quia sunt domicelli, & seruiunt in mensa Dei. Tertiò Christus ostendit de uirginitate quanti sit præmij. Apoc. 12. ubi dicitur de muliere, quæ significat beatam Virginem, quæ erat amicta Sole, & Luna sub pedibus eius, & in capite corona stellarum duodecim, & in vtero habens. & merito sic habebat diuinū splendorem. Vbi notatur, ꝙ Deus Virgines beatas ornata superiori, quia habebat coronā stellarum duodecim, ornat ab inferiori, quia Lunam habent sub pedibus, i. mutabilem mundum, ornat ab exteriori, quia habebunt corpus immortalitate vestitum, ornat ab interiori, quia habent animum glorificatum. Secunda ratio sumitur ex parte diuini operis. Et istam rationem ostendit Aug. & Ansel. Opera Quidem Dei debent esse perfecta, iuxta illud Deut. 32. Dei perfecta sunt opera. Deus enim fecerat hoīem sine fœmina, & homine, sicut Adā, fecerat de homine fęminā, sicut Euā, & facit quotidie de homine, & fœmina, & ideo ut eius opera essent perfecta quartum modum debuit adhibere. s. ut faceret hominem de fœmina sine homine, sicut fecit Christum de Maria Virgine.

PROBATVR VIRGINITAS BEATAE Virginis. Sermo CLVII.

VIRGINITATEM illibatam habuit Beata Maria, cuius virginitas multas habuit prærogatiuas. Videndū est igitur qualiter ostenditur, & probari potest quòd ipsa fuit virgo. Secundò videndum est de prærogatiuis, quas habuit sua virginitas.

Circa primū notādū, ꝙ eius virginitas ostendit, & ꝓbatur

testimonijs, exemplis mysterijs, & miraculis. Testimonijs quidem, s. Dei, qui dixit per Isa. Prophetam 7. Ecce Virgo concipiet, testimonio Angeli, qui dixit Mat. 1. Quod enim in ea natum est de Spiritu sancto est, & testimonio hominis fide digni. Duæ quidem personæ antiquitus erant fide dignè, s. sacerdos, & propheta. Ostenditur igitur testimonio Hieremiæ Prophetæ. Hiere. 31. Nouum faciet Dñs super terrã, fœmina circundabit uirũ. Secũdò testimonio Zachariç sacerdotis. Nã sicut dicit Origenes super Mat. In templo erat quidã locus solum sacris virginibus deputatas ad orandum. Et cum B. Virgo ibi post partum cum cçteris adoraret, & sacerdotes tẽpli eam expellerent, Zacharias sacerdos pater Ioannis Baptistæ eam defendebat asserens eam virginem peperisse. Ob hoc Iudæi indignati ipsum inter templum, & altare occiderunt.

Secundò ostenditur multis mysterijs, s. virgç, portç, & uelleris. Et primò virgç Aaron, q̃ floruit miraculosè, & fructus fecit. Ber. Nec virgç floris vigore lçsit emissio, nec virginis pudorem sacri partus çditio. Idem. Hæc est virga sublimis, planta cœlestis, sanctior vniuersis, quæ uerticem sanctum erexit usque ad Dñm maiestatis, quia nimirum in altum emiserat radices humilitatis. Hæc est virga Iesse, & flos filius eius, flos inquam campi, sed non horti. Admodum enim campi sine omni adminiculo virginis aluus floruit. Secundò mysterio portæ, quæ Domino fuit aperta, cæteris autem clausa, ut habetur Eze. 44. August. in sermo. de Annuncia. quidem est, quod porta hæc erit clausa, nisi quod Maria semper fuit intacta? Et quid est vir non transibit per eam, nisi quod Ioseph non cognouit eam? Tertio mysterio uelleris de cœlo perfusi. Ber. quid Gedeonis uellus significat, quod utique fuit tonsum de carne, sed sine vulnere carnis, nisi carnem assumptam absque omni detrimento virginitatis?

Tertiò ostenditur eius virginitas exẽplis. Ponit aũt Augustinus tria exempla dicens, qui lapideas scripsit tabulas sine stylo ferreo, ipse grauidauit Mariam Spiritu sancto, & qui produxit panes sine aratione, ipse impregnauit Mariam sine corruptione, & qui fecit virgam sine pluuia germinare, ipse fecit filiam Dauid sine semine generare. Sunt etiam alia

tria

requieuit, & fuit virga directionis, quia omnia opera sua semper in Deum direxit, & fuit virga regni Dei, quia Deus per ipsam regnum, quod diabolus usurpauerat acquisiuit, ista autem virga quanuis fuerit recta, quantum ad Deum per rectam intétionem, tñ fuit & est flexibilis ad nos per cópassionem. Nam modo flectitur ad iustos impetrando eis gratiam, modo flectitur ad peccatores impetrando eis ueniam, modo flectitur ad morientes expellendo ab eis fallaciam, modo flectitur ad iam mortuos eorum animas deducẽdo ad gloriam. Propter ista dicimus. Maria mater gratiæ, mater misericordiæ, tu nos ab hoste protege, &c.

IVXTA TRIA TEMPORA PARTVS FVIT Virgo. Sermo CLVI.

VIRGINITATEM perpetuam habuit Maria, & ante partum, & in partu, & post partum. August. super Ioann. Sicut in sepulchro ubi erat repositum corpus Domini, nec ante, nec postea mortuus iacuit, sic vterus Mariç nec ante, nec postea quicquam mortale concepit. Istud autem conueniens fuit quatuor rationibus.

Prima sumitur ex parte filij nascentis. Et ista est quadruplex. Prima est, quia Deus committebat sibi precium redemptionis humanæ, de qua dicitur Prou. vlt. Mulierem fortem quis inueniet procul, & de vltimis finibus precium eius, quia de natura diuina, & suprema, & natura humana tam infima. Et quia tale precium in utero ponebatur, ideo debuit esse vas integrum per carnis integritatem, & virginitatem. Virginitas enim est integritas mentis, & corporis. Sed de multis dicitur Eccl. 21. Cor fatui quasi uas confractum, oẽm sapientiam non tenebit. Aggei. 1. Qui mercedes congregauit misit eas in saccum pertusum. Secunda est, quia committebat sibi thesaurum cœlestis sapientiæ. Illum thesaurum, de quo dicitur Col. 2. In quo sont omnes thesauri sapientiæ, & scientię Dei absconditi. Et ideo debuit esse uas nouum. i. virginitatis gloria decoratum. Hoc significatum est 4 Reg. 2. Vbi Helyseus, idest Deus pater posuit sal, idest diuinam sapientiam in uas

 nouum,

tria exempla. f. glorificati corporis, syderis, & apis. Et primò corporis glorificati, quia corpus Christi gloriosum clauso se pulchro exiuit, & ad discipulos ianuis clausis introiuit. Eodē modo clauso utero virginis exire potuit. Secundò ostendit exemplo syderis. Ber. Nec syderis radius suam minuit claritatem, nec virginis filius suam integritatem. Tertiò ostendit exemplo apis. Nam secundum Amb. Si apes mellificant, & filios generant sine commixtione, multo fortius & Maria generare potuit sine corruptione.

Quartò ostenditur miraculo radij procedentis de facie virginis. Dicit enim quædam glo. super illud Mat. Non cognoscebat eam Ioseph donec, &c. q Ioseph non poterat uidere Mariam facie, quam Spiritus sanctus à conceptione penitus impleuerat, ideoque quam desponsauerat in facie non cognoscebat, donec virtus eius euacuaretur. Si igitur B. Maria sic erat fulgida in facie, manifestum est, q erat fulgidior in uentre, & fulgidissima in mente.

Quintò hoc ostenditur figura, siue sacramento. Et istam figuram siue sacramentum assignat Orige. super Mat. dicens. Sicut rubus comburi uidebatur, & ignis eum non tangebat, & sicut tres pueri inclusi in camino ignis habebantur, & eos nō eos non lędebat incendium, nec odor fumi erat in eis, uel quēadmodum Danieli intra lacum leonum incluso claustris non aptis allatum est ei prandium ab Abacuch, ita & hæc sancta Virgo genuit Dominum, sed immaculata permansit.

Secundò videndum est de prærogatiuis quas habuit eius virginitas. Quæ quidem prærogatiuę sunt plures, quia eius virginitas fuit integra, f. corpore, & spiritu, iuxta illud The. 5. Integer spiritus uester anima, & corpus sine querela seruetur in Aduentu Dñi nostri Iesu Christi. Ipsa quidem habuit integritatum corporis, quia ipsum semper illibatum seruauit, integritatem animę, quia nunquam modica cogitatio illicita in eius animam introiuit, integritatem spiritus, quia nunq̄ à Deo per aliquod peccatum separatus fuit. Can. 4. Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te. Ipsa enim, fuit pulchra in corpore, quia ipsum semper illibatum seruauit fuit sine macula in anima, quia nunq̄ aliquod peccatum, siue cogitatio

tatio mala intrauit, fuit tota pulchra in spiritu, quia nunquã veniale peccatum commisit. Secunda prærogatiua est, quia eius virginitas prius fuit Deo dicata. Ber. Si precia rerũ pensamus de charitate super omnes enim alias, quæ proposuit primum vitam angelicam ducere, & vouere propositum virginitatis immortale, quod nec aliquatenus titubauit angelo filium promittente. Et qm̃ ipsa prima primo votum virginitatis emisit, ideo per amygdalum figuratur. Sicut.n.amygdalus inter cæteras arbores prius flores producit, sic inter cæteras mulieres ipsa prius votum virginitatis emisit. Ps. Adducetur regi virgines post eam. Vere post eam.s. tempore, exemplo, dignitate, & vtilitate. Tempore quidem, quia ante ipsam nulla, post ipsam verò multę, quia multę virginitetem suam Deo deuouerunt. Exemplo verò, quia omnibus exemplũ seruandę virginitatis exhibuit. Dignitate quidẽ, quia virginitatem cum fęcunditate seruauit. Vtilitate, quia sua virginitate totum mundum saluauit. Ideo benę dicitur Eccl.vlt. Florebit amygdalus, impinguabitur locusta, & dissipabatur caparus. Tunc amygdalus floruit, quando beata Virgo virginitatem vouit. Tunc locusta.i.gentilitas instabilis, & uaga fuit Spiritus sancti gratia impinguata. & caparus.i.plebs Iudaica fuit totaliter dissipata. Caparus.n.est frutex spinosus super terrã expãsus, & signat populum Iudaicum durum, & rebellem, & semper terrenis curris adhærentem. Tertia prærogatiua est, quia habuit virginitatem transfusam, quia in alios trãsfundebatur. Quamuis enim pulcherima fuerit, tamen a nullo vnquam potuit concupisci, quia eius puritas corda omnium penetrabat, & in eis omnes motus illicitos extinguebat. Ideo comparatur myrrhę, & cedro, quia sicut odor myrrhę fugat vermes, & odor cedri expellit serpentes, sic & odor suæ virginitatis de aliorum cordibus expellebat motus brutales. Quarta prærogatiua est, quia habuit virginitatem fœcundã, quia.s. fuit Virgo, & mater, quod quidem nulla habuit. Sedulius. Gaudium matris habens cum virginitatis honore, nec primam similem visa est nec habere sequentem. Quinta prærogatiua est, quia habuit virginitatem ornatam. Ipsa enim tanquam Virgo prudens lampades suas. s. corpus suum, &

animam ornauit oleo pietatis, licino puritatis, & lumine veritatis, & igne charitatis. Eccles. 24. Ego mater pulchræ dilectionis, ecce ignis charitatis. Et timoris, ecce licinum puritatis, quia sicut dicitur Eccles. 1. Timor domini expellit peccatū. Et agnitionis, ecce lumen veritatis, & sanctæ spei, ecce oleum pietatis.

RECTE INSTITVIT VITAM SVAM B. Virgo & quantum ad se & quantum ad alios. Ser. CLVIII.

VITA & conuersatio B. Mariæ fuit ordinata quantum ad se & quātum ad alios. Ordinauit enim vitam suam quantum ad Deum, & ante Christi Conceptionem, Resurrectionem, & Ascensionem. Nam ante Christi cōceptum in adolescentia sua dū adhuc in templo cum suis coetaneis commoraretur valde ordinauit vitam suam. De cuius ordinatione sic dicit Hierony. ad Cromatium, & Heliodorum. Hanc, inquit, regulam B. Virgo seruabat, ut a mane vsq; ad tertiam orationi insisteret, a tertia usque ad nonam textrino operi se occuparet, à nona ab oratione non recedebat quousque illi angelus appareret, de cuius manu escam accipere solebat, & semper in melius in Dei amore proficiebat. Post resurrectionem Christi, & eius ascēsionem ordinauit vitam suam circa tria. Primò circa assiduam orationem, & gratiarum actionem. Vnde dicitur Act. 1. ꝙ Apostoli erant in oratione cū Maria matre Iesu. Glo. super illud Luc. 1. Exultauit spiritus meus in Deo salutari meo. Totum in timoris animi affectum in agendis gratiarum laudib. offero, totum ꝙ viuo, totum ꝙ sentio, ꝙ discerno in eius magnitudine contemplādo, & in eius præceptis obseruandis impendo. In ipsum tantum existo, ꝙ terrena non curo, prosperitas me non extollit aduersitas me non frangit, sed in illius sola spiritus meus delectatur memoria a quo salus æterna speratur in illius perpetua diuinitate cuius conceptione caro mea fœcundatur. Secundò circa locorū sacrorum visitationem, vnde dicit Sanct. Odilo, Si scire volumus quid Dei genitrix post Christi resurre-

surrectionem antequam ipsa cœlos ascenderet agebat, sine dubio loca dominicæ natiuitatis, passionis, sepulturæ, resurrectionis, & ascensionis frequenter visitabat, & in eis lachrymas fundebat, & oris sui sanctissimi oscula imprimebat. De hac sic dicit S. Hiero. in ser. de Assump. Fortassis præ nimio amore quo filius eius ac dñs sepultus dicitur, interdum eam habitasse credimus, quatenus pijs pasceretur internis obtutibus, non ꝙ iam viuens cum mortuis quæreretur, hoc enim habet impatiens amor, vt ꝙ desiderat ipsum semper inuenire credat, ignorat quippe rationem, nam ratione multotiens caret modum nescit, nec aliud cogitare potest quam quod diligit. Amor. n. de possibilitate non accipit solatium, nec de difficultate remedium. Tertiò circa Apostolorum, & discipulorum instructionem, & informationem. Vnde dicit Hiero. vbi supra, Post ascensionem Christi gñaliter Mariæ conuersatio cum Apostolis fuit usq; ad eorum dispersionem sicut dicit Lucas. Hij omnes erant perseuerantes in oratione cū Maria matre Iesu. Deinde subdit, Ecce domino Iesu ascendente in cœlum vacat Virgo in scola virtutum, versatus cum senatoribus cęli in curiam Paradisi sub disciplina Spiritus sancti totiusq; maiestatis diuinæ, inuenitur prima inter primas cohortes summi regis quorum vita non erat in terris, sed de cęlis. De hoc etiam dicit sanctus Odilo. Intuitu dominicorū locorum peracto, Virgo B. ad Apostolorum remeabat cōsortium. Credimus. n. ipsam interfuisse gaudijs ascensionis dominicæ, & in die Penthecostes cum cęteris Apostolis Spiritus sancti gratiam percepisse, quam constat eam à conceptione Christi plenissimè habuisse. Hiero. vbi supra Virgo beata inter choros Apostolorum post resurrectionem intrans, & exiens familiarius de Christi incarnatione ac resurrectionē cum eis contulit. Quam sane beatissimā Virginem, & si omnes discipuli venerati sunt, Ioannes tamen amplius, & specialius usque ad finem uitæ suæ sibi deseruiuit.

Secundò ordinauit vitam suam quantum ad se. Nam habuit quædam per quæ ordinabantur eius interiora, & quædam per quæ ordinabantur eius exteriora, & quædam per quæ simul, & eius interiora, & eius exteriora. Sua quidem inte-

interiora ordinauit, quia habuit affectiones sinceras, cogitationes sanctas, & intentiones rectas. De eius sinceris affectionibus dicit Amb. in lib. de virginib. Quid nobilius matre Dei quid splendidius ea quam splendor elegit. Quid castius ea quæ corpus sine corporis contagione generauit. Nam de cæteris virtutibus eius quid loquar? Virgo erat non solum corpore, sed etiam mente, quæ nullo doli ambitu sincerum adulteraret affectum. De eius sanctis cogitationibus dicit idem ibidem. Virgo beata ad ipsum ingressum angeli inuenta est domi in penetralibus sine comite, nequis attentionem eius arumperet, nequis obstreperet. Neq; enim comites fœminas desiderabat, quæ bonas cogitationes socias habebat, quin etiam sibi minus tunc videbatur sola cum sola esset. Nā q̄uo sola cum tot libri adessent tot Archangeli tot Prophetæ. De eius rectis intentionibus dicit idem ibidem. Corde erat humilis, uerbo grauis, animo prudens, loquendi parcior, legendi studiosior. Non in incerto diuitiarum, sed in prece pauperis spem reponens intenta operi, uerecunda sermoni, arbitrum mentis, solita non hominem, sed Deum quærere. Secūdò habuit ea per quæ ordinabantur eius exteriora. De hoc etiam sic dicit Amb vbi supra. Nihil in ea toruum in oculis nihil in uerbis procax, nihil in actu verecundum, non gestus fractior, quæ in incessu solutior, non vox petulautior, ut ipsa corporis species fuerit simulacrum mentis, & figura probitatis. Tertiò habuit ea per quæ ordinabantur eius interiora, & exteriora. s. quattuor virtutes, iustitiam, prudentiam, temperantiam, & fortitudinem. Habuit enim prudentiam, & fortitudinem. Ber. Quod turbata est fuit verecundiæ virginalis q; non est turbata fuit fortitudinis, q; tacuit, & cogitauit fuit prudentiæ. Habuit etiam iustitiam in eo q; se humiliauit, & obediuit dicens. Ecce ancilla domini fiat mihi s̄m verbum tuum. Humilitas, & obedientia sunt partes iustitiæ. Habuit etiam temperantiam. De cuius temperantia dicit Ambr. ubi supra. Quid exequar ciborum parsimoniam, officiorum redūdantiam, alterum ultra naturam superfuisse. Illic nulla intermissa tempora, hic congeminatus ieiunio dies, & si quando successisset reficiendi uoluntas cibus plerunque obuius, qui

mortem arceret non delitias ministraret. Dormire non prius cupiditas, quàm necessitas fuit, & tamen cum quiesceret corpus vigilabat animus, qui frequenter in somnis, aut lecta repetit, aut somno interrupto continuat, aut disposita gerit, aut gerenda pronunciat. De hijs quattuor eius virtutib. dicit Ber. Virgo beata fuit fortis in proposito, temperata in silentio, prudens in interrogatione, iusta in confessione.

Tertiò ordinauit vitam suam quantum ad alios, & hoc quantum ad duas partes iustitiæ, quæ sunt declinare à malo & facere bonum. Primam partem iustitiæ habuit, quia neminem unquam læsit. Vnde dicit Ambr. vbi supra. Nullum fuit sollicita lędere, omnibus bene velle, maioribus natu assurgere, æqualibus non inuidere, iactantiam fugere, rationem sequi, amare virtutem. Quando ista vel vultu lęsit parentes, quando discessit a propinquis, quando irrisit humilem debilem, quando vitauit inopem? Hiero. in Epist. ad Cromatiũ, & Heliodorum. Mariam irascentem nullus vidit, hanc male dicentem nullus audiuit, omnis sermo eius ita erat gratia plenus, ut in eius lingua cognosceretur Deus. Quantum ad secundam partem iustitiæ omnibus profuit. s. verbo, obsequio, & exemplo, & temporali subsidio. Verbo quidem, quia socias suas semper ad bonum informabat. Hiero. vbi supra. Sollicita erat circa socias suas ne aliqua ex eis in sermone peccasset, nec aliqua in risu vocem exaltaret, nec aliqua in iniurijs, aut superbia circa parem suam existeret. Sine intermissione benedicebat Deum, & ne forte in salutatione sua à laudibus domini tolleretur, siquis illam salutabat, illa pro salute Deo gratias respondebat. Primum autem exijt ab ea, vt dum homines salutantur, Deo gratias dicant. Secundò profuit in obsequio, quod patet quia tribus mẽsibus in obsequio Helisabeth mansit. Amb. Quam in propinquis fuit religiosa scriptura diuina commemorat. Nam humilior facta est vbi à Deo se cognouit electam, & statim ad montana ad cognatã suam accessit, non utiq; vt exemplo crederet, quæ iam credi derat oraculo. Beata, inquit, quæ credidisti, & cum ea tribus mensibus mansit. Tanti autem temporis interuallo non fides quæritur, sed pietas exhibetur. Tertiò profuit temporali

subsi-

subsidio. Vnde dr̄ in sui persona de muliere forti. Prouer. vlt. Manum suam aperuit inopi, & palmas suas extendit ad pauperes. Qualiter autē ad pauperes fuerit liberalis patet ex hoc, ꝙ totum aurum quod magi obtulerunt pauperibus erogauit, ita ꝙ post modicum in sui purificatione nō habuit vnde posset emere agnū. De ipsius liberalitate ad pauperes dicit Hierony. in Epistola ad Cromacium, & Heliodorum. De esca quam de manu angeli recipiebat Virgo reficiebatur, quæ uerò à Pontificibus recipiebat pauperibus erogabat. Quotidie videbantur ei angeli loqui,& quasi charissimi obtemperabāt ei. Quarto profuit exemplo, quia eius vita speculum fuit sanctitatis, & religionis exemplum. Ambr. in lib. de Virginibus. Sit nobis tanquam in imagine descripta vita Mariæ, de qua velut ex speculo refulget species castitatis, & forma virtutis. Hinc summatis exempla viuendi ubi tanquam in exemplari magisteris sunt probitatis expressa, quæ quid corrigere, quid effugere, quid tenere debeatis ostendunt. Et infra. Extra domum nescia, nisi cum ad Ecclesiam conueniret, & hoc ipsum cum parentibus propinquis,& domesticis operosa secreta forensi stipata comitatu, nullo tamen meliore, quàm seipsa, quę in incessu aspectuq; venerabilis non tamen uestigium pedis tolleret. Hieron. ubi supra. In uigilijs inueniebatur prior, in sapientia legis eruditior, in humilitate humilior, in carminibus Dauid præstantior, in charitate gratiosior, in puritate purior, in omni uirtute perfectior. Quia igitur Virgo Beata, vt dictum est sic alios suis illuminabat exemplis, ideo sibi potest conuenire illud quod dicitur. Eccl. 26. Sicut Sol oriens mundo in altissimis Deo, sic mulieris bonæ species in ornamentum eius Sol est Christus, mundus est Beata Virgo, quæ illuminata à Deo totam militantem Ecclesiam illuminat. Quare aūt B. Virgo dicatur mundus ostendit Cyprianus dicēs. Lego & intelligo, quia Maria est quidam mundus intelligibilis,& admirabilis, cuius terra soliditas humilitatis, cuius mare latitudo charitatis, cuius cœlum altitudo conuersationis, cuius Sol splendor intelligentiæ, cuius Luna decor munditiæ, cuius Lucifer fulgor sanctitatis, cuius arcturus gratia septiformis, cuius sydera aliarum uirtutum ornamenta pulcherrima.

LAVDES VITIS LAVDIBVS CONVENIVNT Beatæ Virginis. Sermo CLIX.

VITIS significat beatam Mariam, quæ dicit Eccl. 24. Ego quasi vitis fructificaui suauitatem odoris, &c. ubi ipsa ostenditur qualiter fuerit vitis respectu filij, & qualiter respectu sui. Nam respectu filij ipsa fuit vitis, quæ protulit fructum plurimum, fructum suauissimum, & fructum odoriferum, ideo dicit. Ego quasi vitis fructificaui suauitatē odoris, protulit autem fructum plurimum, quia fuit à patre purgata, ideo dicit. Ego quasi vitis fructificaui. Pater quidem ipsam purgauit dum adhuc esset in vtero, & sic fuit sancta nata, & tunc fecit fructum magnum. Deinde purgauit ipsam, quando Spiritum sanctum in ea misit, & tunc fecit fructum maiorem. Deinde purgauit ipsam, quando splendorem suum, scilicet, filium suum in eius uterum misit, & tunc fecit fructū maximum. Secundò fecit fructum suauissimum, quia fuit calore Spiritus sancti excocta. Et ideo subditur. Suauitatem. Tunc enim vitis fructum dulcem producit quando radijs solis eius vuuas exurit, & sic uinum suauissimum facit. Radius igitur Spiritus sancti totam ipsam virginem inflammauit, & ideo fructum suauissimum produxit. Can. 2. Fructus eius dulcis gutturi meo. Quod enim tota fuerit à Spiritu sancto inflāmata ostendit Hieron. in sermo. de Assump. vbi dicit. Totam ipsam repleuerat Spiritus sancti gratia, totam incanduerat diuinus amor, ita ꝙ nihil esset, quod mundanus violaret affectus, sed ardor continuus, & ebrietas perfusi amoris. Qđ fructum suauissimum produxerit dicitur Can. 2. Fructus eius dulcis gutturi meo. Tertiò ista vitis fecit fructum odoriferum ex eo ꝙ fuit à filio imbalsamata. Et ideo subdit. Odoris. Filius. n. Dei, qui est uerū balsamum nouē mensibus in eius vtero habitauit, & tandem de ipsa in natiuitate exiuit, & tunc ipsa fructum odoriferum produxit. Vnde postquam ipsa dixit. Botrus cyperi dilectus meus mihi, subdit. In vineis engadi. Dicitur enim ꝙ vineę engadi balsamum producebant, quæ uerum balsamum produxit, i. Christum Eccl. 24. Sicut cinnamomum,

momum, & balſamum aromatizans. Ibidem. Quaſi balſamũ non mixtum odor meus. Sicut igitur vitis aquam putrefactã conuertit in uinum ſuauiſſimum, & odoriferum, ſic B. Virgo amorem mundi; qui eſt aqua putrida in nobis, in amorẽ Dei, qui eſt tanquam vinum ſuauiſſimum, & odoriferum conuertit, qui replet animam ſuauitate deuotionis, & trahit ipſam ad odorem imitationis ſuæ, Cant. 2. Trahe me poſt te in odorem vnguentorum tuorum.

Secundò oſtenditur qualiter ipſa virgo fuerit vitis reſpectu ſui cum dicit. Et flores mei fructus honoris, & honeſtatis. Flores fuerunt eius virtutes, quæ fuerunt coram Deo, & coram hominibus valde odoriferę intm̃ ꝙ eius odor delectabat Deum, ut poſſet dicere illud Gen. 17. Ecce odor filij mei, &c. Quod homines recreabat. Cant. 2. Vineę florentes odorẽ dederunt. Quod dæmones effugabat. Cant. 2. Capite nobis vulpes paruulas, quæ demoliuntur vineas. Nam vinea noſtra floruit. Quod etiam in ipſa eſtaſim faciebat. Cant. 2. Fulcite me floribus ſtipate me malis, quia amore langueo. Ipſos autem flores, ideſt ipſas virtutes habuit cum fructibus, ideſt cũ bonis operibus, ideo dicitur. Flores mei fructus. Sicut enim flores ſunt inutiles niſi omnino ſequatᶜ fructus, ſic & ipſe virtutes ſunt vacuę niſi bona opera concomitantur. Ideo dicitur 2. Cor. 6. Hortamur uos ne in uacuum gratiam Dei recipiatis. De fructibus iſtorum florum Beatæ Mariæ dicitur Can. 7. Videamus ſi flores fructus parturiunt. Ipſa enim non habuit virtutes ocioſas, quia dicitur Prou. vlt. Panem ocioſa nũ comedit. Iſta opera faciebat ad honorem Dei, & ideo dicitᶜ. Fructus honoris, quia in omnibus ſuis operibus ſemper Dei gloriam, & honorem quærebat, iuxta illud 1. Cor. 4. Siue comedatis, ſiue bibatis, ſiue aliquid aliud faciatis, omnia in honorem Dei facite. Faciebat autem omnia opera ſua ad edificationem proximi, ideo ſubditur. Et honeſtatis. Eius. n. opera tam honeſta erant, ꝙ omnes videntes attrahebãt. Honeſtum enim eſt, quod per ſe allicit. Seruauit enim illud Matt. 5. Sic luceat lux ueſtra coram hominibus, &c. De iſta vite poteſt intelligi illud, quod dr̃. Gen. 40. Videbam corã me vitẽ, in qua erat tres propagines creſcere paulatim in gemmas, & poſt

flores uuas maturescere. Ex quibus verbis habetur, ꝙ in ista vite fuerunt tres propagines, & in qualibet propagine fuerũt tria. s. gemmæ, flores, & vuę. Per tres propagines intelligũtur tres in unitate personæ, per alia tria, quæ fuerunt in propagine intelliguntur tres in Christo substantiæ. Ista igit᷑ vitis fuit Virgo beata in cuius utero fuerunt tres propagines. i. tres personę. Nam ibi fuit persona patris, qui Christi incarnationem fecit, ibi fuit persona Spiritus sancti, qui eam similiter operatus fuit, ibi fuit persona filij, qui corpus humanum sibi induit. In ista autem propagine, i. in Christo fuerunt gemma flos, & vua. i. diuina natura, anima, & caro. Per gemmã enim quæ est principium florum, & fructuum intelligitur eius diuinitas, quæ est causa, & principium oĩum rerum. Vnde Christus interrogatus à Iudęis, rñdit principium qui & loquor vobis. Per florem intelligitur eius aĩa, quę omniũ virtutũ odoribus fuit plena. Can. 2. Odor vnguentorũ tuorum super oĩa aromata. Per vuã intelligitur eius caro, quę plena fuit sanguine precioso, & tandẽ posita fuit in torculari crucis, vnde emanauit mustum nostræ redemptionis. Vnde angeli admirantes dixerunt Isa. 63. Quare rubrum est indumentum tuum. De ista etiam vite potest exponi illud Iudicum 9. Ierunt ligna, vt vngerent super se regem dixeruntq; oliuæ ficui, & vsti, ut eis imperaret. Responsio oliuæ fuit, ꝙ non poterat deserere suã pinguedinem. Responsio ficus fuit, ꝙ nolebat deserere suam dulcedinem. Responsio vitis fuit, ꝙ nolebat deserere suã iocũditatem. Per ista tria. s. oliuã, ficum, & uitem intelligit᷑ Virgo Maria. Ipsa. n., uit oliua ꝑꝑ pinguedinem spiritualis gratiæ, ipsa fuit ficus ꝑꝑ dulcedinem suæ pietatis, & misericordiæ, ipsa fuit vitis ꝑꝑ lætitiam iocunditatis internæ. Ligna igitur syluarum fuerunt Iudæi, qui fuerunt duri, inflexibiles, & syluestres, qui libentius voluissent, ꝙ B. Virgo fuisset princeps suæ synagogæ, quam Christus ecclesię ideo dixerunt ei. Veni, impera nobis. i. veni, & relinquas Christũ, vt sis domina synagogæ nostræ, sed ipsa renuit, quia si hoc fecisset amisisset pinguedinem gratię spiritualis, & dulcedinem suę pietatis, & lætitiam internę iocunditatis. Vnde pater suus Dauid eam per annos multos antequam nasceretur, oĩno admo-

nuit,

uenit, vt synagogam dimitteret, & Christo filio suo regi semper adhæreret dicens. Audi filia, & vide, & inclina aurẽ tuam & obliuiscere populum tuum, & domum patris tui.

VNITAS SECVNDVM SVA QVATTVOR *significata aptatur Beatæ Virgini & Christo.* Sermo CLX.

VNITAS magna fuit inter Christum, & B. Virginẽ matrem eius. Est autem quadruplex vnitas.

Prima est quæ est inter virum, & vxorem, de qua dicitur Ge. 2. Erunt duo in carne una. Ista unitas fuit inter Christum, & Virginem, quia eam in sponsam sibi fecit, & accepit, & cum ea spirituale matrimonium contraxit. Oseæ 2. Sponsabo te mihi in fide. Istud autem matrimonium initiatum fuit per angelum per verba de futuro, quando dixit. Ecce concipies in utero, & paries filium. Deinde ratificatum fuit per verba de pręsenti, quando Virgo consensit, & dixit. Ecce ancilla domini, &c. Vltimo fuit consumatum, quando filius Dei naturam humanam sibi in vnitate personę cõiunxit. Et tũc uerificatum fuit illud, erunt duo in carne una. Nã in vna carne. i. in vno corpore Christi generando, & formando fuerunt duo. s. Virgo, quę carnis materiam ministrauit, & Spiritus sanctus, qui de ipsa corpus formauit.

Secunda est vnitas, quæ est inter patrem, siue inter matrẽ & filium, de quo dicitur Gen. 44. Si intrabo ad patrem meũ, puer. s. Beniamin defuerit cum anima illius ex anima huius dependat morietur. Ex ista aũt vnitate fit, ꝙ mater debet diligere filium tanquam rem suam, filius debet honorare matrem suam tanquam causam suam, & filius & mater debent sibi adinuicem cõicare actiones suas. Ista igitur unitas naturalis fuit inter B. Virginem, & Christum. Ipsa. n. filium diligebat vt rem suam, vt posset dicere illud 2. Re. 1. Sicut mater vnicum amat filium ita te diligebam. Et filius honorabat matrem, vt causam suam, iuxta illud Lu. 2. Erat subditus illis. Et mater & filius cõicabant sibi adinuicem actiones suas. Nam filius fuit tantæ potentiæ, ꝙ creaturam suam fecit matrem

mata fuit. Hiero. Totam Virginem Mariam repleuerat Spiritus sancti gratia, totam diuinus amor incanduerat, ita vt in ea nihil penitus remaneret, quod mundanus violaret affectus. Ad ipsam etiam flectendam ad misericordiam non oportet vti magna violētia precum, sed leui deuotione cordium, ideo vocatur virgula, quæ cito flectitur. Can. 3. Quæ est ista, quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi. Ipsa enim habuit flexibilitatem ad misericordiam, ideo dicitur virgula, ipsa habuit benignitatem, quia omnimodam innocentiam, quia nūquam aliquod pondus peccati habuit, ideo dicitur fumi, ipsa habuit redolentiam per odoriferam famam, ideo dicitur ex aromatibus. Ipsa habuit magnam virtutem, & efficaciam in expellendo. s. dæmones, ideo dicitur myrrhæ, ipsa habuit deuotionem internam, ideo dicitur thuris, ipsa habuit omniū virtutum plenitudinem, & abundantiam. Et ideo subditur. Et vniuersi pulueris pigmentarij.

VVLNERA EXPONVNTVR, QVAE LAVDES & gloriam B. Virginis terminant. Ser. vltimus.

VVLNERATA multis gladijs siue sagittis fuit Maria. Primus gladius est timoris, de quo dicitur in Ps. Confige timore tuo carnes meas. Istum gladium Virgo beata habuit, per quem à se omnia vitia carnis resecauit. Habuit autem timorem non seruilem, sed filialem, qui permanet in sæculum sæculi, & animam facit pulchram. Vnde dicit. Ego mater pulchræ dilectionis.

Secundus est gladius diuini sermonis, de quo dicit Heb. 4. Viuus est sermo Dei, & efficax omni gladio ancipiti. Istum gladium Maria in corde portabat, quia uerba Dei in corde reseruabat, vt dicitur Luc. 2. Amb. nec historia, nec litera docet B. Mariam gladio vitam finisse. Incertum est autem vtrū Symeon pro gladio materiali dixerit an pro verbo Dei valido, & acutiori omni gladio ancipiti.

Tertius est gladius amoris, de quo dicit sponsa Can. Vulnerata charitate ego sum. De hijs tribus gladijs dicit Ber. Est sagitta quædam timor domini, desideria carnis confingit, &

interfi-

interficit, ut spiritus saluus fiat. Est etiã sagitta sermo domĩni uiuus. & efficax penetrans usque ad diuisionem animę & spiritus. Est etiam sagitta electa amor Christi, qui animam Mariæ non tantum confixit, sed etiam pertrãsiuit, vt nullam in pectore virginali particulam animæ vacuam amore reliquerit. Aut certe pertransiuit eam ut ueniret usq; ad nos, & de plenitudine eius nos omnes acciperemus.

Quartus est gladius doloris quo vulnerata fuit in filij passione. Lu. 2. Tuam ipsius animam pertransibit gladius. Ber. Verè pertrãsiuit, vt eam immeritò plus quam martyrem prędicemus, in qua nimirum sensum corporeæ passionis excessit compassionis affectus.

Quintus est gladius persecutionis, quia multas cum Apostolis persecutiones perpessa est. Ambr. super illud, tuam ipsius animam pertransibit gladius. In scriptura sacra, inquit, gladij nomine temporalis tribulatio figuratur iuxta illud Ps. Gladium euaginauerunt peccatores. Idem. Gladius eorum intret in corda ipsorum. Et de Ioseph tribulato dicitur. Ferrũ pertransijt animam eius. Quamquam autem multæ tribulationes animam transfoderint Virginis beatissimæ, illic tamen illa specialiter designatur, quæ materna transfixit viscera domino in cruce moriente, qui cum Patre, & sancto Spiritu viuit, & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

Finis.

VENETIIS, MDXC.

Apud Baretium de Baretijs.

